BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XX
B
17
NAPOLI

PETRI RAVENNATIS, ITALI, I. V. DOCTORIS CLARISSIMI ET EQVITIS AVRATI IN CONSVETVDINES FEVDOrum compendium vtiliſsimum, Diuo Maximiliano I. Chriſtianiſsimo Cæſari Aug. dedicatum,

Nunc demùm ſummo ſtudio & diligentia ab innumeris mendis, quibus vetus exemplar abundabat, vindicatum:

Adiecto ad finem eiuſdem auctoris opuſculo, quo allegationes & concluſiones in materia conſuetudinum complexus eſt.



B. R. NEAPOLIS

COLONIAE
Apud Iohannem Birckmannum & Theodorum Baumium
Anno M. D. LXVII.
Cum gratia & priuilegio Cæſ. Maieſt. ad decennium.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE" NAPOLI

AD LECTOREM.

SI, qui te caſtris legum ſtudijſque dediſti,
Ardua feudorum diſcere iura cupis,
En tibi mendorum prodit ſine labe Rauennas,
Qui primùm vitijs penè ſepultus erat:
Eſtque ſatis mirum, tam longo tempore nullos
Illi Pæonias applicuiſſe manus,
Cum quo vix alius vel mentis acumine certet,
Tam varia rerum fertilitate viget.
Singula, cùm lumen feudalia verba requirunt,
Diſcutit ingenij dexteritate ſui.
Et cùm Doctorum pugnantia iura recenſet,
Iudicio litem conciliare ſolet.
Hunc igitur, Lector, iam lima vindice raſum,
Tam plenum iuris cognitione teras.

PRAELVDIA QVAEDAM IN CONSVETVDINES SEV VSVS FEVDORVM.

DVbitatur primò, an liber feudorum ſit auctorizabilis, ita, quòd in cauſis & iudicijs, & in ſcholis poſsimus allegare ea, quæ continentur in ipſo, ſicut ea quæ continentur in cæteris libris legalibus? Et circa hoc Doctores effundunt multa verba. Tu breuiter concludás quòd ſic, quia ita eſt communis opinio in omnibus ſtudijs Vltramontanis & Citramontanis, & omnes Doctores ita tenent, quia nos videmus multas leges Imperatorum in hoc volumine inſertas, & etiam aliæ deciſiones ſunt ſeruandæ: quia ſemper ita eſt obſeruatum, et à tanto tempore citrà cuius initij non extat memoria in contrarium. Fuit etiam lectus

liber iſte pro authentico in ſtudijs generalibus, & ſuper eo maximi Doctores ſcripſerunt, & multæ decretales ſequuntur deciſiones iſtius libri. c. cæterùm. c. nouit. de iudi. & in infinitis locis. & iſtæ inſtitutiones inter imperiales conſtitutiones inſertæ ſunt, & in Curia Principis obſeruantur.

Secundò dubitatur, an conſuetudines huius libri ligent omnes gentes ſicut aliæ leges communes? Et conclude quòd ſic, propter conſenſum Principis, qui in iſtis conſtitutionibus confirmandis interuenit expreſſè, vel ſaltem tacitè, quia eas patitur in ſuo vigore durare. & ſic videntur eſſe generales conſuetudines.

Tertiò dubitatur, quid ſit feudum, & vnde dicatur? Et dicas quòd feudum eſt beneficium, quod ex beneuolentia alicui ita datur, vt proprietas quidem rei immobi-

mobilis beneficiariæ penes dantem remaneat, vſusfructus autem illius rei ita ad accipientem tranſeat, vt ad eum hæredeſque ſuos maſculos & fœminas (ſi de his dictum ſit) in perpetuum pertineat, ad hoc, vt ille & ſui hæredes fideliter domino ſeruiant, ſiue id ſeruitium nominatim, quale eſſe debeat, ſit expreſſum, ſiue indeterminatè promiſſum. Iſta definitio habetur in.§.fina. in quibus cauſis feudum amittatur. Et dicitur feudum à fidelitate vel à fide, vt infrà, per quos fiat inueſtitura.in fine. Est autem fidelitas ipſum iuramentum, quod præſtatur â vaſallis domino. Et eſt notandum, quòd licet in omnibus contractibus graue ſit fidem fallere. l. j. ff. de conſtituta pecu. tamen per excellentiam debet conſiſtere in feudis, in quibus dominus quodammodo ſe committit vaſallo & econtrà: & ideo propter illam excellentiam feudum de-

nominatur à fide ſeu fidelitate. Et notã, quòd ſunt multæ ſpecies & diuiſiones feudorum. Prima eſt, quoniam feudorum aliud eſt regale, ſicut eſt feudũ Marchiæ, Ducatus & Comitatus, vel alterius regalis dignitatis, quod ab Imperatore vel Rege recognoſcitur. c. j. de feudo Marchiæ. Aliud eſt non regale, quod recognoſcitur ab inferioribus à Principe, vel ſi à Principe, non conſiſtit in iſtis dignitatibus. Aliud eſt feudum nobile, quod ſuum nobilitat poſſeſſorem. Aliud eſt burgenſe, quod non nobilitat, inf. quis dicatur Dux. §. cæteri. & dicas circa hoc ex intentione Ioannis And. ſuper rubri. de præſcriptionibus, in additionibus Speculi, quod feudum aliud eſt nobile, aliud minus nobile: aliud aliqualiter vel mediocriter nobile, nam conceſſum ab Imperatore Regi, Duci vel Marchioni, dicitur nobile. Sed minus nobile, quando conceditur à prædictis. Sed aliqua-

aliqualiter nobile, quando feudum eſt conceſſum à vaſallis ſupraſcriptorum proximorum. Sed ignobile eſt, quod eſt conceſſum à minimis valuaſoribus, à quibus nullam dignitatem vel nobilitatem conſequi dicuntur. Dicit etiam Ioannes And. quòd eſt dare feudum honorificum francum & liberum, & ſic nobile: & ideo ſic appellatur, quia ex eo nihil præſtatur. Intellige tamen talem libertatem, francaſiam & nobilitatem non eximere eum à capitulis comprehenſis in materia fidelitatis, de quibus in titulo de forma fidelitatis, aliàs contineret repugnantiam, videlicet quòd ſit feudum, & liberum prorſus ab omni fidelitate, nam eſſet potius quædam libera donatio, ſi penitùs eſſet liberum ſecundum Ioannem And.

Aliud eſt feudũ, quod habet propriã naturam feudi, quãdo eſt ſimplex et rectũ et

tranſitorium ad hæredes, & ad eum, cui inueſtitus alteri coæquali infeudauerit, & de quo quis non debet priuari ſine culpa conuicta, vt iſta habentur in titulo de natura feudi. & in titulo de feudo non habente propriam naturam feudi.

Aliud eſt feudum, quod non habet propriam naturam feudi, vt quando datur accipienti, vt ipſe & ſui hæredes, & cui dederint, habeant, vt in d. c. j. Item quando ſine inueſtitura eſt acquiſitum, de quo in titulo infra, quibus modis feudum conſtitui poteſt. Item feudum Guardiæ & Caſtaldiæ, in titulo de feudo Guardiæ. Item Cameræ & Cauenæ. c. ij. de feudi cognitione. Item feudum Soldatæ, infra, quis dicatur Dux. in fine. Item, quando non eſt tranſitorium ad hæredes, vt dictum eſt. Aliquando habet propriam naturam, vt quia dignitas cum feudo tranſit ad hæredes inueſtiti, vt videmus

in

in Ducibus & Marchionibus & ſimilibus: aliquando tale feudum habet impropriam naturam feudi, vt quando neq; dignitas neque feudum tranſit ad hæredes, ſed ſolùm ad vitam vaſalli, vt in Marchionatu Anchonitano, Ducatu Spoletano, & ſimilibus: quo caſu potius poteſt appellari adminiſtratio, licet ſit collata per modum feudi mediante inueſtitura, de quo per Aluaro. infra, de alienatione feudi. in fine.

Aliud eſt feudum eccleſiaſticum, quod datur ab Eccleſia: aliud eſt quod datur à clerico non tanquam ab eccleſia.

Aliud eſt feudum antiquum ſiue paternum, aliud nouum. Paternum largè accipitur, quando iam feudum fuit acquiſitum ab aliquo ex anteceſſoribus, qui fuit agnationis communis: & hoc modo poteſt appellari etiam antiquum, eò quia eſt acquiſitum ab anteceſſoribus. glo. in-

ſra, de ſucceſsione feudi. Paternum ſtri-ctè accipitur illud feudum, quod fuit ac-quiſitum à patre meo, vel ab aliquo alio meo aſcendente vſque ad quartum gra-dum. Sed à quarto gradu ſupra appellatur propriè antiquum, infra de ſucceſs. feu. §. j. Nouum autem feudum eſt illud, quod de nouo acquiritur, & in hoc eſt differentia, quia in feudo nouo non ſuccedunt niſi de-ſcendentes, ſed in feudo antiquo ſeu pa-terno ſuccedunt non ſolùm deſcendentes, ſed etiam collaterales, qui tamen deſcen-dunt à primo acquirente.

Aliud eſt feudum maternum, quod primò fuit acquiſitum per fœminam. c. j. de benefi. fœmi. & maternum dicitur, quod à quacunque fœmina ex ſuperiori-bus fuit acquiſitum, quæ fuit agnationis communis, ſicut dicitur de paterno.

Aliud eſt feudum maſculinum, quod regulariter tranſit ad maſculos tantùm,

& non

& non ad fœminas, infra, de ſucceß. feu. §. filia. aliud eſt fœmineũ, quod per pactum tranſit ad fœminas. d. §. filia. quo caſu tunc demùm ſuccedit fœmina, ſi non extat maſculus. c. j. infra, de eo qui ſibi hæredibusq́; ſuis. Fallit etiam, vbi tranſit ad filiam, eò quia redemit, inf. quemadmodum feudum ad filiam pertineat.

Aliud eſt feudum nõ diuiſibile, de quo in d. §. præterea. inf. de prohibi. aliena. feu. per Federi. vt in feudo Marchiæ & Ducatus, vt ibi. Regulariter autẽ omne feudum eſt diuiſibile.

Aliud eſt feudum reale ſiue perpetuũ, quod tranſit in hæredem, quando vnuſquiſque ſibi, hæredibusq́ue ſuis proſpexit. Perſonale feudum eſt, quod ad vitam alicuius conceditur, infra, quibus modis feudum conſtitui poteſt. c. j. ſicut eſt feudum habitationis, quod morte finitur accipientis, niſi aliud ſpecialiter actum ſit. Feu-

dum

dum perſonaliſsimum eſt, quod ſoldata appellatur, & iſtud ex neutra parte tranſit ad hæredem, inf. quis dica. Dux. in fine.

Aliud feudum fit cum iuramento, & ſic cum fidelitate, & hoc regulariter: aliud abſque iuramento, videlicet ſi per pactum remittatur, inf. de capitu. Corra. in princ.

Aliud eſt feudum rectum & purum: aliud eſt non rectum, ſed conditionatum, non quod ſit ſub conditione, ſed ſub quadam qualificatione, vt quia datur ad certum ſeruitium, de quo per glo. in c. fina. de Capitaneo qui curiam vendidit. Item poteſt dici rectum feudum, & nõ rectum alio reſpectu: quia dicitur feudum rectum, quando quis adipiſcitur poſſeſsionem feudi, præcedente licentia domini præſente Curia, quia tale feudum perinde eſt, ac ſi eſſet facta inueſtitura, & eſt tranſmiſsibile.

bile.c.j.in prin. de conſ[illegible] recti feudi. Sed ſi dicta licentia eſſet data abſque Curia, tunc tale feudum non cenſeretur rectum, ſed abuſiuum, & non eſſet tranſmiſſibile.inf.c.j.quibus modis feudum conſtitui poteſt.

Item aliud eſt feudum ligium, aliud non ligium. Feudum ligium eſt, vbi iuratur fidelitas cõtra omnem hominem [illegible] propriè non con[illegible]litur, nec [illegible] niſi ab eo, qui non recognoſcit ſuperiorem. Sed feudum non ligium eſt, quando in conceſſione & fidelitate excipitur prior dominus, cui iam eſt ligatus. vt infra, hîc finitur lex. in fin. vt ſi facio tibi homagium excepta fidelitate, qua tali domino meo teneor, de quo per glo. in Clem. paſtoralis. de re iudica. per Specula. in titulo de feu. §. quoniam. verſ. & nota. & gloſ. in dicta Cle. dicit, quòd quis non poteſt eſſe homo ligius duorum, ſed bene poteſt eſſe ligius vnius,

vnius, & vaſallus alterius. In fidelitate tamen ſemper intelligitur excepta perſona Imperatoris. infra de pro hi. aliena. feu. per Federi. in fin.

Et nota quòd aliud eſt feudum, aliud allodium: quia feudum recognoſcitur à domino: allodium verò à nemine recognoſcitur. Et dicitur allodium res hæreditaria, quæ propria eſt & libera. c. ij. infra, ſi de feu. fuerit controuer. de pa. iuramen. fir. in fin.

Et ſi velles ſcire, quare appellatur vaſallus, & quis ſit, & vnde dicatur, reſpondetur quòd vaſallus idem eſt quod obligatus, & deriuatur à vas vadis, quod interpretatur obſes. Inde vadimonium: eſt enim obligatus vaſallus ad plura domino ſuo. c. j. infra de fideli. vnde vaſallus idem eſt quod fidelis, id eſt ille, qui eſt obligatus ex fidelitate: & ideo appellatur etiam fidelis. Et nota, quòd vaſallus non

eſt de

eſt de iure Romano ante iſta iura feudalia, de quo per Aluaro. infra de contentione inter dominum & vaſallum de inueſtitura, in princ. Interdum appellatur feudatarius, id eſt obligatus ad fidelitatem per iuramentum inueſtituræ, infra, per quos fiat inueſtitura, in fine. Interdum appellatur valuaſor, quaſi dignus ſtare ad valuas domini. Interdum vaſalli appellantur Pares.

PETRI RAVENNATIS, ITALI, I. V. DOCTORIS ET EQVITIS AVRATI, *in Conſuetudines Feudorum compendium vtiliſſimum.*

QVI FEVDVM DARE POSSVNT, & qui non: & qualiter adquiratur & retineatur.

TITVLVS I.

Quia de feudis tractaturi ſumus.

ALlegatur textus iſte, quòd Clerici poſſunt infeudare, ſi in ſua Eccleſia ſit conſuetudo infeudare, & tunc bona ſolita ſolùm infeudari infeudabunt: non autem alia, vt ibi, & c. j. Epiſcopum vel Abba. Et nota quòd licet olim ſolùm ſæculares dignitatem habentes infeudarent, vt in dicto. c. j. tamen hodie etiam ruſtici poſſunt infeudare, dummodò habeant legitimam adminiſtrationem ſuorùm bonorum c. j. de natura feu. & hîc notant Dd. Et nota quòd licet Abbatiſſa non poſſit adminiſtrare ſpiritualia. c. noua. de pœn. & remiſ. tamen temporalia ſic, vt in. d. c. j. Et dum dicit de clericis, quòd poſſint infeudare bona ſolita infeudari, hoc verùm, niſi talia bona eſſent incorporata mēſæ ipſius eccleſiæ: quia

B tunc

tunc nō poſſunt infeudari ſine auctoritate ſummi Pontificis, per ea quæ habentur in.c.ex parte.de feudis.et in c.vt ſuprà de rebus eccleſ. nō alienan. Et poſtquam feudum eſt reuerſum ad eccleſiam, & Prælatus ſtetit per annum, quòd ipſum non infeudauit, quòd amplius non poteſt infeudari, quia intelligitur conſolidatū: ſi tamen Prælatus percepit fructus talium bonorum, ſicut percepit de alijs bonis menſalibus, niſi tamen ex aliqua iuſta cauſa diſtulerit, de quo in prædictis locis per Dd. & vide gl. in Cle.j.de exceſſ.præla. Et ſi quæratur, quanto tempore inducatur cōſuetudo, quòd Prælatus poſſit dare in feudum, conclude ſecundum Dd. tres caſus. Primus eſt, quando infeudatio eſt manifeſtè damnoſa eccleſiæ, & tunc requiritur tempus, cuius in contrariū memoria nō extat. Secundus caſus, quando eſt manifeſtè vtilis, & tunc præſcribitur ſpacio xxx annorum. Tertius eſt, quando eſt dubium, tunc quadraginta anni requiruntur. Et duo actus ſufficiunt infra prædictum tempus, & ſufficit tacitus conſenſus capituli, nec requiritur expreſſus, poſtquam iuuatur longiſſima præſcriptione. Et nota, quòd conſuetudines feudorum habent locum in rebus eccleſiaſticis: quia ſunt approbatæ.c. cæterùm. de iudi. vbi per glo. et Dd. Nec poteſt hodie induci noua conſuetudo, quòd decimæ dentur in feudū.c. quamuis. c.fi.c.probibemus.de deci. licet poſſet induci de alijs rebus eccleſiaſticis. Et nota vnam pulchram limitationem ad tit. de aliena. iudi. mutan. cauſa fa. quia ſi feudum

dum eccleſiæ eſt poſſeſſum per potentem, à quo eccleſia non poteſt habere ſeruitium, poterit infeudare compotentiori: quia hoc ſit bona fide, & vt res poſſit recuperari per eccleſiam. Eſt ergo ſpeciale fauore eccleſiæ, de quo per Anto. de But. in c. ex parte. de feud. & per Dd. hic. Poteſt etiã Prælatus de cõſenſu capituli dare in feudum ſubſiſtente aliqua cauſa, etiamſi nulla ſit cõſuetudo eccleſiæ. c. ad noſtram. de rebus eccle. non alie. quod tamen non ꝓcedit, quando res eſſet data eccleſiæ cũ cõditione ne alienetur, per textũ in. §. ſacratiſſimas. in auth. de alie. & emph. Intellige illud quod dicitur de conſuetudine, niſi ſit inducta per violentiã, quia tunc non poſſet præſcribi ſecundũ Bal. & alios. Et Prælatus, qui ſolitus eſt maſculos infeudare, poteſt alterare naturam ex cauſa, & infeudare fœminas propter aliquod meritũ recipientis ſecundum Dd. Et adde Bar. in authen. qui rem. C. de ſacroſan. eccle. Et Rex poteſt infeudare, quando infeudatio non eſt in magna diminutione regalis iuriſdictionis, de quo per Bald. in præludijs huius libri in c. intellecto. de iureiurando per Bart. in l. prohibere. §. planè. ff. quod vi aut clam. nec ſucceſſor poteſt reuocare. c. nouit de iudic. nec legatus de latere poteſt infeudare, niſi ſit ſibi conceſſum ſecundum Barto. ind. §. planè.

§. Et quia vidimus.

Allegatur textus iſte, quòd filij ſuccedunt æqualiter in feudo, etiamſi ſint inæqualiter inſtituti, & quòd in feudo nouo nõ ſuccedunt niſi deſcendentes, nõ autem

tranſuerſales, etiam ſi ſint fratres, niſi ſpecialiter exprimantur. Et nota ſecundũ gl. & Dd. quòd feudum regulariter eſt perpetuum & tranſitorium ad hæredes. fallit in feudo Guardiæ, Caſtaldiæ et ſimilibus, quia elapſo anno poſſunt auferri pro libito dantis, quia talia feuda dantur ratione officij: officia autem regulariter durant anno. l. Publius. ff. de conditio. & demonſtr. Et nota ibi glo. quòd hodie vſurpatum eſt per contrariam conſuetudinem, quòd etiam in feudis regalibus habeat locum ſucceſſio. Et nota etiam ibi glo. quòd in feudo paterno ſuccedit frater fratri, etiamſi frater inſtituiſſet alium extraneum hæredem: quia feuda non percipiuntur iure hæreditario, ſed ex prouidentia Principis, ſeu conſuetudinis feudorum, quæ ita ſtatuit. Et conclude ſuper glo. hîc ſecundum Dd. quòd ſi vaſallus delinquat in dominum, tunc dominus prefertur in feudo delinquentis omnibus etiam deſcendentibus & agnatis ipſius delinquentis, ſiue feudum ſit nouum, ſiue antiquum: ſi verò delinquat in alium, quàm dominum, ſi feudum eſt nouum, reuertitur ad dominum: ſi verò antiquum, ad agnatos excluſis omnibus deſcendentibus: ſi verò vaſallus committit culpam in alienando, ſi eſt nouũ, ad dominum: ſi antiquum, ad agnatos. et de iſtis in tit. ſi vaſal. feudo priue. per Dd. in. §. ſi. in tĩ. quæ fuit prima cauſa beneficij amitten. Nota etiam gloſ. quòd vaſallus delinquens poteſt ſatisfacere domino de culpa, & dominus poteſt ſibi culpam remittere,

remittere, de quo per Scribẽtes in.c.j.§.inſuper.de prohibi. aliena. feudi per Federic. Et nota ſecundum Dd. ſuper glo.hîc quod valet conſuetudo, quòd fœminæ ſuccedant iu feudo. limita tamen quod dicitur in textu, quòd frater non ſccedit fratri in feudo nouo, niſi ſit dictum, quod hoc non procedit, quando fuiſſet feudũ emptum de communi pecunia fratrum domino ſciente & ſtantibus fratribus in communione, ſecundum gloſ.& Dd. Et licet regulariter feudum ſpectet æqualiter ad filios, vt in hoc textu, tamen fallit in multis caſibus hîc enumeratis per Scribentes, quos videbimus in locis ſuis. Et filius exhæredatus non ſuccedit in feudo, ſi exhæredatio habuit vires, vt quia ex teſtamento fuit adita hæreditas. Et nota pulchrum textum in tit. quæ fuit pri. cauſa beneficij amittendi.§.prædictis modis. quòd quælibet cauſa, quæ eſt ſufficiens ad exhæredationẽ, eſt ſufficiens ad feudi priuationem. Et de materia quæ habetur in hoc.§.vide quod habetur in.c.j.de benefi.fra.in c.j. de fratri. de nouo ben. inueſti. Et tangunt hîc Scribentes, an in feudis habeat locum ius accreſcendi:& nota ſingulariter vltra eos, quòd in feudis conceſſis à Principe habet locum ius accreſcendi Bal.in.l.j.§.in primo. C.de caduc. tollend. Alex. in.l.ſi mihi & Titio.ff. de verborum obligat. Iſtud ergo quod dicitur hîc, habet locum in inferiore à Principe.

§. Hoc autem notandum eſt.

Allegatur textus iſte, quòd fœminæ regulariter remouentur à ſucceſſione feudorum, ſiue extent maſculi, ſiue non. Hoc tamen fallit niſi feudum eſſet eius naturæ & qualitatis, vt ſuccedere poſſint, & tunc ſuccedunt: ſi non extant maſculi. Fallit etiam in caſibus, vt ſi fœmina redemit, vel ex amore fuit inueſtita, vel ſit conſuetudo. Et ſic nota caſum, in quo fœmina eſt deterioris conditionis, quàm maſculus: & ideo eſt in caſu iſto, quia dominum ſuum iuuare non poſſunt per pugnam, quod fœminæ facere non poſſunt propter ſuam fragilitatem. & de alijs vide quod habetur in. l. in multis. ff. de ſtatu homin. Et non ſolùm fœminæ ſunt excluſæ, ſed etiam maſculi deſcendentes ex eis, vt in textu, licet non ceſſet ratio in illis, quæ eſt in fœmina, quòd pugnam facere non poteſt. Sed ratio eſt, quia ſucceſſor non debet eſſet melioris conditionis, quàm auctor ſuus. Item quia ſucceſſiones non fiunt per ſaltum, vnde neceſſarium eſt, quòd gradus ante ſe ſit ſucceſſibilis, quoniam deſtructo ordine, deſtruitur ordinabile ſecundum Bald. & licet ceßet ratio, de qua in textu, non ceſſant aliæ regulæ communes. Et nota, quòd licet mulier armaret ſe, & iret ad pugnam, non propter hoc efficeretur capax ad ſuccedendum in feudo, quia vbicunque ſunt plures rationes idem inducentes, licet vna ceſſet, & aliæ remanent, non ceſſat diſpoſitio,

tio, & pro hoc vltra Aluaro. allegatur textus in.§. affinitatis.Inſtit. de nuptijs. quia vaſallus debet eſſe conſtans.c.j. de noua form. fidelitatis, qua conſtantia non cadit in mulierẽ. Inſtit. quibus alie. licet vel nõ, in princ. Et tu allega glo. in.l.j. C. de confirman. tuto. quæ dicit, quòd fragile & mutabile eſt ſemper conſilium mulieris. Et quia vaſallus debet præſtare conſilium domino, quod conſilium mulieres non habent, vt in prædicta gloſ. & adde ad iſtum textum ea quæ habentur in.c j.§. quinetiam.inf. Epiſcop. vel Abba. in c. filia. inf. de ſucceſſ. feu.

§.Hoc quoque ſciendum eſt.

Allegatur textus iſte, quòd vbi tractatur de ſucceſſione collateralium, non deſcendentium à primo acquirente, regula eſt, quòd iſti tales tranſuerſales inter ſe non ſuccedant, niſi in inueſtitura expreſſè dictum ſit, & caſu quo dictum ſit, vt inter ſe ſuccedant, non extenditur talis ſucceſſio, niſi vſque ad ſeptimum gradum, ſed feudum prædictum reuertetur ad dominum. Si verò tractatur de ſucceſſione collateralium, qui deſcendunt à primo acquirente, tales collaterales inter ſe ſuccedunt in infinitum. Et idem dicendum de ſucceſſione deſcendentium per lineam directam à primo acquirente. Nota gloſ. in dicto.§. quòd in ſucceſſione tranſuerſalium non ad-

mittitur ſucceſsio intra ſeptimum gradum, niſi probauerit per duodecim ſacramentales, deponentes iſtũ petentem eſſe intra ſeptimum gradum & propinquiorem defuncto, quando controuerſia eſt inter volentem ſuccedere, & curiam regiam ſeu fiſcum. Ex qua glo. notabis hoc, quòd fortior probatio exigitur contra fiſcum, quàm contra priuatum in cauſa feudali. Nota etiam *ex gl. de teſtibus ſacramentalibus. Ideo autem dicuntur teſtes ſacramentales, quia ſunt teſtes expurgatores iurantes & deponentes per ſacramentũ credulitatis & conſcientiæ ſuæ ita eſſe, ſicut principalis eos producens dixit. Et de iſtis habetur in ti. de cõſue. rec. feu. §. ſacramentũ. & in multis alijs locis in hoc libro, de quo etiam in. c. de teſtibus. de purga. cano. Et nota quòd filius emancipatus admittitur ad ſucceſsionem feudi: quia hodie ſublata eſt talis differentia, vt communiter concluditur per* Dd.

§. Notandum eſt autem.

Allegatur textus iſte, quòd propria natura feudi eſt, vt vaſallus non poſsit diſueſtiri ſine cauſa. c. j. de feudo ſine cul. non amittend. Probat etiam textus iſte, quòd feuda poſſunt per pecuniam acquiri, de quo per gloſ. & Dd. *in. c. j de benefic. fratris.* Nota *gloſ. hîc, qua probat, quòd Imperator non poteſt diſueſtire vaſallum ſuum. dicit Aluaro. quòd licet Imperator hoc poſſit facere de plenitudine poteſtatis, tamen non poteſt facere de iure, vt eſt caſus inf. de nat. feudi, in princi.*

& eſt

& eſt ratio, quia tenetur ſeruare ſuas leges & conſuetudines, cùm ſit ligatus & ſubiectus legibus. l. digna vox. C. de legib. facit textus in reg. decet. de regu. iuris in 6. Itē quia Imperator nō poteſt de iure auferre ius meum, & dare alteri. l. reſcripta. l. quotiens. C de prec. Imperator. offerren. hæc ſunt dicta Alua. quæ non puto bene dicta, & primo nego, quòd Imperator ſit ſubiectus & ligatus legibus: quia hoc eſt contra textus in. l. ex imperfecto. C de teſtamen. vbi dicitur, quòd eſt ſolutus, ſed fateor quod de honeſtate debet viuere legibus, vt in d. l. digna vox. & in reg. decet. & teneo quòd de iure poſſit ex cauſa auferre alicui feudum. Nam poteſt auferre dominium directum ex cauſa. l. Lucius. ff. de euictio. l. item ſi verberatum. §. j. ff. de rei vendica. ergo fortius, vtile tantùm: & ſi Alua. intellexit hoc modo, quando dixit de plenitudine poteſtatis, ſecus de iure, tunc bene locutus eſt. Et de hac materia adde notata plenè per Dd. in. c. quæ in eccleſiarum. de conſtit.

DE FEVDO GVARDIAE & Caſtaldiæ.

TITVLVS II.

Item illud quod datur.

Allegatur textus iſte, quòd hoc feudum eſt reuocabile abſque culpa vaſalli elapſo anno, nec tenetur reuocans ad reſtitutionē precij, quod recepiſſet pro conceſſione talium feudorum: quia contractus reſoluitur ſui na-

 tura,

tura,vt iſta habentur in.c.j.in prin.hic.Et ſic iſtud eſt feudũ irregulare Guardiæ ſcilicet & Caſtaldiæ, quod datur pro mercede alicuius rei in feudũ. Et dicitur irregulare, quia non habet ꝓprie naturã feudi. Et,vt breuiter intelligas,feudũ Caſtaldiæ eſt, quod concedit dominus alicui propter Caſtaldiã,quam exercet qui eſt Caſtaldus domini. Guardia verò eſt,vbi quis deputatur ad Guardiã alicuius caſtri,et ꝓpter hoc feudũ ſibi cõſtituitur,vel habet talis Guardia annexũ feudũ.Feudũ autẽ, quod ꝓ mercede datur,dicitur illud feudũ,quod eſt cõceſſum alicui in mercedẽ ꝓpter laborẽ ſuũ,quæ feuda intelliguntur cõceſſa ad annũ, niſi expreſſè caueatur ad longius tẽpus, vt in hoc textu. Et potes ponere exẽpla pro mercede alicuius rei,vt ſunt feuda deputata pro aduocatoria,procuratoria, cancellaria, & de ſimilibus,quibus erant annexa feuda,vt probatur tit.de pace tenen. §.quicunque. Et pro introitu talium officiorũ ſoluebatur domino certũ precium taxatũ ſecundum qualitatẽ officiorũ,& finito officio ,finiebatur feudũ tanquã acceſſorium ad ipſum officiũ, & eligebatur alter officialis ad illud officiũ,nec reuocabatur propter hoc preciũ ſolutum pro introitu officij:quia iam illud officium,pro quo dabatur preciũ,habuerat ſuam executionẽ. Sed quærit Bal.quòd ſi dominus auferat officium intra annũ,an in conſequentiã videatur etiam abſtuliſſe beneficium? Et reſpondet quòd ſic, ſi iuſtè & cum cauſa: aliàs ſecùs, quia tunc retinebit feudum vſque ad tempus debitum,

ſed

ſed poſt annum non requiritur cauſa.

§. Si verò.

Iſte textus allegatur, quòd ſi vaſallus ignoranter accipit in feudũ Guardiæ & Caſtaldiæ illud feudũ, quod erat ſuum propriũ, rectum & ſimplex, niſi probet de iure ſuo, nõ poterit ſibi defendere poſſeſſionẽ, ſed cogetur reſtituere, & ideo dicitur ignoranter ſecundũ gl. quia ſi ſcienter accepiſſet in feudũ Guardiæ, videretur renuntiaſſe iuri ſuo primæuo. Et iſta glo. poteſt allegari ad tria. Primò, quòd ſi per impreſſionẽ vel errorẽ ſit facta recognitio feudi, aliter quàm ſit ſolitũ, quòd talis recognitio non nocet cauſa cognita. facit quod habetur in l. cùm falſa. C. de iuris & facti ignorantia. Secundò vbi aliquis habet ius in aliqua re, & ſcienter contrahit ſuper ipſa re, ſibi præiudicat, de quo per gloſ. & Dd. in. l. ſi rem aliquam. ff. de acqui. poſſeſſio. facit. l. qui rem. C. loca. Tertiò, quòd in factis antiquis potius præſumitur error & ignorantia, quàm in recentibus, quod patet, quia iſta gloſ. præſupponit, quòd iſte vaſallus ignorabat qualitatem ſui feudi, quod non eſſet veriſimile, ſi factum eſſet recens, quod eſt ſingulare ſecundum Dd. ſed tu adde Bart. in. l. ſi quis delegauerit. ff. de noua. in. l. qui fundum. §. ſeruus meus. ff. pro emptore. vbi dicit hoc procedere, quando tractatur de damno vitando, ſecùs de lucro. quia imputaretur ſibi, quare nõ rememorauit. Addo etiã Bar. in. l. nõ fatetur. ff. de confeſſis. quod tamẽ limitatur, niſi eſſet factũ

graue

graue & notabile.c.cùm illorũ.de ſenten. excommuni. Fallit etiam, vt ſingulariter per Bal.in.l. vnica, in xiiij col.C. de confeſſis. niſi factum eſſet obligatorium, quod eſt notabile. Et nota, quòd in iſto textu nõ ſufficit probatio per iuramentũ, quia vaſallus eſt, vel fuit Caſtaldio, & ideo propter ſuſpicionem officij non ſufficit iuramentum, & ideo probat ipſe & non dominus: quia hoc conſtabat, quòd iſte vaſallus erat vel fuerat Caſtaldus, & ſic non obſtant duo contraria §. item ſi vaſallus.inf. tit.iiij.in c.ij.in fin. ſi de inueſtit. inter do. & vaſal. lis oriatur. Et ad adducta per Alua. hîc, an tutores & alij poſſint emere de rebus cõceſſis ſuæ adminiſtrationi, adde notata per Bal.plenè in.l.cùm ipſe.C.de contrahen. emptio.per Imol.in.l.j. §.fuit quæſitum.ff. ad Trebell. & dum remittit ad Bald. in.l. cùm oportet.C.de bonis quæ libe.vtrum officialis præſumatur acquiſiuiſſe occaſione adminiſtrationis, adde tu Bal.in auth.licentiã.C. de epiſcopis & clericis.dum allegat gl. ſingularem in.l. facultas.C.de iure.fiſci.libr.x. Et ius Caſtaldiæ non poteſt præſcribi, poſtquam cõſtat quòd ſemper habet cauſam à domino, per ea quæ habentur in.l. malè agitur. C.de præſcrip.xxx annorum.

QVI SVCCESSORES FEVdum dare teneantur.

TITVLVS III.

Suppleas iſtam rubricam, quia non eſt perfecta, Qui ſucceſſores, ſci-

res,ſcilicet clerici vel laici teneantur implere inueſtituram factam à prædeceſſoribus.

Si verò Archiepiſcopus.

Allegatur textus iſte,quòd ſucceſſor prælati adimplere inueſtituram non compellitur,quam ſuus præceſſor fecerat de feudo, quod ab alio vaſallo tenetur, niſi ipſe inueſtitus iam fuit miſſus in poſſeſſionem dicti feudi conſentiente dicto vaſallo primo: vel niſi ipſe primus vaſallus iam mortuus ſit viuente Prælato inueſtiente. Laici verò & eorum hæredes tenentur omnimodo huiuſmodi inueſtituram adimplere. Et ratio doctrinæ eſt, quia Prælatus Prælato non eſt hæres. & ſic præceſſor & ſucceſſor in Prælatura non reputantur eadem perſona, & ex hoc non poteſt prædeceſſor ſupplantare ſucceſſorem præueniendo ante tempus: ſed in hærede domini veri aliud eſt, quia gerit vicem domini. Et intellige iſtum texum, quòd loquitur de inueſtitura facta in diem, vel ſub conditione, vbi ſit doctrina inter clericum et laicum inueſtientem, de quo hîc per glo. Nam inueſtitura purè facta, non valet niſi fiat de conſeuſu poſſidentis. Et nota ſecundũ Dd. quòd Prælatus vel laicus inueſtiens de feudo nondum aperto, non poteſt reuocare dictam conceſſionem, antequam aperiatur: quia talis cõceſſio eſt permiſſa de cõſuetudine feudorũ: ſecùs ſi per importunitatem impetrantis fuiſſet facta talis conceſſio: quia tunc poſſit reuocari, & hoc, quando conſtaret de inopportunitate inducentis Prælatum non ſpontaneum: non autem

tem eſſet ſimpliciter credendũ ipſi Prælato p̄ ea, quæ notat Io. An. in. c. ex parte. de verb. ſig. facit. l. omnibus. C. de teſti. Nota etiã ſecundũ Dd. quòd in caſu iſtius textus requiritur, quòd vaſal. tenẽs feudũ conſentiat expreſſè, quia tractatur de p̄iudicio tertij, ſcil. ſucceſſoris Prælati.

SI DE INVESTITVRA FEVdi controuerſia fuerit.

TITVLVS IIII.

Et nota, quod in iſto titulo tractatur, quis debeat probare inueſtituram. & vltra adducta per Alua. in hac rubrica, quæ doctrina ſit inter controuerſiam & quæſtionem, adde tu Bart. notabi. in. l. amplius non peti. ff. rem ratam habe.

Si autem controuerſia.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus per probationes legitimas probet de inueſtitura, cogitur dominus eum in poſſeſſionem feudi mittere: vaſallo verò non probante, ſed in poſſeſſione exiſtente, defertur ſacramentum: vbi verò vaſallus neque probat, neque eſt in poſſeſſione, tunc dicta controuerſia dirimitur per ſacramentum domini. Et ex his quæ habentur in hoc principio conclude, quòd vbi agitur de noua inueſtitura, & dubitatur an ſit facta, vel nõn, debet fieri probatio per Pares Curiæ. quod intelligas verum, quando dominus habet Pares: ſecùs autẽ quando non haberet: quia tunc etiam poſſet fieri probatio per teſtes extraneos, vt notant glo. & Dd. hîc. Poteſt etiã fieri talis probatio per publicum inſtrumentum, in quo ſint deſcripti duo vel tres Pares. Et conſuetudo, quæ eſſet, quòd in inſtrumento ſuffi-

to ſufficerent extranei, eſſet ſolùm ſeruanda in loco ſuo, & nõ trahenda ad alia loca. Conclude etiã, quòd per inueſtituram verbalẽ & abuſiuam nõ adipiſcitur vaſallus poſſeſſionem: feudũ tamen eſt bene acquiſitũ vaſallo, & ideo dominus tenetur preciſe ad traditionem poſſeſſionis: quod intellige, quando habet poteſtatẽ rei tradendæ, aliàs tenetur ad intereſſe ſecundũ Dd. & ſi dominus eſt moroſus in tradendo dictam poſſeſſionẽ, tenebitur reſarcire ipſi vaſallo omnẽ vtilitatem, quam habuiſſet, ſi incontinenti fuiſſet tradita poſſeſſio. Conclude etiã, quòd poſſeſſio corporalis inducit præſumptionẽ pro vaſallo poſſidente, vt propter ipſam poſſeſſionem in dubio deferatur ſacramentũ vaſallo ad tollendam controuerſiam: quod tamen intellige ſecundum gl. & Dd. cõcurrentibus duobus. Primò, quòd ipſe vaſallus ſteterit & perſeuerauerit in poſſeſſione feudi ad minus per annum domino ſciente & patiente. Secundò, quòd bona fide & iuſtè poſſederit, & non doloſe. Tu habes regulam, quòd actore nõ probante reus debet abſolui, etiam abſque iuramento, tamen in materia feudali, vbi vaſallus nihil probat de iure ſuo, poterit iudex ſi ſibi videbitur nihilominus deferre iuramentũ domino, vt in hoc textu, quod tamen intellige ſecundũ Bal. quòd vbi dominus vult abſolui, quia nihil eſt cõtra eum probatũ, tunc nõ oportet quòd iuret. c. ij. de proba. ſed ſi vult abſolui, quia vaſallus nõ eſt vaſallus, tunc debet iurare vt hic. Nota tamẽ ſecundũ gl. & Dd. quòd ſi contro. feudi verta-

vertatur inter dominum & vaſallum, & neuter eorum poſſideat feudum, & in dicta cauſa ſit locus delatoni iuramenti, quod erit arbitrarium, cui deferatur, attentis circumſtantijs debitis, de quo in ca.j.§. ſacramentum. de conſue.recti feu. Et nota vnum pulchrum dictum Bal.infra eo.§.item ſi vaſallus. quod adducit Alua. quòd quando ex forma ſubſtantiali ipſius actus vel ꝓbationis, eſſet neceſſarius certus numerus teſtium, tunc talis actus non poſſit ſuppleri per iuramentum, vel per alias coniecturas: quia immo debet probari per ipſos teſtes ſubſtãtiales. Quærunt Doctores, an dominus poſſit cõpellere vaſallũ, vt oſtendat ſibi ſuã inueſtiturã? & conclude ſic, quòd pares interrogabunt, an ſit vaſallus: & ſi dicat, quòd ſic, mandabunt quòd oſtendat titulum: ſi autem negat, & conuincitur de mendacio; tunc perdit feudum, iuxta ea quæ habentur in. c. vaſallus feudum. ſi de feu. ſue. controuer. ſic dominus non poteſt hoc facere per ſe: & ideo dicit Bar. in. l. j. C. de conducto. & procu. li. xi. quod ſi Rex facit citari ſuum Baronem, vt oſtendat iura, quæ habet in caſtris, quæ poſſidet, aliàs auferret ſibi ea, talis citatio eſt ipſo iure nulla, cùm nemo titulũ ſuæ poſſeſsionis oſtendere cogatur. l. cogi. C. de petitio. hæredi. quod eſt notabile ſecundum eum.

§. Si verò.

Iſte textus allegatur, quòd cum dictum ſit in principio, quando vaſallus non eſt in poſſeſſione, neque probare

bare poteſt de inueſtitura feudi, de quo eſt controuerſia, debet ſtari ſacramēto domini pro dirimenda dicta cōtrouerſia: quod intelligitur, ſi nō habet aliud feudum à domino indubitatum, de quo non eſt controuerſia ad tollendam dictam controuerſiam, ſtaretur ſimplici aſſertioni domini abſque ſacramento, vt in hoc textu. Ratio autē eſt, quare remittitur ſacramentū domino hoc caſu, propter reuerentiam ipſius domini quem conſtat eſſe dominum.

§. Cùm autem.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus legitimè probauerit ſe ſouere ius in parte feudi per ipſum poſſeſſi, obtinere debet etiam in alia parte, de qua verſatur quæſtio inter ipſum & dominum: & intellige quòd vaſallus ſtetit in poſſeſſione ſuæ partis poſſeſſæ ſaltem per annum, prout dictum eſt ſupra: & ex hoc textu conclude quòd dominus poteſt accipere à vaſallo ſuum vtile dominium, & dare ſibi per cambium in alia re dominium directum & vtile, quod intelligas de voluntate ipſius vaſalli, aliàs ſecus c. j. de feudo ſine culpa non amitten. Oportet tamen quòd tale cambium ſeu permutatio probetur per Pares curiæ, vel breue teſtatum, ad ſimilitudinem nouæ inueſtituræ ſecundum gloſ. & Dd. Et nota gloſ. quòd vaſallus, qui ratione partis poſſeſſæ obtinet in parte non poſſeſſa, prout hoc diſponitur, habet neceſſe iurare dictam partem nō poſſeſſā eſſe de ſuo feudo. Et nota, quòd ſi vaſallus non pro-

bat plenè, ſed ſolùm ſemiplenè de iure ſuo, tunc debet iurare cum duodecim ſacramentalibus, ſi obtinere vult vt hîc in textu & per glo.

§ Item ſi vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus poßidens feudum tanquam rectũ, tenetur illud reſtituere domino, probanti ſe per Guardiam conceßiße, niſi vaſallus probauerit ſe poſt dictam Guardiam ſuſcepiße illud in feudum rectum: vbi verò dominus nihil probat, definitur controuerſia per ſacramentum vaſalli poßidentis. Nota quòd ex iſto textu colligitur limitatio ad regulam quæ eſt, quòd poſt didiſcita teſtificata nõ poßunt teſtes produci, vt in. c. fraternitatis. de teſti. quia illud intelligitur ſuper eiſdem capitulis, ſed in caſu noſtro producebãtur noui articuli ſeparati totaliter ab his, ſuper quibus erant examinati teſtes: quia poſt probationes domini, probantis feudum eße Guardiæ, admittitur vaſallus reus ad probandum, per poſterius tale feudũ fuiße conceßum in feudum rectum. & vide de materia in d. c. fraternitatis. in authen. At qui ſemel. C. de probatio. in Cle. teſtibus de teſti. in. l. officium. ff. de rei vendica. Et nota quia iſte textus vult, quòd mendacium & veritas poßunt ſimul ſtare conſiderata diuerſitate temporis: nam dicebat vaſallus eße feudum rectum, quod licet fuißet feudum Guardiæ, & hoc negaßet, tamen

men conſiderata veritate præſenti admittitur ad probandum, quia iſta poßunt ſtare ſimul, quod fuerit feudum Guardiæ, & nunc ſit rectum, vnde negatio non fuit falſa. & hoc præſtat argumentum ſecundum Dd. de eo, qui negauit ſe occidiſſe, quòd conuictus poßit probare quod ad ſuam defenſionem fecit: quoniam negando ſe occidiſſe, intelligitur negare eo modo, quo proponitur, ſcilicet vt puniatur: & ſic non eſt ſibi contrarius.

§. Similiter.

Allegatur textus iſte, quòd poßidens rem tanquam feudalem, tenetur illam reſtituere domino probanti ſe illam loco pignoris dediſſe, niſi ipſe poßidens probauerit ſe poſt dictam pignorationem recepiſſe dictam rem nomine feudi: vbi verò dominus nihil probat, ſtabitur ſacramento dicti vaſalli poßidentis. Et intellige hunc textum ſecundum Dd. quando vaſallus negat ſe aliquo tempore pro pignore accepiſſe, quo caſu dominus probat. Quærit Bald. hic, & refert Aluaro. nunquid iudex ſæcularis cognoſcens de pignore, potuerit & conſequenter cognoſcere de fructibus prouenientibus et vſuris ex dicto pignore? Et dicit Bal. ſecundum eũ, quòd iudex ſæcularis poteſt cognoſcere, quando quæſtio vſuraria incidit pignoratitiæ actioni: ſecùs ſi principaliter et de per ſe moueatur quæſtio: quia tũc ſpectat cognitio ad iudicem eccleſiaſticum Cle. diſpendio-

ſam.Cl. de iudi. Sed aduerte, quia nõ puto quòd iſta nõ fuerit intentio Baldi, ſed vult facere doctrinam, an ſit quæſtio iuris, an facti: quia ſi eſt quæſtio iuris, ſiue veniat incidenter, ſiue principaliter, non poteſt ſe intromittere iudex ſæcularis. ponamus quod incidenter coram iudice ſæculari dubitatur, an aliquis contractus ſit vſurarius, vel non: certa cognitio ſpectat ad eccleſiam, iſtud eſt quod voluit Bal. & pro hoc allego Bar. in l. omni innouatione. C. de ſacroſan. eccle. in l. Titia. ff. ſoluto matrimonio. in l. ij. ff. de iuriſdicti. omni. iudicum.

§. Si quis de manſo vno.

Allegatur textus iſte, quòd ſi contentio ſit inter dominũ & vaſallũ de incremento feudi, & dominus in loco feudi ſibi reſeruauit aliquid, tunc vaſallus debet probare ſe inueſtitũ de tali incremento. Idem dicendũ, ſi dominus nihil ſibi reſeruauit, ſed tamen vaſallus non eſt in poſſeſſione incremẽti: ſi verò eſſet in poſſeſſione, tunc ſtabitur eius ſacramento abſque alia probatione. Et nota, quòd eſt altercatio inter Scribentes circa intellectum iſtius textus, an intelligatur de omni incremento, latente ſcilicet & apparente: nã aliqui volunt, quòd textus iſte intelligatur ſecundũ diſtinctionem textus in l. item ſi fundi. §. huic vicinus. ff. de vſuf. vbi latens incrementum ſpectat ad vſufructuariũ, patens ad proprietarium: ſed tu tene opinionem Bal. quantum ad caſum iſtius. §. videlicet, vt propter talem reſeruationem omne incrementum ſiue latens ſiue apparens ſit, intelligatur

ligatur eſſe ipſius domini, niſi contrarium probetur per vaſallum: quia hic eſt textus ſatis clarus, qui loquitur de omni incremento in principio, & qui omne dicit, nihil excludit. l. procuratorem. C. mandati. Nec videtur eſſe ratio reſtringendi iſtum textum, nec procedit ratio de vſufructuario, quia in incertis non certus locus eſt coniecturæ. iſta eſt lex noua non diſtinguens, ſed generaliter loquens. Nota vnam limitationẽ ad textum ſingularem in. l. ſi quis ſepulchrum. ff. de religio. vbi cogitur vicinus dare viam eundi ad ſepulchrum mediante precio, quod ideo ibi datur precium, quia ille volens viam eundi, nullum ius habebat in loco: ſecùs vbi haberet ius, quia tunc non tenetur dare precium, vt quia ad incrementum, quod eſt domini, non poteſt ire dominus, niſi per loca feudi, tunc vaſallus tenetur dare viam domino ſine precio, quia dominus habet directum dominium in feudo, in quo petit viam ſecundum Dd. quod eſt notabile. Et nota quod Bald. tenet hìc, quòd propter incrementum, quod applicatur vaſallo, ſit obligatus ad maius ſeruitium, quàm ſit ſolitum, nec pro tali incremento requiritur noua inueſtitura ſecundum Dd.

§. Rurſus.

Allegatur textus iſte ſecundum vnam lecturam, quæ eſt vera, quòd recipiens inueſtituram feudi à domino cum omni incremento ſibi acquirit omne incrementum: ſi verò iſte vaſallus inueſtiat alium de eodem

feudo, & cum eadem conditione, ſi incrementum accedat poſt mortem primi vaſalli, ſpectabit ad dominum, vel ad eos, ad quos tale feudum reuerſurum eſt Et probat textus iſte iuncta glo. quod reſoluto iure datoris reſoluitur ius acceptoris. concordat textus in. l. lex vectigalis. ff. de pigno. Hoc tamen limitat Bald. in eo iure, quod habet dependentiam ſucceſſiuam à iure dantis, non autem in eo iure, quod primo inſtanti fuit perfectum, & non dependet amplius à iure dantis. l. poſt contractum. ff. de donatió. l. donationes. C. de donatio. inter virum & vxorem. l. ſi ſuperatus. ff. de pigno. Et in materia feudali limita ſecundum Dd. niſi iſte vaſallus ſecundus vellet recognoſcere dictum feudum à domino primò, & ſibi ſeruire, & iuramentum præſtare: quo caſu non reſoluitur ius ſecundi acceptoris, dum tamen iſta ſecunda infeudatio non ſit facta in fraudem: quia tunc omnino reſolueretur. Limitatur & ſecundò, niſi primus vaſallus inueſtiuiſſet proximum agnatum, qui ſibi erat ſucceſſurus: quod tamen intellige niſi primus vaſallus eſſet priuandus per culpam commiſſam in dominum: quia tunc feudum applicaretur domino. Et ſic ex dictis apparet, quòd vaſallus poteſt alteri feudum ſuum infeudare: quod intellige etiam ſine permiſſu domini, dummodò bona fide & ſincerè, & infeudet æquali, & ſub eiſdem modis & conditionibus, quibus ipſe habet, de quo per gloſ. & Dd. in. §. præterea. in tit. de capit. Cor. Et nota ſecundũ Bal. & Aluar. quòd prior

dominus

dominus poterit compellere ſecundum vaſallũ per ſubtractionem feudi ad ſibi ſeruiendum: quia poteſt deuenire ad ipſum ſecundum vaſallum in ſubſidiũ tanquam debitorem debitoris. Et an vaſallus vaſalli mei ſit meus vaſallus, Dd. remittunt ad notata in l. de acceßionibus ff. de diuer. & tempora. præſcrip. Et dicitur reſolui ius primi vaſalli datoris propter reliquias remanentes & iura ſeruitiorum: quia ius vtile, quod habebat, tranſtulit in alium, iuxta ea quæ habentur in l. ex aſſe. ff. ad Trebel. ſecundũ Bal. Quærit Bal. dominus cõceßit quodã dam ſuum territorium in feudum duobus pro diuiſo: vnus per iuſtum errorem præſcripſit fines alterius, præſcribente mortuo ſine hærede, an debeat portio præſcripta reuerti ad dominum, vel ad conuaſallum? Et reſpondet, quòd ad dominum.

QVIBVS MODIS FEVdum amittatur.

TITVLVS V.

Quia ſuprà dictum eſt.

Allegatur hoc principium, quòd vaſallus amittit feudum, ſi dominum ſuum in prælio pugnantem non mortuum nec ad mortem vulneratum dereliquerit. Et intellige quòd amittit per ſententiam, non ipſo iure. Aluaro. hîc adducit Andre. de Iſern. quòd ſi

quis occiderit vulneratum ad mortem, debet puniri auctoritate ſacræ ſcripturæ. Sed tu allega textum ſingularem in. l. item Mela. §. Celſus. ff. ad. l. Aquil. quem textum allegat Roma. in ſingularibus ſuis. Et vaſallus tenetur iuuare dominum & defendendo & offendendo, quando eſt certum, quòd habet iuſtam guerram: ſi autem certum eſt, quòd habet iniuſtam, tenetur iuuare ad defendendum, non ad offendendum: ſi autem eſt dubium, tenetur ad vtrumque, de quo in. c. j. in prin. in ti. hîc finitur lex. Nota glo. quæ quærit, quòd ſi vaſallus, qui non tenebatur iuuare dominum iniuſtè præliantē, cœpit eum iuuare, & poſtea dereliquit, an priuabitur feudo? & concludit quòd non, & idem Dd. Si tamen vaſallus, qui incœpit iuuare, perfidè agendo fuiſſet cauſa, quòd alius non iuuaret, qui erat paratus, ſi vaſallus non iuiſſet, tunc teneretur domino ſecundum Dd. Nota etiā glo. quòd ſi vaſallus non poteſt iuuare dominum, quia abſciſſis brachijs eſt inhabilis & aufugit, non priuabitur feudo. Dicit tamen Bal. quòd ſi poteſt clamoribus iuuare dominum, debet hoc facere. l. cum domino. ff. ad Sylla. Nota etiam glo. notabilem hîc, quæ vult, quòd ſi vaſallus debet defendere dominum, oportet quòd moriatur, ſi non defendit, oportet dominum mori: ſi hoc certum eſt, debet potius præeligere vitam propriam, nec perdit feudum, licet ſecùs ſit in ſeruo reſpectu domini. l. j. ff. ad Sylla. Quia poteſtatem maiorem habet dominus in ſeruo, quàm in vaſallo, & ideo non eſt bona comparatio.

ratio. Et licet fuga vaſalli non noceat domino, tamen debet puniri ſecundum Dd. propter malum exemplum, quod dedit alijs. Et nota hic vnum dictũ notabile Bal. quòd medici ſint varij in opinionibus, an quoddam vulnus eſſet mortale vel non, debet iudicari contra percuſſorem. Et procedit textus iſte ſecundum Bal. quòd ſi dominus fuit ita vulneratus, quòd non poterat euadere, tamen poſt fugam vaſalli fuit iterum vulneratus & citius mortuus eſt, vaſallus amittit feudum. Nota etiam ſecundum Bal. & Aluar. quòd vaſallus tenetur ſequi dominum ſuum ad bellum, et ſibi ſeruire etiam extra territorium, quia vbicunque eſt dominus cum exercitu, ibi intelligitur eſſe territoriũ ſuum. Intellige tamen quando bellum eſt iuſtum, prout ſuprà dictum eſt. Et ſi dominus habet guerram extra territorium, vt de nouo acquirat aliquam terram, non pro defenſione patriæ ſuæ, non tenentur vaſalli ire, ſi longè vult dominus eos traducere extra patriã: ſecùs ſi parum extra patriam: ſed ſi dominus acquiſiuiſſet de nouo terram extra patriam etiam longè diſtantem, pro ipſa defendenda ſeu recuperanda tenentur ire ſecundum Dd. Et ſi duo fratres ſimul fuerunt inueſtiti ab eodem domino, & vnus deliquit in dominum, & alius ſua probitate ipſum defendit, excuſatur vnus propter alterum ſecundum Bal. ex coniunctione perſonarum & feudi. Dicit etiam notabiliter Bal. quòd ſi vaſallus reliquit dominum reuera mortiferè vulneratum, ſcilicet credens dominum non

ita vulneratum dimiſit, ſic non priuabitur feudis, quia licet error aliquando excuſet, tamen non auget delictum.

§. Item ſi fidelis.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus adulterans vel ſolicitans adulterare, vel turpiter tangens vxorem domini, amittit feudum. Idem dicendum, ſi concubuerit cum filia domini, aut filia filij, aut nuru: ſimiliter ſi cum ſorore domini adhuc manente in domo ipſius domini. Et intellige textum, ſiue cum vxore volente, ſiue inuita, & etiam marito mortuo, ſed ipſa perſeuerante in viduitate, licet in hoc Bald. teneat contrarium ſecundum Aluaro. ſed hoc non inueni in meo Bal. puto tamen hoc dictum eſſe verum per ea quæ habentur in. l. fin. C. de bonis mater. Et quia ſi vidua durante viduitate cõmitat ſtuprum, amittit dotẽ. l. ſi mulier. C. de adulte. vbi notabiliter probatur, quòd ille qui offenditur ex adulterio conſtante matrimonio, offenditur ex ſtupro viduitate durante. Nota gloſ. in hoc §. quòd ſi vaſallus contraxit amicitiam cum inimicis domini, quòd ex hoc amittit feudum: quam tamen gloſ. intellige ſecundum Dd. quando iſta copulatio amicitiæ fit in perniciem & damnum domini, aliàs ſecùs, quia ſola amicitia contracta non priuat. Nota etiam gloſ. quòd vbicunque poteſt præſumi vaſallum eſſe inimicum domini, quòd amittit feudum. Sed intelligas

telligas gloſ. ſecundum Dd. quòd vaſallus taliter verſatus ſit. vt potius credatur inimicus, quàm amicus & fidelis ipſius domini: vaſallus enim nunquam priuatur feudo ſine cognita & conuicta culpa, vnde poſſet præſumptionem contra ſe inductam elidere per aliam præſumptionem contrariam ſecundum Bald. Et ideo vbi eſſet dubium de cauſa amiſſionis feudi, relinquitur hoc diſcretioni iudicis. §. ſed quia. titu. quæ ſit prima cau. bene. amit. Nota etiam gloſ. quòd ſi dominus non fuit conqueſtus in vita de culpis commiſſis contra eum per vaſallum, quòd hæres domini non poterit. Sed Dd. dicunt quòd gloſ. procedit, quando dominus fuit ſciens & potuit querulari & noluit: ſed ſi fuit ignorans & etiam ſciens, & non potuit placitare, morte præuentus vel ex alia iuſta cauſa, tunc hæres domini poterit placitare de dictis culpis. Et vltra adducta Aluaro. adde tu iura, in quibus habêtur de hærede mariti, an poſſit opponere de adulterio vxori repetēti dotem ſoluto matrimonio, ſi maritus non oppoſuit, per Dd. in. l. rei iudicatæ. ff. ſoluto matrimonio. in. l. j. §. taceat. C. de rei vxo. actio. Io. An. in titu. de feudo. §. finali. Et licet dominus non placitauerit, ſi tamen conqueſtus eſt, poterit hæres eius placitare. Iacob. de Belui. in. §. quia verò. in authen. vt liceat ma. & auiæ. Pro quo eſt optimus textus in. l. j. in fine. ff. ad Sylla. in ver. conqueſtus eſt. Imo. in. l. cùm mulier. in vij. colum. ff. ſoluto matri. Nota etiam gl. quòd poſtquam vaſallus ſe exercuit, vt con-

concumberet cum vxore domini, & ipſum pœniteat, nõ priuabitur feudo. Et intellige gl ſecundum Dd. quando laborauit, ſed nõ deuenit ad aliquem actum: ſed ſi deuenit ad aliquem actũ, tunc punitur, nec per pœnitentiam liberatur. Nota etiam gl. quòd per has culpas commiſſas non perditur feudum ipſo iure, ſed requiritur ſententia, quia nõ eſt priuandus abſque cognita culpa, & ita volunt Dd. & ex hoc cõclude quòd circa amiſſionem feudi procedentem ex delicto requiritur proceſſus & iudiciũ & ſententia priuatiua: ſcilicet quando perderetur per contractum, dic vt dicetur infra de probib. aliena. feudi per Federi. §. callidis. Nota ſecundum Dd. quòd ſi vaſallus turpiter & inhoneſtè locutus eſt cum vxore domini ſui, non tamen tetigit eius perſonam, non priuatur feu. quia nõ tã turpe eſt colloquiũ, ſicut tactus: & maximè, quia ſumus in pœnalibus benigniores. l. interpretatione. ff. de pœn. tenebitur tamẽ domino actione iniuriarum ex hac turpi locutione, et priuatur etiã feudo, ſi tulit opem alteri concumbenti cum vxore, ſecundum Bald. l. & ſi amici. ff. de adulte. Nota etiam ſecundum Dd. quòd textus non procedit, ſi vaſallus ignoranter adulterauit vxorem domini: quod intellige niſi ſua ignorãtia eſſet craſſa et ſupina. Nota etiã ſecundum Dd. quòd eſt idẽ in cõcubina domini, quod in vxore, quãdo vterque eſt ſolutus: & idẽ dicunt de ſponſa domini: ſed videtur hoc intelligendum, non in ſponſa de futuro, ſed in ſponſa de præſenti, niſi communis vſus

loquen-

loquendi aliter diſpõeret, per ea quæ notat Abb. in .c. ſi inter. de ſponſal. Dicunt etiã Docto. quòd textus non procedit, ſi vaſallus cognoſceret pediſequam domini, licet ex tali inhoneſtate incidat vaſallus in periurium, non tamen perdit feudum: nec ex omni cauſa, ex qua vaſallus incidit in periurium, venit priuandus feudo, vt in loco ſuo videbitur. Et ſi vaſallus committat inceſtum, amittit feudum ipſo iure ſecundum Bald. in. l. j. ff. de rerum diuiſio. quæſtio. lj. quem refert Alua. hic. & licet Papa diſpenſet quoad matrimonium, non tamen recuperat feudum. c quamuis. de reſcript. in 6. Et quia dictum eſt ſuprà quod ſi vaſallus turpiter loquatur cum vxore domini, non tamen tangat perſonam, non priuatur feudo, ſed tenetur domino actione iniuriarum, poteſt dici, quòd etiam hoc caſu priuabitur feudo: quia ſi agitur criminaliter in actione iniuriarũ, pœna eſt arbitraria l. ſi. ff. de iniur. §. in ſumma. Inſtitu. eo ergo iudices poterunt priuare vaſallum ex ſola turpi locutione.

§. Similiter.

Allegatur textus iſte, ſi vaſallus inſultum faciat in perſonam domini, vel locum, in quo eſt, amittit feudũ. Idem dicendum, ſi vaſallus interficiat fratrem proprium ipſius vaſalli, vel etiam nepotem ex fratre. Et probat textus iſte, quod filius fratris dicitur nepos: & ſi tu vis videre multa vltra Alua. in hoc vide in meo Alphabeto in littera. N. Et nota glo. hic, & quod ſuper ea dicunt

dicunt Docto. quòd iſte textus procedit ſiue vaſallus ſciuerit ſiue ignorauerit dominum fuiſſe in caſtro: item ſiue dominus fuerit in caſtro ſiue non: quia ſufficit, quòd inſultauit caſtrum domini, ſeu locum in eius perniciem. Nota etiam, quòd poteſt intelligi textus de fratre domini, & tunc non amittit feudum, niſi proditoriè occiderit, quia tunc propter tale prodimentum, non poteſt amplius ſtare in Curia domini. & iſtud idem eſſet in quocunque extraneo interfecto proditoriè. Et etiam intellige de fratre propriè ipſius vaſalli, & tunc debet amittere feudum, etiam ſi non proditoriè, ſed tunc tale feudum tranſit ad agnatos, non ad dominum: quia tale delictum non reſpicit perſonam domini, de quo hîc per gloſ. & Docto. Et dum Aluaro. quærit, quid ſit offenſa, & quæ dicatur offenſa in perſonam, & adducit Bart. in. l. locatio. §. quid illicitè. ff. de publica. & adde tu Bart. in. l. cùm te. C. de inofficioſo teſtamen. Bart. Bald. & Imol. in. l. quidam cùm filiumfamilias. ff. de hæredi. inſtituen. Bart. in. l. ſed & quæſtionis. ff. de iniurijs. per Imol. in. l. Gallus. §. ille caſus. ff. de libe. et poſth. vbi refert Innocen. in. c. nuper. de ſenten. excommunica. an capiens frenum equi clerici & non permittens ire, ſit excommunicatus. Et tu allega gloſ. in. c. ſi clericos. in verbo, iniuria. de ſenten. excommunicat. in 6.

§. Aut ſi libellario.

Allegatur

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus olim vſque ad medietatem poterat alienare & obligare feudum, vltra verò medietatem non, & ſi contrarium faciebat, amittebat feudum, & reuertebatur ad dominum: ſed ſcias, quòd hodie nullam partem poteſt, vt in titulo de aliena. feudi per Lotha. & in c. j. in princ. de prohibi. aliena. feudi. per Federi. vbi etiam in nulla parte poteſt pignori dari ſine permiſſu domini, quòd ſi faciat, priuabitur vaſallus. quod tamen intellige ſecundum Bald. quando per talem pignorationem transfertur poſſeſſio corporalis rei feudalis in creditores: ſecus ſi eſſet pignoratio, vel hypotheca verbalis. Et ideo ſecundum Bald. ſi per teſtamentum vel ſtatutum prohibetur alienatio ſub pœna, nunquam per verbalem pignorationem, vel ſimplicem hypothecam committitur pœna. quod eſt pulchrum. Et nota breuiter aliquos caſus ſecundum Docto. hîc. Primus eſt, ſi vaſallus delinquat in dominum, feudum reuertitur in dominum, excluſis omnibus agnatis, & deſcendentibus, ſiue feudum ſit nouum, ſiue antiquum. gloſ. in. §. fina. infra de pace iura. fir. quod limitat Bald. hîc. niſi dominus ſtudioſe hoc egiſſet, vt priuaret agnatos. Secundus caſus eſt, quando vaſallus delinquit extra perſonā domini: & tunc ſi feudū eſt nouum, reuertitur ad dominū excluſis omnibus. c. j. vbi gl. inf. ſi vaſal. feu. priue. Tertius caſus eſt. ſi feu. eſt antiquū, tranſit ad agnatos, excluſis domino et deſcendentibus. Quartus caſus eſt, quando vaſallus alienat

ſine

ſine voluntate: tunc ſi feudum eſt nouũ, reuertitur ad dominum glo.in.§.hoc quoque.de ſucceſſi.feu. Quintus caſus eſt, ſi feudum eſt antiquum, tranſit ad agnatos, ſi habet, ſi non habet, ad dominum gl.in.d.§.hoc quoque. ad filios nunquam tranſit, ſi habent aliquid de hæreditate patris: aliàs autem bene tranſiret ad filios, excluſo domino & agnatis glo.in d.§.hoc quoque. Poteſt tamen vaſallus vendere commoditatem vſusfructus ad tempus, per notata in.l.j.C.ſi pignus pigno.datum ſit. & per Bal.hic.

§.Rurſus.

Allegatur textus iſte, quòd feudum tranſlatum in alium per vaſallum, ſi poſtea aperiatur domino per mortem aut refutatonem vaſalli, poterit per ipſum dominũ reuocari ab acceptore, nulla obſtante exceptione. Et probat iſte textus, quòd vaſallus poteſt refutare feudũ in præiudiciũ iuris iam alteri quæſiti: quia iſta facultas inerat à principio ex natura ipſius feudi, vnde debuit hoc ſcire, qui cum vaſallo contraxit, & ideo ſibi imputet ſecundum Bal. textus eſt nota.in.l. qui cum alio.ff.de regulis iuris. Nota glo. & quod ibi per Dd. quæ quærit, ſi mortuo primo vaſallo datore relictis hæredibus in ſuis bonis patrimonialibus, & feudum ſit reuerſum ad dominum, an poterit agere contra hæredes de euictione? Et diſtinguit inter ſcientem & ignorantem, niſi ſibi cauiſſet de euictione. Quam glo. intellige in caſu iſtius textus: ſed ſi loquimur in primo vaſallo infeu-

feudante alteri, quod poteſt, poſſet tunc vaſallus agere de euictione contra hæredes, etiam ſciens, quod intelligunt Dd. quando feudum fuiſſet reuerſum ad dominum per culpam vaſalli primi: ſecus autem ſi naturaliter & ſine culpa: quia tunc fieret diſtinctio, de qua ſupra. Et nota quòd Bald. vult, quòd iſte ſecundus acceptor poteſt ſibi conſulere retinendo dictam rem feudalem, & ſeruire priori domino tanquam vaſallus; non obſtante refutatione facta per ſuum datorem, per textum. in. c. j. §. ſi verò. quali. olim feud. pote. alien. Alua. inſurgit contra eum, quòd ille textus loquitur in infeudatione, quæ eſt etiam hodie licita: ſecus quando vaſallus transfert in alium per contractum illicitū. l. quod non ratione. ff. de legibus. Sed eſt aduertendum, quòd Bal. dicit hoc poſſe fieri per æquitatem illius textus, & æquitas poſſet eſſe, ſi acceptor fuiſſet ignorans, ſecus ſi ſciēs. Et nota ſecundum Dd. quòd vaſallus ſine pœna priuationis poteſt alienare ius ſuum feudi agnato qui eſt ſucceſſurus.

§. Præterea.

Allegatur textus iſte, quòd ſi ille, ad quem ſpectat feudum de iure, conſentiat alium inueſtiri, ſibi præiudicat Et nota ſecundum glo. quòd hoc intelligitur tam de tacito conſenſu, quàm expreſſo, dum tamen ſecundū Bal. iſte tacitus cōſenſus probetur ex aliquo actu, puta per appoſitionem ſigilli, vel per ſubſcriptionem: præſentia autem cum taciturnitate non videtur ſufficere. Et

intellige, quando non ſubſcribebat tanquam teſtis, per ea quæ habentur in. l. Caius. ff. de pignora. actio. Item quando ſciebat contenta in ſcriptura, aliàs ſecùs: & pro hoc tu habes bonum textum, iuncta glo. in. l. ij. C. de rebus alie. non alienan. & in hac materia taciturnitatis vltra adducta per Alua. vide quæ ego dixi in meo alphabeto in litera T.

§. Item ſi fuerint.

Allegatur textus iſte, quòd in feudo nouiter acquiſito per fratres etiam cum pacto ſuccedendi viciſſim, non admittitur alter frater in portione alienata per alium, ſed ipſe dominus. Et ſic collige, quòd pactum factum, quòd frater ſuccedat alteri in feudo intelligitur, quando feudum vacat per mortem, ſecùs ſi vacauerit per culpam. Probat etiã textus iſte, quòd feudum poteſt diuidi inter vaſallos, quod intellige regulariter. Fallit in feudis dignitatum. c. j. §. præterea Ducatus. de prohi. alie. feu. per Fede. Fallit etiam ſi ex ſtatuto, conſuetudine, vel ex forma inueſtituræ eſſet cautum contrarium.

§. Item ſi quis.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus non poteſt ſine conſenſu domini alienare aliquam partem ſui feudi, quod habet in curte domini vel extra curtem in loco, in quo dominus habet diſtrictum, iuriſdictionem, vel honorem: & ſi contrà fiet, amittit illud, et feudum reuertitur ad dominum. Et vt intelligas, breuiter ſcias, quòd vaſallus intelligitur habere feudum in curte domini, ſi ex ca-

ex camera domini habet aliquem annuum redditũ nomine feudi, ita quòd plus remaneat in camera, quàm ſit illa portio annua. Potes etiã exemplificare in quadam gabella, vt quia dominus conceſsit, vt percipiam quandam portionem. Habe aliud exemplum, quando dominus habet integrum dominiũ vnius caſtri vel villæ, infeudauit certam partem dicti caſtri vel villæ, quæ portio ſit minor, quàm illa pars, quæ remanſit domino infeudanti: & iſtis exemplis intelligor ego vaſallus habere feudũ in curte domini. Interdum intelligitur dominus habere feudum extra curtem, retinendo ſibi honorem, iuriſdictionẽ, vel diſtrictũ. Exempli gratia: omnes poſſeſsiones vnius villæ ſunt ruſticorum vel aliorum conſortũ ipſius villæ, excepta vna poſſeſsione, quæ eſt domini: ſed tamen dominus in ipſa villa habet iuriſdictionẽ, honorẽ, ſeu diſtrictũ, quia tota villa eſt ſub iuriſdictione vel diſtrictu ſuo, modò ſi dominus infeudat mihi illã poſſeſsionẽ, retenta ſibi iuriſdictione ſeu diſtrictu & honore, intelligitur recognoſcere feudum à domino extra curtẽ ſuam, in loco tamen in quo ipſe habet iuriſdictionem et honorem. Interdum etiã dominus habet vaſallos extra curtẽ, & extra iuriſdictionẽ & diſtrictũ ſuum et honorẽ, vt ſi in villa habet vnam poſſeſsionẽ, nec habet dominus in dicta villa iuriſdictionẽ vel honorẽ ſeu diſtrictũ, de quo in c. j. de capit. qui curiã. ven. Et ideo appellatur in curte domini, q̃a cùm dominus haberet dominiũ totius illius loci vel villæ, tenebat ibi curtẽ ſeu curiã

ſuam,& habebat ibi domum dominicalem, in qua recolligebantur omnes introitus. Probat etiam textus iſte, quòd dominus cõcedendo & infeudãdo ſimpliciter rem contentam in ſua iuriſdictione, nõ videtur per hoc conceßiße iuriſdictionem: ſecus ſi concederet vniuerſitatem villæ vel caſtri, in quo etiam iuriſdictio inerat: quia tunc videretur etiam conceßiße iuriſdictionem, ſecundum Bal. de quo etiam per eum in.l.j.§. cùm vrbem.ff. de offi. Præfe.vrbis. Et eſt ſingularis textus iſte ſecundum Bal.quòd aliud eſt habere iuriſdictionem & diſtrictum in loco, aliud eſt habere dominium terrarũ poſitarũ in dicto loco. ſed Alua.adducit aliũ textũ infra de pace iuramẽ.fir.§.ad hæc qui allodium. Et nota, quòd licet vaſallus poßit alium infeudare, vt dictũ eſt ſuprà.§.ſi verò. qualiter olim feu.pote. alie.tamen ſecus eſt, quando vaſallus habet feudum in curte domini, vel etiam extra curtem, ſed in eo loco, vbi dominus habet iuriſdictionem vel diſtrictum, vt videtur tenere glo. hîc poſita. & cum ea Dd.

EPISCOPVM, VEL ABbatem, vel Abbatiſſam, vel Dominum plebis feudum dare non poſſe.

TITVLVS VI.

In hoc titulo continuatur eadem materia, ſubijciendo alios caſus & modos, quibus feudum amittitur, & ad dominum reuertitur.

Item

Item ſi Epiſcopus vel Abbas.

Allegatur textus iſte, quòd res ſubiectæ in libera poßeßione & dominio eccleſiarum non poßunt de nouo infeudari, licet infeudationes factæ ante decretum Vrbani Papæ non infirmentur, ſed firmæ remaneant: perſonæ autẽ eccleſiaſticæ, quæ nunquam fuerunt ſolitæ infeudare, prohibentur ſimiliter infeudare de nouo. Et quia Alua. tangit hîc quædam de poteſtate Papæ, adde tu plura, quæ ego dixi in libello de poteſtate Papæ & Imperatoris.

§. Quinetiam.

Allegatur textus iſte, cum glo. quòd vbi copulatiuè feudum acquiritur per vaſallum ſuis deſcendentibus maſculis & fœminis, non admittuntur fœminæ ſimul cum dicto maſculo, nec eo deficiente. Intelligitur ergo hæc inueſtitura, vt ſi non extaret maſculus, tũc ipſa fœmina admittatur, aliàs ſecùs. Et intellige textũ ſecundum Dd. procedere in feudo recto & ſimplici, quod non datur ad certum ſeruitium, ſecùs autem in feudo conditionato, quod datur ad certum ſeruitium, de quo in c. fina. de capita. qui curiam vendi. quod quidem ſeruitium poßit perfici per ipſam mulierem per ſe vel alium nomine ſuo, quia tunc ipſam fœmina ſimul admitteretur cum maſculo. Probat etiam textus iſte, & ad hoc allegatur, quòd fœmina ſemel excluſa à maſculo, eſt in perpetuum excluſa, ita quòd mors maſculi deinde non

patrocinatur fœmina, quod eſt pulchrũ. Et nota, quòd ſi in caſu iſto vaſallus inueſtitus moriatur relicto filio & filia, & filius ſubitò moriatur, tunc admittitur fœmina: quia non videtur extitiſſe, poſtquam ſubitò defecit, ſecundum glo. & Dd. Et dicitur ilicò decedere ſecundum Bal. ille, qui moritur antequam ſit ſibi impoſitum nomen in baptiſmate, quod eſt tempus octo dierum. Inno. in. c. nam & ego. de verborum ſigni.

§. Mutus.

Allegatur textus iſte, quòd mutus feudum retinere non poteſt, ſed ad dominum reuertitur: debet tamen ipſi muto tantum relinqui ex dicto feudo, vnde ſe ſuſtentare poſſit, ſi aliúnde nõ habeat, & feudum ſit magnum. Et ſic nota, quòd propter morbum ſuperuenientem quis amittit feudum ſuum, cùm ſeruire non poſſit: quia ſeruitium conſiſtit etiam in loquutione, vt in titu. de forma fidelitatis. quod intellige in feudo nouo: ſecùs in feudo paterno, vt in. c. j. in princ. inf. an mutus. ſecundum vnam lecturam. Et ratio differentiæ eſt, quia tunc tale feudum habuit originem fundamenti nedum in perſonam ſui, ſed etiam perſonam patris vel aliorum aſcendentium. Vnde fortius eſt, quòd duabus rationibus fundatur: quod tamen intellige ſecundum Dd. niſi tale vitium accidiſſet ſibi ſua culpa, quia tunc priuaretur: ſi autem eſt morbus naturalis perpetuæ mutitatis, proueniens à natura, nocet taliter nato, vt non ſuccedat ſeu retineat feudum paternum, vt in. d.

c.j. in ij. parte. In caſibus tamen, in quibus hoc vitium priuat mutum, debet ſuſtentari de feudo, ſi aliunde non habet, vnde poßit ſe ſuſtentare, vt in iſto textu, habita conſideratione qualitatis feudi & conditionis perſonarum. Et dicit Aluaro. quòd hoc eſt regulare in omnibus alijs perſonis, quas tenemur alere, vt ita demùm alere teneamur, ſi aliunde non habent. l. ſi quis à liberis. §. ſed ſi liberis. ff. de libe. agnoſ. quod intellige ſecundum Bart. ibi, quando honeſtè poteſt exercere artem, aliàs autem licet ex operibus poßit quærere victum, tamen debet alimentari. & loquitur ibi textus & Bart. de filio. Non amittit tamen feudum nouum mutus propter ſuperuenientem morbum, quando feudum fuit datum ad certum ſeruitium, cui non nocet mutitas. Idem dicas, quando ex nulla ingratitudine poteſt auferri, vt quia dominum liberauit à morte. Et ſi conſuetudo eſt, quòd primogenitus ſuccedat in regno, & primogenitus ſit ita natus, quòd vitium ſit naturale & perpetuum, tunc ſecundogenitus ſuccedit: quia conſuetudo debet intelligi de eo qui naſcitur habilis ſecundum Dd. Poteſt tamẽ mutus à principio acquirere feudũ de nouo: quia dominus poteſt facere gratiam inhabili, vt ſeruiat per ſubſtitutũ. Et reuocabitur feudũ per dominũ per conditionẽ ob cauſam: quia cauſa propter quam datũ eſt, ſequi nõ poteſt. Et vltra adducta per Alua. adde, quæ dixi in alphabeto in litera E de clauſula, quæ ineſt rebus manentibus in eodem ſtatu, vbi pulchra inuenies.

DE NATVRA FEVDI.

TITVLVS VII.

In hac rubrica oſtenditur, an ſecundum naturam feudorum vaſalli poſsint feuda retinere contra voluntatem dominorum volentium ab eis dicta feuda auferre ſine cauſa.

Natura feudi hæc eſt.

Allegatur textus iſte, quòd nullus dominus, ſiue ſit de maioribus ſiue de minoribus, poteſt diſueſtire vaſallum ſuũ ſine conuicta & cognita culpa, licet olim aliud eſſet. Et nota, quòd Marchio dicitur ille, qui eſt inueſtitus à Principe de Marchia, Comes de Comitatu, & iſtì appellãtur capitanei regni ſeu Regis: illi verò qui ab iſtis feuda recognoſcunt, dicuntur propriè maiores valuaſores regni, qui tamen hodie capitanei vocantur: illi verò, qui ab iſtis maioribus accipiunt, appellantur minores valuaſores ſeu valuaſini: illi verò, qui accipiunt ab iſtis, dicuntur minimi valuaſores, vt habetur in titu. quis dicatur Dux, Marchio, &c. Probat ergo textus iſte, quòd poſtquã dominus inueſtiuit, non poteſt diſueſtire, etiamſi ſit Imperator, qui inueſtiuit, vt hîc, vel eius ſucceſſor. c. nouit. de iudic. niſi ſubſit culpa vaſalli cognita & conuicta per ſententiam. c. j. de feudo ſine culpa non amittendo,

DE SVCCESSIONE FEVDI.

TITVLVS VIII.

Ponitur iſta rubrica poſt præcedentem, quia inter naturalia feudorum eſt ordo & materia ſucceſſionis.

Sequitur

Sequitur de ſucceſsione feudi videre.

Allegatur iſtud principium, quòd vaſallus non poteſt mutare ordinē ſucceſſorium, de quo in textu, quia in feudis vltima voluntas nihil valet; dicitur enim quòd maſculus & non fœmina ſuccedit, & plures maſculi filij æqualiter & nepotes mortuo filio in ſtirpes, hoc eſt, in locum patris ſui. Et ideo ſecundum Dd. nō poſſit diſponere teſtator, quòd vnus filiorum haberet duas partes in feudo, alter tertiam: per legem autem vel ſtatutum bene hoc poteſt fieri ſecundum Bald. Et quia tangitur hîc illa quæſtio, quòd nepotes ſiue veniant cum patruis, ſiue nō, ſemper ſuccedunt in ſtirpes, vltra adducta per Aluaro. adde Barto. in authen. ceſſante. C. de legiti. hæredi. qui tenet opinionem Accurſij cōtra Azonem. Et pro iſta parte conſuluit Bal. conſilio lxxj. ij. lib. & conſilio cccxcviij. et ibi tangit de bonis feudalibus per Bar. in. l. j. §. fin. ff. ſi pars hære. petatur. & pro iſta parte cōſuluit Bar. & conſilium incipit, Super hæreditate domini Nicol. Et nota ſecundum Bal. & Aluar. quòd vaſallus in teſtamēto poteſt grauare filiū hæredem, quòd omni anno det de vino vel frumento ipſius feudi Titio. quia teſtatur de fructibus ſeparatis, qui non ſunt amplius de feudo, ſed proprij ipſius hæredis.

§. Hocquoque.

Allegatur textus iſte, quòd vbi vaſallus alienat feudum antiquum ſine licentia domini, quòd feudum reuertitur ad agnatos et non ad dominum. & hoc firmat

glo. hîc & communiter Dd. Allegatur etiam, quòd ſi vaſallus alienet feudum legitimè, ad illud reuocandum admittitur primò filius ſi extat, aliàs venient agnati excluſo domino, quæ reuocatio fit ſolùm poſt mortẽ alienatoris. c. Titius. in fi. ſi de feudo fuerit cõtrouerſia. Allegatur etiã, quòd de expreſſo etiam conſenſu vaſalli non poteſt dominus facere gratiam fœminæ, etiamſi ſit filia vaſalli in præiudicium agnatorum. quod intellige in feudo antiquo: ſecùs ſi eſſet feudum nouum, et eſſet recaſurum in dominũ: ſortietur tamen gratia effectum in vita vaſalli, ſi fecerat inueſtiri filiam de feudo antiquo: quia donec vixerit, nõ poterunt agnati reuocare, ſed eo mortuo ſic: quia reſoluto iure datoris &c. Allegatur etiam textus iſte notabiliter, quia ponit differentiã inter feudum paternũ & antiquum: nam paternum eſt vſque ad quartum gradum, vbi continentur quinque perſonæ, quæ habent propriũ nomen progenitoris, ſcilicet pater, auus, proauus, abauus, atauus: abinde verò ſuprà propriè loquendo non vocatur paternum, ſed antiquum: & ideo ſi conceditur hoc modo, Concedo tibi feudum paternum &c. extenditur iſta talis inueſtitura vſque ad quartum gradum, & ideo in inueſtituris communiter ponuntur ad cautelam hæc verba, Tanquam in feudum paternum & antiquum, vt omnis ceſſet dubitatio. quod eſt notabile ſecundum Baldum. Nota glo. hîc poſitam, ex qua collige tria breuiter in vna ſui parte. Primò in feudo antiquo illicitè alienato vocantur

tur agnati, & non dominus. Secundò, quòd vbi vaſallus alienat feudum iure & conſuetudine permittente, tunc filius præfertur omnibus agnatis & domino. Tertiò, vbi vaſallus amittit feudum propter delictum ſuum, veniunt agnati & non dominus, quod intelligas verum, quando delictum non eſt contra perſonam domini, quia tunc vocaretur dominus. Nota etiam glo. quòd vaſallus per recuperationem feudi etiam incontinenti factam non vitat amiſsionem feudi. Nota etiam hîc glo. quòd agnatus conſentiens vaſallo alienanti, non præiudicat deſcendentibus. Et tu adde notata per Barto. in. l. qui ſuperſtit is. ff. de acqui. hæredi. in illa quæſtione, Si filia renuntiat cum iuramento hæreditati paternæ, an hoc præiudicet filijs ex ea natis. & per Bald. in. l. pactum. C. de collatio. Et nota quòd in feudo nouo factum patris nocet filio, & alienando in caſu non permiſſo nocet filio, ſi aliquid habiturus eſt de hæreditate patris: delinquendo autem pater nocet filijs. Et adde vltra Aluaro. ea quæ dixi in alphabeto in litera E. Et nota ſecundum Docto. quòd feudum illicitè alienatum poteſt reuocari viuente alienatore, ſecùs ſi eſſet alienatum permittente domino. Nota etiam ſecundum Docto. quòd conſenſus agnati proximioris non præiudicat alijs agnatis etiam naſcituris, & dabitur talibus agnatis ſuo tempore vendicantibus vtilis rei vendicatio, nec contra eos poterit opponi de præſcriptione, poſtquam alienatio eſt facta

per

per perſonam prohibitam alienare: ſecùs ſi perſona extranea alienaſſet, quia tunc haberet locum præſcriptio. Et remittit ſe Alua. ad notata in.c.j.ff. ſi quis per triginta. ſi de feudo fue. contro.

§. Filia verò.

Allegatur textus iſte, quòd filia non ſuccedit in feudo, niſi in inueſtitura expreſſè dictum ſit, quòd filij & filiæ ſuccedant: quo caſu tunc ſuccedet, ſi tempore mortis patris non reperitur filius maſculus extare, vel niſi de gratia dominus illam de nouo inueſtiuerit, poſtquã feudum eſt liberè reuerſum ad dominum. Et nota gloſ. hîc, quòd ſi filius maſculus decedat ſubitò, filia admittitur. Et ſecundum Bald. ſi quis recepit inueſtituram pro ſe & filijs maſculis & fœminis ex ſuo corpore deſcenſuris, venit etiam filius filiæ. l j. C. de conditio. inſer.

§. In alio.

Allegatur textus iſte, quòd in feudo nouo, quod habet initium à fratribus, non ſuccedit vnus alij, niſi ſpecialiter in inueſtitura caueatur: oportet tamen ſecundum gloſ. & Dd. quòd frater decedat ſine hærede legitimo: in feudo tamen fœmineo, quod habet initiũ à matre, ſuccedit filia abſque ſpeciali pacto ſecundum glo. & Dd. Nota etiam ſecundum Aluaro. quòd iſte textus non habet locum in emphyteoſi conceſſa duobus fratribus, quòd vnus ſuccedat alteri, etiamſi non ſit dictum, nec reuertitur ad dominum. & adducit Martinũ de Fauo.

in

in tractatu de iure emphyteotico. Et nota ſecundũ Bal. & Alua. quòd ſi verba inueſtituræ ſic dicant, Concedo tibi Titio & Seio fratribus, & cuilibet veſtrum tale caſtrum in feudum rectum & nobile, videtur actum per hæc verba, quòd vno decedente, alter admittatur, quaſi quilibet videatur habuiſſe inſolidum.

QVI SVCCESSORES teneantur.

TITVLVS IX.

In hac rubrica tractatur de ſucceſſoribus dominorum, qui inueſtituram fecerunt ſiue ſint clerici ſiue laici: vtrum videlicet teneantur habere ratam dictam inueſtituram factam per præceſſores ſuos.

Si quis inueſtitus fuerit.

Allegatur textus iſte, quòd in laico inueſtiente non refert quando cedat dies inueſtituræ: quoniam etiam eo mortuo, tenetur hæres eius ad corporalem poſſeſſionem præſtandam, quando eſt aperta via inueſtito vel hæredibus eius. Item de feudo non aperto poteſt fieri inueſtitura hoc modo, ſcilicet cùm aperietur: ſed ſi fieret purè, non valeret. Et intellige prædicta, niſi ille qui poſſideret, conſentiret, quòd aliquis purè inueſtiretur, & quòd ſibi tradatur poſſeſſio. Probat etiam textus, quòd inueſtitura verbalis clericorum non eſt rata, nec arctat ſucceſſores ſuos, niſi eis clericis inueſtientibus adhuc viuentibus & exiſtentibus in beneficio aperiatur collatio feudi

feudi ipſi inueſtito. Nota quia glo. vult, quòd ſi verbaliter inueſtitus à laico moriatur feudo ſibi nondũ aperto, & poſt mortem eius aperiatur, quòd ſuus hæres non debet obtinere. Iſta glo. communiter non tenetur, quia ius conditionale, quod contingit ex contractu inter viuos, eſt tranſitorium ad hæredes etiam ante conditionis exiſtentiam. §. ex conditionali. Inſti. de verbo. oblig. Quærit Alua. nec alium refert, Laicus inueſtiuit aliquẽ de feudo vacaturo ſecundum formam hic traditam: poſtea laicus inueſtiens condemnatur, ita quòd bona ſua confiſcantur, an fiſcus poſtea aperto feudo teneatur ipſi inueſtito ad præſtationẽ dicti feudi? Et concludit quòd non: quia fiſcus iſto caſu non reputatur hæres, ſed æquiparatur potius prælato: allegat ſua iura, ſed pro ipſo volo allegare caſum ſingularem in. l. ſi fundus quem mihi locaueras. ff. locati. vbi confiſcatis bonis alicuius vniuerſaliter tranſeunt in fiſcum bona, in quibus alius habet ius ad rem, puta ſi vendidi domum, & non tradidi, nec tranſit cum onere: & hunc textum dicit ſingularem Roma. in Singularibus ſuis.

DE CONTENTIONE INTER dominum & fidelem de inueſtitura feudi.

TITVLVS X.

Si contentio fuerit.

Allegatur textus iſte, quando contenditur inter dominum

minum poßident ẽ feudum, et vaſallum dicent ẽſe inueſtitum de dicto feudo, & petentem ſibi poßeßionem dari, dominus verò negat ſe inueſtiuiße: ſi vaſallus probare poteſt per teſtes Pares, vincet, non per alios teſtes: ſed ſi vaſallus poßidet, & non poteſt probare inueſtituram per Pares, ſtabitur ſuo iuramento cum duodecim ſacramentalibus, propter inopiam probationum: & quando dominus poßidet, iurabit cum duodecim ſacramentalibus: ſolus tamen dominus iurat, quando vaſallus eſt Caſtaldio vel Actor domini, niſi tamen vaſallus vellet probare per Pares idoneos. Et ſic collige ex textu, quòd propter inopiam probationum recurritur ad ſubſidium iuramenti, de quo hîc per glo. Et nota, vt intelligas Pares ſint teſtes, vt hîc, &, Pares ſunt iudices, quomodo poteſt eße hoc? & ideo accipias iſtos caſus ex intentione Doctorum. Primus caſus eſt, quòd ſi Pares tot ſint quòd ſufficiant ad vtrumque officium, tunc aliqui erunt teſtes, aliqui iudices. Secundus caſus eſt, quòd ſi pauci ſunt, ita quòd non ſufficiunt vtrique officio, tunc Pares erunt teſtes, ſi certum eſt, quòd per eos poßit probari, & alter erit iudex. Tertius caſus eſt, quòd ſi certum, quòd probatio poteſt fieri per alios, et tunc Pares erunt iudices. Quartus caſus eſt, quando ſumus in dubio, & tunc Pares ernnt teſtes, & alter erit iudex. Et ratio eſt, quia facilius inueniuntur iudices, quàm teſtes: Et inueſtitura noua probatur per Pares, antiqua etiam per extraneos. c. j. qui teſt. ſint neceßa.

DE PI-

DE PIGNORI DATO FEVdo quid iuris ſit.

TITVLVS XI.

Similiter ſi quis voluerit.

Allegatur textus iſte, quòd creditore tenente & poßidente rem debitoris, dicebat debitor ſe dediße dictã rem pro pignore, & volebat ſoluere debitũ, pro quo ſe dicebat obligaße dictam rem, & petebat ſibi rem reſtitui: ipſe autẽ poßidens dicebat, quòd quanquam à principio ipſe debitor impignoraſſet, nihilominus poſtea ſibi infeudauerat: & ſic de præſenti tenebat et poßidebat iure feudi, vnde nolebat reſtituere: non ſtatur dicto ſuo etiam cum iuramento, niſi probet per Pares Curiæ dictam rem fuiße ſibi infeudatam. Et ratio eſt, quare non ſtatur ſacramento poßeßoris, etiamſi poßediſſet per annum, quia principium poßeßionis hoc non importat, ex eo quia incepit poßidere loco pignoris.

§. Inſuper.

Allegatur textus iſte, quòd feudum Guardiæ & Caſtaldiæ poteſt reuocari à domino quandocunque poſt annum. Et probat textus iſte, quòd feudũ datum limitatè ad certum tempus, poteſt immediatè auferri elapſo dicto tempore, etiam nullo alio termino dato, qui datur iudicatis ſecundum Dd. per iſtum textum, qui dicit quacunque hora &c. & elapſo dicto termino, non requiritur aliqua ſententia ſeu iudicium: quia eo ipſo poteſt

poteſt dictum feudum auferri: ſed hoc intellige, quando nullum eſſet dubium de iuribus domini, ſecùs ſi vertatur in dubium per vaſallum. poſſunt tamen ſecundum glo. notabilem iſta feuda limitari vltra tempus anni, & illud tempus debebit obſeruari, nec antè poterunt auferri: quia pacta in inueſtituris appoſita ſunt obſeruanda quantumcunque extranea & contra cõmunem naturam feudorum. infrà quid ſit inueſtitura. §. penulti. & fina.

DE CONTENTIONE INTER me & dominum de portione feudi fratris mei defuncti.

TITVLVS XII.

In hoc titulo tractatur de contentione inter dominum & vaſallum occaſione ſucceſſionis in parte feudi poſſeſſi per vaſallum defunctum.

Si contentio fuerit.

Allegatur textus iſte, quòd ſi ego & frater meus feudum paternum diuiſimus, & frater meus deceſſit ſine hærede, & contentio eſt inter me & dominum de portione feudi fratris mei, quia dominus dicit nouum, ego paternum, ſi poſſideo partem meam, vel illam alteri licitè alienaui, mihi defertur iuſiurandum, & obtinere debeo: ſed ſi nullam partem habeam de illo feudo, debet deferri domino iuſiurandum: eius tamen iuramentum mihi nõ nocebit in alio feudo, quod habeo, poſſideo, & ſine controuerſia. Collige ergo duo ex iſto textu,

quòd ratione partis poſſeſſa inſurgit præſumptio pro toto integrali. Secundò, quòd poſſeſſio multum operatur, vt ſacramentum deferatur poſſeſſori, & intellige iſtum textum ſecundum glo. de quacunque parte ſiue media, ſiue maiori, ſiue minori.

DE ALIENATIONE FEVDI. TITVLVS XIII.

Si clientulus voluerit.

Allegatur textus iſte, quòd hodie per legem Lotharij eſt prohibita omnis feudi alienatio ſiue in parte ſiue in toto. limita tamen quantum ad alienationem, quæ fit per viam infeudationis, quia illa hodie non eſt ſublata. c. j. in princ. qualiter olim feudum poterat alienari. Et nota contra glo. quòd hodie neque in toto, neque in parte poteſt fieri pignoratio feudi ſine voluntate domini. c. j. de prohi. aliena. feu. per Federi. vbi textus loquitur generaliter & indiſtinctè. & ita communiter tenent Doctores.

§. Inde poteſt præſumi.

Allegatur texus iſte, quia olim erat licitum vaſallo alienare per libellum vſque ad medietatem, tamen non erat licitū transferre in eccleſiam: quia illa nunquam moritur Et quia concludit Bal. & Aluaro. quòd eccleſia non ſoluendo canonem debito tempore poteſt cadere à iure ſibi conceſſo, adde tu glo. in c. conſtitutus. in ver. inue-

inueteratam. de religioſis dom. ſed vide ibi per Dd. Et nota, quòd in huiuſmodi contractibus excipiuntur clerici, & idem dicas de ciuitate ſecundum Dd.

§. Et ſi clientulus.

Allegatur textus iſte, quòd in materia feudali verbũ, Sine hærede, interpretatur, id eſt ſine filio maſculo: intelligas tamen de quocunque maſculo, nõ tamen intelligas in hac materia de deſcendẽte ex linea fœminina, & quòd excludit dominũ in feudum ſi ſupereſt. Allegatur etiam, quòd inter agnatos aliquid conceditur, quod inter extraneos prohibitum eſt, quod patet: quia inter agnatos eſt permiſſa feudi alienatio ſine voluntate domini, quia non intelligitur alienatio, ſed potius quaſi quædam refutatio de alienatione feudi paterni in principio: & intellige de proximiori agnato, qui ſucceſſurus eſt. Et an poſſit fieri alienatio in quoſcunque agnatos remotiores, Bal. in hoc multa dicit, & concludit, quòd in perpetuũ non poſſit alienari, niſi proximiori agnato.

§. Item in feudo.

Allegatur textus iſte, quòd in feudis dignitatum non eſt ſucceſſio de iuris rigore, licet vſurpatione contrarium obſeruetur: quia ſecundum regulas iuris tales dignitates non acquiruntur ſucceſſione ſed per electionem ſeu conceſſionem Principis: & capias vſurpatum in bonam partem, quia conſuetudo eſt bona ſecundum Docto. cùm hoc toleretur per Principem, vt probatur in c. j. §. præterea. de prohibi. alie. feu. per Feder.

DE FEVDO MARCHIAE, VEL Ducatus vel Comitatus.

TITVLVS XIIII.

De Marchia, vel Ducatu.

Allegatur textus iſte, quòd in feudis regalibus dignitatem habentibus non ſuccedit hæres, niſi de nouo perinueſtituram acquirat. Et probat textus, quòd collationes regalium dignitatum ſpectant ad Imperatorem, licet Papa ſecundũ Bal. quantum poteſt ſibi vſurpet. Sed quid ſi Regi naſcuntur duo filij eodem partu, & neſcitur quis fuerit prior, qualiter ſuccedetur, ſtante conſuetudine quòd primogenitus ſuccedat? Aluaro. allegat Bal. in. l. in quibus. C. de ſecund. nupt. & dicit, quòd lex poteſt eligere quis eorum ſuccedat. Adducit etiam Ioan. An. in additio. Specu. in rubri. de feu. Et tu adde Alex. in. l. qui filiabus. §. j. ff. de lega. j. qui concludit, quòd ambo admittantur. Et ſi ante regalẽ dignitatem habuerit filiũ, & poſtquam eſt effectus Rex habuerit alium filium, ſuccedit ille qui natus eſt poſt regalem dignitatem. Bald. in. l. imperialis. §. de his. C. de nup. quia conſuetudo nõ loquitur de primogenito ſimpliciter, ſed de primogenito Regis.

§. Si Capitanei.

Allegatur textus iſte, quòd in feudis non regalibus ſuccedunt deſcendentes. Et ſi poſtea aliquis ex dictis deſcendentibus moriatur ſine hæredibus, tunc ſuccederet vnus tranſuerſaliter, dummodo deſcenderet à primo acqui-

acquirente. Et nota quòd dicit, tranſuerſales non propriè intelliguntur capere per ius accreſcendi, ſed potius ex iure inueſtituræ primi acquirētis. Probat etiam iſte textus ſecundum Bald. quòd nomen fratris ſimpliciter prolatum ſine aliquo adiuncto, non comprehendit conſobrinos: & inducit in argumentum ad ſtatutum, quòd frater excludat ſororem, non intelligitur de fratre conſobrino, vt excludat ſororem conſobrinam. Et tu vltra Aluaro. allega Bar. in. l. Lucius. §. quæſitum. ff. de lega. ij. glo. in. l. fratris. C. do inoffi. teſta. in. l. j. ff. eod. tit. Et nota glo. quòd collaterales admittuntur in infinitum. Sed intellige glo. ſecundum Dd. quando de acquirente feudum primordialiter fit tranſitus ad deſcendentes, quia tunc etiā progreditur in infinitum ad tranſuerſales deſcendentes ex deſcendentibus; non autem ad tranſuerſales acquirentium: ſed ſi de acquirente fit tranſitus primordialiter ad collaterales ex pacto vel in aliјs caſibus, in quibus poteſt. vt in. c. j. de fratri. de nouo benefi. inueſti. & tunc non progrederetur ſucceſſio vltra ſeptimum gradum, de quo per Alua. in §. hoc quoque. ſup. de his qui feu. dare poſſ. in primo notabili. Et iſta ſunt notanda ſecundum Bal. quia quotidie poteſt accidere de facto in ſucceſſionibus Comitum, qui habuerunt feuda ab Imperatore. Iam ſunt quingenti anni, quòd mortuo vltimo Comite ſiue Rege ſine hærede, ſuccedunt quicunque agnati, etiamſi centeſimo gradu ſint: quia feudum eſt paternum.

§.Si duo fratres.

Addatur textus iſte, quòd frater non ſuccedit fratri in feudo nouo, niſi per pactũ aliud ſtatuatur. Similiter dicendum eſt de filiabus. Et nota hîc textum iuncta gl. quòd in feudis poteſt procedi de ſimilibus ad ſimilia.

AN MARITVS SVCCEDAT vxori in beneficio.

TITVLVS XV.

Si fœmina habens.

Allegatur textus iſte, quòd maritus nõ ſuccedit vxori in feudo, ſed filius benè ſuccedit matri de æquitate, licet feudum ſit fœmineũ. Et ſimiliter ſuccedit in feudo patris capitanei, vel maioris valuaſoris. Et ſic in bonis feudalibus maritus non ſuccedit vxori, propinquis nõ exiſtentibus. Et ſic titu. vnde vir & vxor, non habet locum in feudis: quod intellige etiam ſecundum Dd. ſi ambo eſſent inueſtiti, niſi aliter ſit dictum, & ſic etiam in feudo fœmineo ſuccedunt filij maſculi. Et nota etiam ſecundum Docto. quòd ſi maritus fuiſſet inueſtitus tanquam de feudo dotali ſoluto matrimonio, illa inueſtitura caret nomine & effectu. Et nota ſecundum Dd. quòd filij naturales non ſuccedunt matri in feudo fœmineo, & ſic non habet locum. l. ſi qua illuſtris. C. ad S.C. Orficia. c. naturales. inf. ſi de feud. defunct. cont. ſit. Et ſi vxor habet vaſallũ, & indigeat ſeruitio etiam maritus, nec poſſit ſeruire vtrique, excuſabitur vaſallus, ſi prælegerit maritum ſecundum Dd. Et an mulier

lier vaſalla poßit ſeruire per ſubſtitutum, Specu. titu. de ſeu. §. quoniam. ver. xxj.

DE FEVDIS DATIS MINIMIS valuaſoribus quid iuris ſit.

TITVLVS XVI.

Si minores valuaſores.

Allegatur textus iſte, quòd minores valuaſores poſſunt minimis valuaſoribus, qui ſui vaſalli ſunt, quandocunque volunt auferre ſeudum precio tamen reſtituto, ſi quod precium pro inueſtitura receperunt. Iſte titulus ſecundum glo. & Docto. eſt hodie correctus: quia etiam talia feudo non poßunt auferri ſine cauſa cognita & conuicta culpa.

QVIBVS MODIS FEVdum amittatur.

TITVLVS XVII.

Si capitanei.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus dimittens dominũ ſuũ in bello, vel manifeſtãs ſecretũ domini in damnum ipſius, vel adulterãs vxorẽ, vel ipſum dominũ ſcienter aßaliens vel ſimilẽ cauſam cõtra dominum cõmittens, priuatur feudo. Et nota, quòd ita demùm vaſallus priuatur propter culpã, ſi ſciẽter illam cõmiſit, ſecùs ſi ignorãter, niſi eſſet ignorãtia craßa et ſupina, vt notatur inf. quo tẽpore miles. c. j. Et nota etiã, quòd ſimiles culpæ ſimilẽ exigant pœnã, et cenſebitur ſimilis ſecundũ arbitriũ iudicantis argu. l. nõ poßunt. ff. de legibus. Et an & quando fiat extenſio de ſimilibus ad ſimilia,

vltra adducta per Aluaro. vide quæ latè ſcripſi in libello Extenſionis. Et nota ſecundum glo. & Dd. quòd ad hoc, vt manifeſtatio credentiæ ſit ſufficiens ad priuandum vaſallum feudo, tria requiruntur: ipſa manifeſtatio, quòd fiat animo damnificandi, & quòd damnum ſit ſecutum: intellige tamen niſi vaſallus fuerit in ignorantia craſſa & ſupina. Nota etiam glo. quòd ad hoc, vt vaſallus contrahendo amicitiam cum inimicis domini priuetur feudo, requiruntur duo, ſcilicet ipſa amicitia contracta, & quòd tendat in dominum. Et tene iſtam opinionem tanquam æquiorem, & adde glo. in. §. porrò. inf. quæ fuerit prima cauſa benefi. amitten. & ibi per Bal. Nota etiam glo. quòd ſi vaſallus cognouit ignoranter vxorē domini, nō priuatur feu. vt probatur in. l. pen. ff. ad l. Iul. de adul. niſi ignorantia ſua fuiſſet craſſa & ſupina, quia tunc non eſſet excuſabilis, & in dubio ſtabitur iuramento vaſalli. glo. in. c. in lectum. xxxiiij. q. j. Et ſumit ex hac glo. argumentū Bald. quòd cognoſcens monialem, ignorans ipſam eſſe monialem, non punitur tanquam de ſtupro monialis. Et tu allega textū in. c. ſi quis cum duabus. in c. ſi quis cum matre. xxxiiij. q. j. Et nota ſecundum Docto. quòd vaſallus debet probare, quòd non reuelauit ſecretum domini animo ipſum damnificandi, quia fecit rem illicitam: facit quod habetur in. l. j. C. ad. l. Cornel. de ſica. ſecùs quando copulat amicitiam cum inimicis domini, quia tunc dominus debet probare, quòd in ſui damnum copulauit,

quia contrahendo amicitiam non facit rem illicitam.

APVD QVEM VEL QVOS controuerſia feudi definiatur.

TITVLVS XVIII.

Si contentio fuerit.

Allegatur textus iſte, quòd vbi de feudo eſt controuerſia inter Capitaneos, ſolus Imperator eſt iudex: ſi verò eſt contentio inter inferiores vaſallos, tunc Pares Curiæ vel iudex ordinarius cognoſcit. Et magiſtratus illius loci cenſetur iudex ordinarius ſecundum Bald. Et intellige, quòd quilibet litigantium dicebat ſe inueſtitum de feudo, nec erant vaſalli de alio feudo: vel poteſt intelligi textus de ipſo domino, qui eſt iudex inter ſuos vaſallos. Et nota breuiter aliquos caſus ad cognoſcendum, quis ſit iudex in cauſa feudali. Primus caſus eſt, quando eſt contentio inter Imperatorē & vaſallos, qui ſunt de ſocietate Longobardiæ: & tunc coram Paribus, qui ſunt eiuſdem Ciuitatis vel Comitatus, in quo controuerſia eſt, debet cauſa terminari, ſecundum conſuetudinem illius ciuitatis, niſi Imperator eſſet in Longobardia: quia tūc, ſi voluerit, poterit ipſe cognoſcere. §. ſi qua controuerſia. in tit. de pace Conſtan. Secundus caſus eſt, quando eſt contentio inter Capitaneos Imperatoris, tunc ſolus Imperator eſt iudex, vt hîc. Tertius caſus eſt, quando contentio eſt inter alios vaſallos iuferio-

res, ſi conſtat vtrunque litigantium eſſe vaſallum eiuſdem domini de alijs feudis, de quibus non eſt quæſtio: vel ſolùm eſt contentio de aliqua parte feudi, non de tota, ita quòd cõſtet, quòd vterque eſt vaſallus domini, tunc dominus feudi debet eſſe iudex. Et in hac materia eſt ſpeciale, quòd laicus habet iuriſdictionem in clericum. c. verum. de foro competen. Quartus caſus eſt, quando conſtat vnum tantùm eſſe vaſallum de feudo aliquo, de quo non eſt quæſtio, & quæſtio eſt de alio feudo, tunc Pares erunt iudices, vt in hoc textu. Quintus caſus eſt, quando dubium eſt inter litigantes, quis eorum ſit vaſallus, vt quia ambo prætendunt inueſtituram nouam alicuius feudi ſiue ab eodem domino, ſiue à diuerſis, & tunc iudex ordinarius vel arbiter cognoſcit. c. ſi inter. de lege Conradi. Et idem dicendum, ſi vnus dicat nouum, alter antiquum, qui habet cauſam à domino, qui poteſt prætendere intereſſe. Sextus caſus eſt, quando quæſtio vertitur inter litigantes, quorum vterque dicit eſſe feudum antiquum, & ad ſe ſpectare, tunc dominus cum Curia cognoſcit. c. j. de inueſti. in mari fac. Septimus caſus, quando eſt contentio inter eos, quorum vnus dicit antiquum, & alter nouum & proprium: & tunc Pares Curiæ ſoli ſine domino cognoſcere debent. inf. an apud iudic. c. j. Octauus caſus eſt, quando eſt cõtentio inter plures producentes diuerſas inueſtituras, & tunc iudex ordinarius cognoſcet. §. ſi duo. de pace ten. Nonus caſus eſt, quando eſt cõtentio inter vaſallum

ſallum & aliū,quem conſtat non eſſe vaſallum,tunc iudex ordinarius rei cognoſcet.c.j.de contro. inter vaſ.& aliū.Decimus caſus eſt,quando eſt cōtentio inter dominum & aliū,qui non eſt vaſallus,& idem glo.in §.pen. de prohi.alie.feu.per Fede. Vndecimus caſus eſt, quando eſt cōtentio inter do.& vaſal. & tunc Pares Curiæ cognoſcunt vt in.d.§.pen.ſiuę dicta controuerſia ſit ſuper inueſtitura,vel ſuper amiſſione feudi,vel ſuper violētia facta vaſallo per dominū in dicto feu.Bal. in.d.§.pe. Et idē dicendū eſt,ſi dominus feudi nō recognoſcit ſuperiorem,& vertatur cauſa feudalis inter ipſum & vaſallū: ſed ſi Pares nō auderent cognoſcere, vel nollent, vel eſſent domino nimiū fauorabiles, tunc cognoſceret Papa ratione peccati.c. nouit. de iudi. Idem dicendū propter defectū iuſtitiæ.c.tranſmiſſa.c.ex tenore.de foro comp. Et vult Bal.in.d.§ pe.& Alua.hic,quòd ſi dominus extorqueat ſeruitia indebitè à vaſallo vltra modum,quòd vaſallus poteſt implorare officium Præſidis, vt prouideat.l.illicitas.in princ.ff.de offi. Præſi. Duodecimus caſus eſt, quando contentio vertitur inter dominum & alium,qui dicit ſe eſſe vaſallum, & dominus negat, & tunc ratione huius dubitationis Pares cognoſcent, Bald.in dict.§.penul.Tertiusdecimus caſus eſt, quando iuriſdictio eſt limitata inter litigantes ex forma priuilegij, conſuetudinis vel ſtatuti, & tunc illa debet attendi, Bald. in.d.§.pen. & ſi inter vaſallos vertatur quæſtio in ſolo poſſeſſorio.per glo. & Dd.in.c. cæterum.

de iu-

de iudi.& Bal.in.c.ij. de lege Conradi dicit, quòd ſi inter vaſallos eſt quæſtio, & ex tali cognitione inſurgat alia pœna quàm priuationis,et alia lege quàm lege feudorum, tunc iſta cognitio ſpectat ad ordinariũ loci. Et ideo ſiue criminaliter agatur ad vindictam, ſiue ciuiliter occaſione iniuriarum vel legis Aquiliæ, vel de aliquo interdicto, ſemper erit cognitio iudicis ordinarij: & idẽ quando proceditur criminaliter inter vaſallos. Sed quis erit iudex competens in cauſis appellationum? Et dicas, quòd ſi dominus habet alium ſuperiorẽ dominum, ad illum appellabitur: ſed ſi non extat ſuperior dominus, debet appellari ad Imperatorem. Et de iſta materia latè per Dd.in.c.caterũ.de iudi. Et an ratione iuramenti iudex eccleſiaſticus ſit competens iudex in cauſa feudali, per Bald.in.l.liberti.C.de ope.liberto.per Alua.in.§. fina.de inueſti.in mari.fac. Et ſi vaſallus cõqueritur de domino, & dominus de vaſallo, cauſa vaſalli debet prius diſcuti per Pares ſecundum Dd.

§.Si aliquis de capitaneis.

Allegatur textus iſte, quòd alienatio feudi legitimè facta per vaſallum reuocatur, ſi ipſe vel eius hæres moriatur ſine hæredibus. Et loquitur textus iſte ſecundum iura antiquiſſima, ſecundũ quæ in quibuſdam Curijs poterat fieri alienatio feudi, & erat dominus feudi qui reuocabat: & ſi vellemus intelligere iſtum textum ſecundum iura hodierna, ſecundum quæ nulla pars poteſt alienari ſine conſenſu domini, tunc nõ poſſet textus

iſte

iſte procedere: quia pars alienata reuertetur incontinenti ad dominum, non expectata morte vaſalli alienantis, nec bona fides emptoris excuſat ipſum aduerſus dominum. Et intellige textum quòd nulli erant agnati, ſi feudum erat paternum.

CONSTITVTIONES FEVDALES

Lotharij Imperatoris, quas ante ianuam beati Petri in ciuitate Roma condidit obſeruandas.

TITVLVS XIX.

Ex hac ſuperſcriptione nota ſecundum Bal. quòd Imperator exiſtens Romæ, poteſt facere legem generalem Vrbi & orbi: ſpecialem autem Vrbi facere non poteſt, quoniã vrbs Romana eſt Papæ, glo. in. l. i. §. cùm vrbem. ff. de offi. præfec. vrbis. Et nota, quòd iſtæ conſtitutiones durant vſque ad titulum inf. quemadmodum feudum ad filiam pertineat: & fuerunt diuiſæ per titulos cauſa commodioris intelligentiæ.

Si quis ex militum ordine.

Allegatur textus iſte, Imperator Lotharius præcipit conſtitutiones editas per ipſum de conſilio Prudentum ſuper beneficijs militum tam circa ſucceſſiones, quàm circa culpas ab omnibus obſeruari. Et textus iſte probat quòd plurium conſilio & auctoritate fit, maiori nititur auctoritate. l. dubium. C. de repudijs. & ideo dicit Alua. quòd concilia dicuntur eſſe maioris auctoritatis, quàm decretales epiſtolæ. Et adducit Archidi. in. c. j. de conſtitu. in 6. quòd reſcripta impetrata cõtra concilia

cilia,non valent,niſi ſingularem faciant de illo concilio mentionem: ſed impetrata contra decretalem epiſtolam, valent ex generali clauſula,nō obſtante aliqua decretali. quod eſt notabile ſecundum ipſum,ſed tu allega tria iura hoc probantia in.c.penul. de capellis monacho. in.c. nonnulli.de reſcriptis.in.c. cam te. de ætate & qualitate. & vide notabi. Bal. in.l. humanum.C. de legib.licet Aluaro allegeet in.l.non dubium.

Imperator Lotharius Eugenio Papæ
& vniuerſo populo.

Si quis miles.

Allegatur textus iſte,quòd moriente vaſallo ſuccedit filius,& ſi non eſt nepos ex illo,excluſo fratre,etiam in feudo antiquo: ſed ſi non extat filius, vel nepos, bene ſuccedit frater. Et ſic probat textus iſte,quòd in ſucceſſione feudi antiqui ſeu paterni primò vocantur deſcendentes,quibus non extantibus, tranſuerſales ex virtute primi acquirentis. Et nota glo. hic, quæ vult, quòd ſi duo fratres inter ſe diuidant bona communia,& ex dicta diuiſione perueniat ad vnum ex eis feudum, quòd ſi iſte, qui poßidet feudum, moritur ſine hæredibus, reuertitur feudum ad ſuperuiuentem, quādo ſimpliciter fecit finem,remiſsionem, quietationem, & refutationem de dicta parte bonorum tempore diuiſionis: ſecus dicit glo. ſi frater ſuperuiuens refutaret omnino feudū tempore diuiſionis, vel etiam refutaret cum hoc, quòd dominus

dominus deberet inueſtire alium fratrem tanquam de feudo nouo: quia tunc reuertetur ad dominum: ex qua glo. collige, quòd agnatus poteſt renuntiare iuri ſuccedenti in feudo in futurum.

DE BENEFICIO FRATRIS,

& qualiter frater in beneficium fratris ſuccedat.

TITVLVS XX.

Si quis acquiſierit beneficium.

Allegatur textus iſte, quòd in feudo nouo frater non ſuccedit fratri, niſi in quatuor caſibus: ſi fuit dictum in inueſtitura, & quando totũ feudum fuiſſet acquiſitum de communibus bonis domino ſciente, & quando ipſi fratres ſtarent ſimul, & dictũ feudum fuiſſet acquiſitũ per alterum ipſorũ de proprijs pecunijs, nomine tamen vtriuſque domino ſciente: item & quartò, quando dicti fratres acquiſiuiſſent feudũ, exiſtentes in exercitu cum domino, & ſibi ſeruiendo cũ equis & armis cõmunibus ipſo domino ſciente. Et nota, quòd videtur eſſe cõmunis cõcluſio, quòd feudũ indiſtinctè poſſit acquiri pecunia, vt probat textus iſte, dũ ſimpliciter loquitur. & hoc tenet gl. in. c. j. de feudo dato in vicem legis cõmiſ. Et nota rationẽ iſtius textus, quòd emptũ nomine proprio de cõmunibus bonis, ſit cõmune: quia hoc videtur cõtra textũ in. l. Titiũ *& Mæuiũ. §. altero. ff. de admi. & per. tuto. quia in materia feudali hoc operatur ſciẽtia domini, vt præſumatur voluiſſe dare ambobus, poſtquã iſti fratres*

ſtabant

ſtabant & viuebant ſimul, & quòd feudum emebatur de communibus bonis: vnde ex prædictis videbatur inducta ſocietas & negocium geri nomine vtriuſque ſecundum Bal. aliàs ſecùs: & per hoc infert, quòd ſi ſcriptura emptionis ita diceret, Titius emit tale caſtrum à Sempronio pro mille, quæ dictus Sempronius fuit confeſſus ſe recepiſſe & habuiſſe à dicto Titio, ſoluente de pecunia ipſius & fratris eius Mauij, quòd per iſta verba intelligetur inducta ſocietas, & videbitur negociū geſtum nomine vtriuſque, quod eſt notabile: ſi tamen frater acquirens in iſtis tribus vltimis caſibus proteſtaretur domino, quòd non intenderet acquirere fratri, tunc tale feudum non eſſet commune ſecundum Bal.

DE FEVDO SINE CVLpa non amittendo.

TITVLVS XXI.

Sancimus vt nemo.

Allegatur textus iſte, quòd miles vaſallus feudum non amittit, niſi cauſa rationabili cognita & conuicta. Aluaro. allegat ſimile de priuile. quòd non poſſunt auferri ſine cauſa. l. fina. C. de diuerſis prædijs vrba. lib. xj. Hoc eſt contra glo. notabilem, quæ eſt fina. in regula decet. de regu. iuris. in 6. nec textus allegatus probat hoc. Et nota ſecundum glo. & Dd. quòd in materia feudali ea, quæ ſtatuuntur in milite, habent locum in non milite, & intelliguntur etiam pro quolibet ſimplici va-

ci vaſallo:quod intellige, niſi expreſſè reperiatur ſtatutum contrarium inf.titu.j.c.j. Et nota ſecundum Dd. quòd requiritur ſententia, quia venit priuandus: ſecus ſi diceretur, quod eſſet priuatus ipſo iure. quia tunc non eſſet neceſſaria ſentētia ad eſſe pœna, ſed ſolùm ad executionem ipſius pœnæ. Ioan. An in c.j. de homici. in 6. in nouella. & vltra adducta per Alua. adde tu Dd.in.c. cum ſecundum.de hære.in 6. Bal. in authen. qui ſemel. in penul.colum.C. quomodo & quando iudex.in auth. hoc amplius in.j.col.C. de fideicommiſ.in.l. de quibus. ff.de legibus.in.c.j.hîc finitur lex.in.l.iubemus.§ ſanè. C.de ſacroſan.eccle. Ab.in.c.cùm non ab homine.in xij col.de iudi. vbi dixit, quod ſi factum eſt notorium, non requiritur alia denuntiatio Ab. in.c.peruenit. primo. de appella.in.c.verùm.in vltima col.de foro competen. Et quando quis dicatur condemnatus ipſo iure, vel requiratur ſententia, vltra deducta per Aluaro. vide quæ dixi latè in meo alphabeto in litera V. Et nota ſecundum Dd.quòd ſi poſt culpam dominus ſtetit cum vaſallo cum amore, non venit priuandus: & tu potes addere glo.ſingularem in.§.fin.Inſti.de iniurijs. Et ad conuincendum vaſallum de culpa, requiruntur quinque teſtes, de quo in tit.quot teſtes ſunt neceſſarij.

Cap.Si quis miles.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus priuatur feudo illud alienando, vel vxorem domini adulterando, vel dominum in pugna dimittendo, cùm ipſum adiuuare poſ-

ſet vaſallus:ergo priuatur feudo illud alienãdo,nec requiritur ſecundum Docto.alia ſententia priuatiua reſpectũ ipſius alienantis:quod intellige, quando alienatio eſſet notoria,ſecùs autem ſi eſſet dubia, quia tunc requiritur ſententia. Et nota textum, quòd impotentia excuſat vaſallum à pœna priuationis, & ſi non poteſt corpore,debet tamẽ clamoribus iuuare dominum. l.cùm dominus.ff.ad Syl. niſi hæc impotentia contigiſſet culpa ſui:quia tunc non excuſaretur ſecundum Dd. Item non eſt intelligendum de omni leui impedimento,quia tunc non intelligeretur non poſſe ſecundũ Bal.

QVO TEMPORE MILES INueſtituram petere debeat.

TITVLVS XXII.

In hoc titulo prouidet Imperator circa inueſtituras feudorum renouandas,& petendas ab ipſis dominis per ipſos vaſallos.

Sancimus vt nemo.

Allegatur textus iſte,quòd miles vaſallus habet terminum vnius anni & vnius menſis ad petendam renouationem inueſtituræ ab hærede domini defuncti.Idem dicendum de ſucceſſore ipſius vaſalli, qui intra dictum tempus renouationem petere debet à domino,& prædicta procedunt, niſi ex iuſta cauſa impediretur, aliàs feudo priuabitur.Et ſic vaſallus excuſatur propter iuſtam cauſam,ſi non petijt inueſtiturã:& quæ ſint iuſtæ cauſæ,numerantur hîc.Intelligas tamen idem, ſi vltra iſtas cauſas reperiretur alia iuſta cauſa impedimenti.

Et

Et nota gl. hîc, quòd iſtud tẽpus currit à tẽpore ſciẽtiæ, & ignorans nõ priuaretur, niſi eius ignorantia fuiſſet craſſa & ſupina. Et in hac materia vltra adducta per Alua. vide q̃ dixi in alphabeto in litera I et in litera S. Et nota, quod eſt ſpeciale in milite ſecundum Dd. ſuper gl. quod requiratur annus et meſis: in alijs aũt vaſallis, qui nõ ſunt milites, requiritur dies & annus c. 1. §. prætererea. de probibi. aliena. feu. per Federi. Et ex hoc ſequitur quòd licet dicatur, quòd in materia feudali miles accipitur pro quocunque vaſallo, per hoc nõ intelligitur tolli priuilegiũ, quod ſpecialiter reperitur indultũ militibus. Nota etiã gl. quòd ſi elapſo tempore ſtatuto ad petendũ renonationẽ inueſtituræ, dominus recepit ipſum ad obedientiã & ſeruitium conſuetũ, quod videtur remiſiſſe ingratitudinẽ & culpam, niſi fuiſſet proteſtatus, quòd recipiebat ſaluo iure ſuo, cum qua glo. tranſeunt communiter Dd. Intelige tamen quod dictum eſt, niſi dominus per iuſtam ignorantiam feciſſet. l. nec ignorans. C. de donatio. Et quia gloſ. quærit, quid ſi vaſallus moriatur intra dictum tempus inueſtituræ petendæ, anne eius ſucceſſor debeat habere integrum tempus, ſcilicet anni & menſis, ad dictam inueſtituram petendam, an vero ſolùm illud tempus quod ſupererat defuncto? Et pro concluſione dicas ſecundum Docto. ſuper illa glo. quòd ſi feudum eſt antiquum, debet habere integrum tempus ſucceſſor: quia ipſe ſucceſſor habet feudum à principio magis beneficio

alterius quam ſucceſſoris, & quaſi ex ſucceſſorio edicto, & ſucceſſor agit de ſua inueſtitura, non de inueſtitura præceſſoris: ſed ſi feudum eſt nouum, non habet filius ſucceſſor, niſi illud tempus, quod ſupererat patri. E contrario, quia à patre defuncto proceſſit illud feudum. Nota glo. hîc, quòd propter infamiam domini ſubtrahi ut ſibi iuramentum fidelitatis, & excommunicatus inſuper eſt infamis, & quòd mors alicuius, qui dicitur mortuus in remotis partibus, probatur per famam. de quo per gl. & Dd. in. l. ſi quidem. C. ſoluto matrimonio. Et quod tempus datum ad petendum inueſtituram, eſt utile, quantum ad initium, ſed quantum ad progreſſum eſt continuum. Et nota quod in dubio tempus intelligitur eſſe continuum glo. in. l. j. ff. de diuer. & tempora. præſcrip. Et ad prædicta adde tu vltra alios glo. notabi. in c. nos ſanctorum. xv. q. vj. quæ voluit quòd excommunicato non eſt ſeruandum iuramentum fidelitatis. Nota etiam glo. quòd ſi vaſallus eſt abſens ex iuſta cauſa, puta cauſa Reipub. excuſatur, ſi non petijt inueſtituram tempore debito, etiamſi potuiſſet relinquere Procuratorem. Et idem dicas de alia iuſta cauſa, ſecùs ſi abſentia eſſet voluntaria. Et potes allegare iſtam glo. quòd vaſallus poteſt per Procuratorem inueſtituram petere, & præſtare iuramentum fidelitatis. de quo in. §. ſed vtrum. inf. per quos fiat inueſtitura. Et nota, quòd vaſallus non poteſt purgare moram elapſo tempore ſeruiendo & petendo inueſtituram, de quo per Aluaro. inf.

quæ

qui ſit prima cau. bene audit. in prin. Et nota textum, quod non ſufficeret comparere coram domino, & narrare patrem mortuũ & aliud non dicere: quia oportet quòd inueſtituram petat, & ſi promitteret ſimpliciter fidelitatem, nõ ſufficeret, quia inueſtitura non cõprehenditur ſub fidelitate, & vide glo. in c. fina. per quos fiat inueſtitura, qualiter ſe debeat habere vaſallus in inueſtitura petenda. Et ſi duo cõtendunt de hæreditate domini, poterit expectare vaſallus, donec ſit certum quis ſit hæres ſecundum Dd. Et ſi vaſallus petijt inueſtituram tempore debito, et non vult inueſtire dominus, priuabitur per ſententiam proprietate: quia in iſtis priuationibus à pari procedunt dominus & vaſallus. glo. in c. fin. per quos fiat inueſtitura. nec hoc tempus poteſt minui per dominum, niſi conſentiente vaſallo. Et ſi iſta renuntiatio vaſalli vel obligatio, ſi non venerit intra dictum tempus, quod perdat feudum, fieret apud acta auctoritate iudicis competentis, tunc non eſſet opus, niſi quod fieret executio obligationis: ſecus ſi extra iudiciũ feciſſet talem obligationem, quia tunc ageretur via ordinaria, niſi dediſſet licentiam, quòd caperet feudum propria auctoritate ſecundũ Dd. Sed dum dicit textus de infante, quòd excuſetur, intellige etiamſi habet tutorem ſecundum Dd. & intellige etiam, donec eſt pupillus: & vide in c. ſi de minori. inf. ſi de feudo fue. controuerſia. Et quia excuſatur vaſallus propter inimicitias capitales, prout in textu, dicas quòd iſta excuſatio

durabit per totū tempus conceſſum à lege ad petendum inueſtituram, quo tempore tranſacto, habebit adhuc tantundē temporis, quo tempore elapſo, nō excuſabitur amplius, quia aut tenebitur ire, aut mittere Procuratorem ſecundū Dd. alias ſequeretur abſurdum, quòd ſi inimicitiæ eſſent perpetuæ, nunquam teneretur petere inueſtituram, et ante iſtud tempus excuſatur, ſi nō miſit procuratorem. Et nota etiam, quòd ceſſante impedimento, incipit currere tempus.

Cap. Si quis fecerit inueſtituram.

Allegatur textus ille, quod dominus nō poteſt feudum vaſalli ſui cōferre alij ſine cōſenſu dicti vaſalli, quod ſi fecerit, habetur pro non facto. Vult ergo textus iſte, quòd nemo poteſt facere ſe inueſtiri de feudo, quod ab alio legitimè poſſidetur: quod intellige, niſi cōſentiat. Intellige etiā pure, ſecus ſi ſub conditione. c. j. ſup. qui ſucceſſo. teneantur. et ad iſtum textū concordat. l. non dubiū. C. de legib. quod quæ fiunt cōtra iuris diſpoſitionē: & hoc præſtat actū, quod de cōtractu reprobato nō debet ſolui gabella: quia habetur pro nō facto. & vltra adducta per Alua. allega tu ſingularē textum. & ibi Bal. in. l. ij. C. de eunuchis. & Bart. in. l. fi. §. ſin autē. C. commu. de lega. & multa ad hoc propoſitum allegaui in alphabeto in litera G, & in litera F. Et nota ſecundū Dd. ſuper gl. quòd dominus nō poteſt alienare ius ſuū in alterū inuito vaſallo, ita quòd vaſallus teneatur recognoſcere aliū dominū. c. j. §. præterea. de probi. aliena. feudi per Fede. & tu

& tu[illegible]a gl. in terminis. in l. inuitus. ff. de fideicommiſſ. liberta. & poteſt dominus pignorare ius ipſius dominii, ſcilicet proprietatem ſine conſenſu vaſalli: & Aluaro. remittit ad dicta per eum inf. de prohibi. aliena. feu. per Fred. in glo. quæ formauit hanc quæſtionem. Et dum dictum eſt, quòd dominus non poteſt alienare ius ſuũ inuito vaſallo, adde quod ſecus eſt in emphyteota, quia dominus poteſt vendere ſuũ directum dominiũ nõ requiſito emphyteota. ita voluit Imol. in. c. potuit. in v. colum. de locato. quod dicit ipſe, hoc non reperitur iure cautum. Quærit Bal. an ſi dominus alienet feudum ſine voluntate eius, priuetur proprietate? & concludit quòd nõ, per iſtum textum, qui dicit, quod pro nõ facto habetur. & ſic nõ priuabitur, ſed cõtractus erit ipſo iure nullus: ſecùs eſt in vaſallo alienãte ſine cõſenſu domini. Alu. inſurgit cõtra Bal. inducẽs aliqua cõtra ipſum, & reſpondet ad dictũ textũ, quoniam eodẽ modo nõ tenet venditio facta per vaſallum de iuribus ſuis ſine conſenſu domini, & tamen vaſallus priuatur iure ſuo. Sed ad hoc poteſt dici, quòd in caſu vaſalli alienantis lex vltra procedit, apponendo pœnam priuationis: ſecùs quando dominus alienat. Dicit tamen Alua. quòd opinio Baldi eſt æquior & mitior. Et nota ſecundum Dd. quòd ſi facta eſt purè inueſtitura per dominũ ſine conſenſu vaſalli, quòd vaſallo mortuo ſine ſucceſſore, poterit capere vires inueſtitura, ſi inueſtitus eſſet in poſſeſſione, quia poſſet ſe tueri per exceptionem, ſed ſi non

eſt in poſſeſſione,& inueſtitura ſit vallata per ſtipulationem,tunc poterit agere.

Cap. Sancimus.

Allegatur textus iſte,quod vaſallus non poteſt priuari poſſeſſione ſui feudi,niſi conuictus fuerit de culpa, & per ſententiam cõdemnatus, à qua ſententia vaſallus,ſi ſenſerit ſe grauatum,poterit appellare, & habebit terminum ſex hebdomadarum ad arripiendum iter pro appellatione proſequenda, ipſo vaſallo interim in poſſeſſione perſeuerante.Tu debes ſcire, non eſt neceſſe, quòd iudex,qui tulit ſententiam,compareat coram iudice appellationis, ſed ſatis eſt mittere apoſtolos.l.j.ff. de libel.dimiſſo.eſt tamen ſpecialis caſus hic,quòd iudices,qui tulerunt ſententiam principalẽ, debent intereſſe coram Imperatore in ventilatione dictæ cauſæ: & hoc eſt ſpeciale in magnis feudis. Et nota glo.hîc, quæ ponit quoſdam caſus, in quibus fallit regula poſita in textu,quòd pendente appellatione,nihil debet innouari.& adde Speculatorem,enumerantem plures caſus in titu.de appel.§.nouiſſime.in princ.per Inno.in.c.bonæ. in fine de appel.& vltra alios allega gl.in.§.appellatione.ij q.vj. Nota etiam glo. hîc, quòd etiam in materia feudali non poteſt deuolui appellatio ad Imperatorem omiſſo medio,& ſic.l.imperatores.ff.de appel.habet locum in materia feudali.Et nota ſecundum glo. & Dd. quòd iſtud tempus ſex hebdomadarum datur ſolum ad ſarcinulas præparandas pro itinere capiendo. Et intel-

lige

lige iſtum textum, dum dicit, quòd debet adiri præſentia Imperatoris, de minoribus vaſallis: quia iſti litigantes & eorum Curia ſeu eorum dominus erant ſub Imperatore, ad quem immediatè deuoluebatur appellatio: & ideo cum grauentur à ſuo iudice principali, appellant ad Imperatorem tanquam ad iudicem ſuæ appellationis. Et ſi vaſallus notoriè delinquat cõtra dominum, vt quia dominum iuſtè pugnantem dimiſit publicè, in bello, in conſpectu populi, vel aliter notoriè deliquit in dominũ, non requiritur ſententia ad ipſum priuandum, ſed dominus poteſt eo ipſo capere feudum, & inuadere ſecundũ Dd. & iſtud tempus, de quo in textu, poteſt cauſa cognita per iudicem augeri, non autẽ poſſit minui ſecundum Dd.

DE CONTENTIONE INTER dominum & vaſallum de inueſtitura feudi.

TITVLVS XXIII.

Si quis miles.

Allegatur textus iſte, quòd ſi dominus agit contra vaſallum poſſidentem feudum, petendo ſibi illud reſtitui, dicens, quòd non legitimè tenet, & quia nunquam ab eo fuit inueſtitus, ſed vaſallus affirmat ſe inueſtitũ, quo caſu ſtatur ſacramento vaſalli poſſeſſoris: ſed ſi vaſallus petat dominum poſſidentem compelli ad traden-

dum ſibi poßeßionem, dicens ſe ab eo inueſtitum, ſed dominus negat ſe inueſtiuiſſe, quo caſu ſi vaſallus non probat inueſtituram per Pares Curiæ, ſtabitur ſacramento domini poßeßoris. Nota tamen ſecundum Dd. quòd vt ſtetur ſacramēto vaſalli poßeßoris, oportet quòd ſteterit in poßeßione per annum: quo caſu intellige iſtum textum, quando dominus petit feudum ſuum, eò quia nunquam fuit ab eo inueſtitus. Sed ſi dominus ſimpliciter vendicat feudum tanquam rem ſuam, quod poteſt iſto caſu, oportet quòd vaſallus poßederit per annos triginta, vt inf. ſi de feu. fue. contro. §. ſi quis per triginta. Et ideo conſulunt Dd. quòd petas in libello ipſum feudum tanquam rem tuam propriam tibi, nō autem tanquam feudum.

QVEMADMODVM FEVDVM ad filiam pertineat.

TITVLVS XXIIII.

Quia interdum dominus, mortuo vaſallo, inueſtit filiam vaſalli mortui, & ſuper hac contentione ſæpe oriuntur contentiones, iccirco, vt hoc declaret, ſubijcit iſtam rubricam.

Si quis ſine filio maſculo.

Allegatur textus iſte, quòd filia nō ſuccedit in feudum patris morientis ſine legitimis hæredibus, niſi illud à domino per precium de nouo acquiſierit, vel niſi dominus illud ſibi dederit ob amorem & ſeruitia vaſalli defuncti. Et ſic filia fœmina non ſuccedit in feudo, etiam nouo: ſed dominus poteſt ipſam inueſtire de feudo nouo,

quod

quod eſt ſibi apertum: quia tunc dominus poteſt de re ſua ad libitum diſponere. l. in re mandata. C. mandati. Et ſic textus iſte ſecundum communem intellectum intelligitur in feudo nouo. Poteſt etiã intelligi ſecundum aliquos in feudo antiquo, quando erat reuerſum ad dominũ, in quo neque agnati domini, neque vaſalli mortui poterant ſuccedere, ſed inuidebant & impedire volebant inueſtituram filiæ, & ei præferri.

QVIBVS MODIS FEVdum conſtitui poteſt.

TITVLVS XXV.

Iſte titulus eſt factus, vt declaret quod in præcedenti titulo dictum eſt, an neceſſaria ſit inueſtitura ad hoc, vt filia vel alius vaſallus nouus poſſit ſibi feudum datum & conſuetum de nouo à domino retinere.

Sciendum eſt feudum.

Allegatur textus iſte, quòd feudum non conſtituitur ſine inueſtitura, etiamſi quis poſſideret rem nomine feudi de voluntate domini, quo caſu non tranſit ad hæredẽ. Et ſic habes quòd feudum ſine inueſtitura non poteſt conſtitui ad hoc, vt habeat propriè naturam feudi: ſufficit etiam actus, qui pro inueſtitura habetur, vt ſi dominus dixerit alicui coram Curia, Vade in poſſeſſionem illius feudi, & teneas illud pro feudo: & iſto caſu habetur, perinde ac ſi inueſtitura interceſſiſſet. c. j. in princip. de conſuetudi. recti feudi. & habebit pro-

propriam naturam feudi, & in eo ſuccedetur: ſecùs ſi dominus protuliſſet illa verba non in præſentia Curiæ: quod tamen intellige, niſi dominus paſſus fuiſſet vaſallum per annum poſſidere pacificè, & ab eo tanquam vaſallo recipiendo ſeruitia: quia iſto caſu diceretur etiam feudum conſtitutum ex actu, qui reputatur pro inueſtitura, vt probatur in dicto c. j. ſecundum Doctores. Corporalis ergo apprehenſio ex voluntate domini non inducit rectum feudum. Et nota glo. hîc, quòd feudum ſimpliciter receptum, intelligitur receptum pro ſe & ſuis filijs maſculis, licet in inueſtitura de nullo hærede fiat mentio. Et idem dicendum ſecundum Dd. in emphyteoſi. Et ſi dominus non haberet Pares, & proferret illa verba, de quibus dictum eſt ſup. coram alijs honeſtis viris, non haberetur pro inueſtitura ſecundum Bald. Sed Aluaro. inſurgit contrà Bald. per plures textus, quos adducit. Et ratio Baldi eſt, quòd in feudis iſtud eſt ſpeciale ſtatutum, vt niſi interueniat ſolennitas prædicta, non ſit rectum feudum, nec tranſmittatur ad hæredes etiam filios. Et iura allegata per Alua. non videntur de directo probare contra Bald. ſi rectè ponderentur. Si tamen Imperator vel Rex proferret illa verba, non eſt quærendum de præſentia Parium ſecundum Docto. argu l. omnium. C. de teſtamen. Et ſi nuntius vel procurator domini conſtituat vaſallum in poſſeſſione feudi, nulla præcedente inueſtitura, non videtur tamen vaſallus habere feudum, vt in eo ſuccedatur

tur

tur ſecundum Bal. niſi ipſe nuntius fuiſſet creatus ſolenniter coram Curia.

§. Si dominus.

Allegatur textus iſte, quòd ſi clericus infeudans feudum poſſeſſum per alium moriatur, antequam inueſtitus nanciſcatur poſſeſſionem, annihilatur talis poſſeſſio, & ſic ſucceſſor clerici inueſtientis non tenetur habere ratam inueſtituram factam per præceſſorem, niſi ſit conſecuta & ſortita effectum. Et intellige iſtum textũ de rebus eccle. non de rebus proprij ipſius clerici: quia in hoc æquiparatur laico. c. j. inf. de cleri. qui inueſtitu. Et intellige iſtum textum, quando fuit facta inueſtitura in diem, vel ſub conditione: quia valet ſine voluntate poſſidentis: & ſi inueſtiens moriatur ante diem vel conditionem, tunc ſucceſſor non tenetur habere ratum.

SI DE INVESTITVRA INTER dominum & vaſallum lis oriatur.

TITVLVS XXVI.

Si inter dominum & vaſallum.

Allegatur textus iſte ad multa, quòd ſi vaſallus poſſidens non poteſt probare inueſtituram, ſtatur ſuo ſacramento. Et idem ſi dominus ageret cõtra ſucceſſorem vaſalli, vel ſucceſſor domini contra vaſallum: ſed ſi vaſallus habet teſtes, ſtabitur dicto eorum cum ſacramento, & tales teſtes debent eſſe conuaſalli. Et ſi dominus tempore inueſtituræ nõ habebat Pares, ſufficiunt

teſtes

teſtes extranei. Et ſi vaſallus habet teſtes, ſed nolunt dicere veritatem, tunc iudex ordinarius compellit eos: & ſi iudex ordinarius nollet eos compellere, vaſallus habebit recurſum ad Imperatorem cum ſuo aduerſario, vel eius nuntio. Et ſi vaſallus promittat ſe iturum vel miſſurum intra annum ad Imperatorem, tunc poſſideat quietè vſque ad annum: & ſi non iuerit, vel miſerit vſque ad annum, tunc ſuper determinatione cauſæ ſtabitur ſacramento domini. Et ſi teſtes deponunt, ſe non interfuiſſe inueſtituræ, ſtabitur ſacramento domini. Et iſta procedunt etiam quoad clericos infeudantes, præterquam ad teſtes adhibendos in inueſtituris feudorum, in quibus poſſunt adhiberi & Pares teſtes & extranei. Regula eſt ergo in hoc textu, quòd deficientibus alijs probationibus, ſtatur ſacramento poſſeſſoris: quod intellige, quando poſſeſſio eſt roborata alia præſumptione, vt quia iſte vaſallus ſtetiſſet in poſſeſſione pacifica per annum. Iſta tamen regula habet fallentias, de quibus in. §. ſacramentum, in titu. de conſuetudi. recti feudi. Collige etiam ex textu, quòd iuramentum tranſit etiam ad ſucceſſorem: quod intellige, ſi ſucceſſor eſt informatus de veritate, aliàs ſecùs. l. videamus. in prin. ff. de in litem iuran. Et ſi poſſeſſor iurauit, & pendente lite moriatur, hoc tranſit ad hæredem ſecundum Bald. Probat etiam textus iſte, quòd teſtis debet citari: an autem, ſi nõ ſit citatus, probet,

bet, vltra adducta per Aluaro. adde Bart. plenè in.l. poſt legatum.§. is verò. de his quibus vt indig. Et nota bonum textum hîc, qui dicantur Pares, videlicet qui tenent feudum ab eodem domino, de quo per Docto. in.c.cæterum.de iudi. Probat etiam textus iſte, quòd in cauſa feudali poteſt eſſe vaſallus teſtis pro domino, & facit quod habetur in.l.j.ff.de teſti. quia vaſallus non reperitur prohibitus. Probat etiam textus, quòd in defectum teſtium ordinariorum admittuntur alij extranei. Et facit quod notatur in.c.cùm dilecti.de electio.& quod habetur in.l.conſenſu.C.de repudijs. Et nota iſtum textum ad ea quæ videmus quotidie. Aliqui teſtes quærunt celare veritatem, quia nolunt deponere, tamen compulſi deponunt, & creditur eis: ex quo infertur, quod non incidit in falſum, licet veritatem celauerit: quod intellige, ſi nondum iurauerat, quia ſi poſt iuramentum vel celaret, vel aliter diceret, vitiaretur dictum eius. Et adde Barto.in.l. presbyter.C.de epiſco.& cleric. quòd falſitas committitur in tacendo verum: & quod habetur in.c.j.de crimi.fal. Et notabiliter probat textus iſte, quòd licet teſtis acceperit pecuniam, vt reticeat veritatem, nihilominus ſi illam perhibet, probat. & de teſte qui recepit pecuniam, vt dicat veritatem per gl. & Bar.in.l. j.in prin.ff.de l.Cor.de fal. Et dum hic dicit Alua. quòd vbicunque aliquis reclamat de grauamine illato per negligentiam ſimplicem, quòd tunc non appellatur à

ſimplici

ſimplici negligentia, ſed aditur ſuperior abſque interpoſitione appellationis. Et vltra adducta per ipſum adducas tu Bart.in.l..de pupillo.§.ſi quis ipſi Prætori.ff.de ope.noui nuntia.quem textum ponderat Bal. in.l.fi. §. illud.C.de tempo.appella.Bal.in.l.ſed ſi per Prætorem. §.ait Prætor.ff.ex quibus cauſis maio. in.l.ij. C. vt lite penden.in.l.fi.C.de ſenten.Ange.in l.de qua re.ff.de iudi. Et videtur concludi, quòd ſuperior adeatur per viam querelæ, vt cogat iudicem. Et nota iſtum textum, quia ſolet allegari in argumentum ad hoc, quòd teſtes producti coram arbitris poſſunt & debent compelli per iudicem ordinarium ad iurandum & deponendum. Nota etiam hîc textum, quòd in cauſa feudali & ante litem conteſtatam poteſt procedi etiam ad ſententiã definitiuam, ſicut in cauſa appellationis.l.fina.§. illud.C. de tempo.appella. Probat etiam textus iſte, quòd vbi contenditur de inueſtitura noua inter dominum & vaſallum, ſimplex poſſeſſio vaſalli nõ iuuat ipſum, ſi aliàs legitimè non probetur: immo nõ obſtante poſſeſſione vaſalli, ſtabitur ſacramento domini, de quo in.c.j.§. ſacramentum. de conſue. recti feu. Et nota, quòd hîc eſt vna glo. reputata ſingularis, quòd hodie populus Romanus poſſit deponere Imperatorem, ſed vt dicit Bald. iſta glo. dicit totum oppoſitum, dum dicit, quòd Imperator plus poteſt, quàm populus, licet arguat in medio in contrarium. Et eſt communis concluſio, fundata fortioribus rationibus, quòd populus nõ poſſit: quia hoc ſpectat ad Pa-

ad Papam, qui illum cõfirmat. c. ad apoſtolicæ. de re iudica. in 6. Et nota etiam hîc glo. quòd quælibet ciuitas hodie habet eam iuriſdictionem, quam olim habebat Præſes prouinciæ. Et adde glo. reputatam ſingularẽ in l. ſi. C. de præſcrip. lon. tempo. Et nota etiam ex glo. hîc, & quod ſuper ea per Dd. quòd clerici poßunt de iure nõ ſolùm de conſuetudine, vt dicebat glo. infeudare agnatis & conſanguineis bona ſolita infeudari, maximè ſi agnati ſint idonei, pauperes, benemeriti & vtiles eccleſiæ, & ſit modicum, & non immenſum, quod datur, de quo etiam per Bald. in authen. quibuſcunque. C. de ſacroſ. eccle. ex quo eccleſia non læditur: quia ille conſanguineus recipit eiſdem pactis & conditionibus, quibus extraneus: ſecus ſi alia ratio prohibet, vt quia Prælatus daret conſanguineo potentiori. Et idem dicendum eſt in emphyteoſi. Nota etiam glo. quòd ſi clericus vellet pro ſe retinere feudum, vel rem eccleſiæ ſuæ, quod non poteſt ſibi acquirere, dum eſt in adminiſtratione, quod eſt notandum. Et adde ad prædicta Abba. notab. in. c. vt ſup. de rebus eccle. non alienan. vbi tenet contra Legiſtas.

§. Si quis ſe.

Allegatur textus iſte, quòd vbi vaſallus agit contra dominum poßidentem feudũ, dicens ſe vel patrem ſuum fuiſſe inueſtitum, debet ſaltem probare per duos teſtes legitimos: ſed eo in probatione deficiente, iurabit dominus cum duodecim ſacramentalibus: domino recuſante iurare defertur iuramentum vaſallo actori, qui

iurabit cum duodecim ſacramentalibus ſe vel patrem ſuum fuiſſe inueſtitum: vtroque autē recuſante ſacramentum, ipſe dominus poſſeſſor debet abſolui. Sed ſi vaſallus eſt in poſſeſſione feudi, & in ea ſtetit per annū domino ſciente & patiente, tunc ſi dominus agat, petendo illud, debet ſtari ſacramento ſimplici ipſius vaſalli poſſidentis & iurantis ſe vel patrē ſuum fuiſſe inueſtitū de dicto feudo. Et ex hoc textu collige, quòd duo teſtes ſufficiunt ad inueſtituram probandam, & intellige quando deponunt de veritate, ne obſtet textus iſte, qui dicit poſtea de xij: quia illi deponunt de credulitate & conſciētia ſua, quaſi ad purgationē famæ producētis. Et nota hîc caſum ſingularē in fine ſecundum Bal. in materia feudorū, quòd tunc poſſeſſio inducit præſumptionem pro vaſallo, ſcilicet quando ſtetit in poſſeſſione per annum pacificè tanquam inueſtitus domino ſciente, & non contradicente. Et adde textum in c. ſi Titius. in fi. inf. ſi de feu. fue. contro. & eſt hic caſus ſpecialis, quòd ex ſola annali patientia cū præſumptione inueſtituræ præſumitur titulus.

DE FEVDO DATO IN VICEM LEGIS COMMISSORIÆ.

TITVLVS XXVII.

Quia poterat dubitari circa prædicta, an feudū poſſit cōſtitui per pactū legis cōmiſſoriæ, adiectū ſuper re pignorata, vt in quantum debitor nō lueret à creditore infra certū tēpus rem pignoratā, quod tūc ipſa res pignorata deberet remanere apud creditorē loco feudi, ideo facta eſt iſta rubrica, vt hoc declaretur.

Si quis

Si quis obligauerit.

Allegatur textus iſte, quòd feudũ non poteſt cõſtitui ſub pacto legis cõmiſſoriæ, et ideo nõ obſtante tali pacto, poteſt debitor, ſoluto debito, reuocare quandocunque rem ſuã pignoratã. Et ſic pactũ legis cõmiſſoriæ eſt reprobatũ in feudo, ſicut in pignore. l. j. per totũ. C. de pac. pigno. Et ſicut eſt prohibitũ, vt non acquirat directum dominium, vt ibi, ita nec etiam vtile, quod eſt ſufficiens ad parandum actionẽ, quemadmodum directum etiam contra dominum. l. j. in fi. cum l. ſequenti. ff. ſi ager vectiga. Et nota gl. hîc, & quod ſuper ea dicunt Dd. quòd feudum de iure & de conſuetudine poteſt acquiri pecunia, vt probatur in. c. j. quemadmodum feudum ad filiam perti. in. c. j. de benefi. fra. vbi per Docto. & ſolùm fallit in caſu iſto, vbi principalis contractus eſt reprobatus. Nota etiam gl. dum format quæſtionem, quòd ſi vendo tibi rem pro centũ, & appono pactũ, quòd ſi ipſa nõ ſolueris integraliter vſque ad certũ tẽpus, quòd tunc debeas retinere rem venditã in feudum, vtrum valeat tale pactum, adeo, quòd ſi ſit ſolutum pro parte, ſit ſeruandum pactum? Et conclude ſecundum Dd. quòd tale pactum valeat, nec obſtat iſte textus, quia loquitur in obligatione pignoris, in qua bene eſt reprobatum tale pactum, non in venditione: quia non reperitur hoc reprobatum glo. in rubri. ff. de le. commiſſo. Poteſt tamen ſaluari glo. quòd non valeret pactum, quòd ſoluta parte precij, deberet ſibi tota res remanere infeudata, quia

hoc eſſet iniquum. Quærit etiam glo. accepi centũ à te mutuo, pignoraui fundum, & vltra hoc dedi fideiuſſorem, & fecit mecum pactum fideiuſſor, quod ſi ipſe teneretur ſoluere, quòd tunc dictus fundus poſſit teneri in loco feudi. Et conclude, quòd tale pactum non valet per iſtum textum. Nota etiã glo. pro intellectu textus, dum dicit Quandocunque, an ipſe creditor poſſit repellere ipſum debitorem exceptione xxx annorum. & Aluaro. hîc ſuper iſta glo. cõcludit, quod iuri offerendi non præſcribitur ſpacio xxx annorum ſecundum cõmunem opinionem, quia ius offerendi competit debitori per modum facultatis, & facultati non præſcribitur: quod intelligas verum, niſi debitor conſtituatur in mora luendi, quo caſu bene tolleretur ius offerendi, etiam non expectato tanto tempore. l. ſi conuenerit. ff. de pignora. actio. Tangit etiam de pignoratitia actione, an tollatur ſpacio xxx annorum, & concludit quòd ſic. Et ratio eſt, quia eſt perſonalis: incipit tamen currere præſcriptio, quando actio pignoratitia eſt nata. & quando dicatur nata eſt textus & glo. in. l. ſi rem. §. omnis. ff. de pignora. actio. Dicit etiam quòd rei vendicationi non præſcribitur ſpacio xxx annorum: & ſi diceretur, quod prodeſt quòd præſcribatur pignoratitiæ actioni, ſi adhuc remanet rei vendicatio, reſpondet quòd eſt longa differentia propter difficultatem probandi dominium in rei vendicatione, quod non eſt in pignoratitia actione glo. in. l. j. in fin. C. de anna. exceptio. & circa iſta allegat

legat notata in.l.pignori.ff.de vſucapi.in.l.cùm notiſſimi.§.eodem iure.C.de praeſcrip. xxx annorum.in.l.ſi rem.§.omnis.ff.de pigneratit.actione:tu in hac materia a[illegible] textum & Barto. in.l.fina. in princ.ff.de pignora. actio. vbi eſt caſus, in quo agitur pignoratitia, [illegible] ſit ſoluta pecunia:et an praeſcriptio curratur [illegible] Bald. in conſilio ccxcij. Sed aduerte, quia Bald. [illegible] ponderat iſtum textum pro ſingulari, quòd vbi in pignoribus eſt reprobatū pactum legis commiſſoriae, tunc odio creditoris nullo tempore praeſcribitur iuri offerendi: ergo videretur quòd in alijs ſecùs, niſi dicamus, quòd vbicunque iuri offerendi praeſcriberetur, nunquam praeſcribetur iſto caſu. Nota tamen quòd hoc non procedit quando pactum, de quo in textu, fieret ex interuallo per ea, quae leguntur in.l.ij.C.de pactis pigno. in.l.quamuis.ff. de ſolutionibus & liberationib. Quaerit Alua. ſi pignorauit creditori caſtrum, an poterit ibi vti iuriſdictione, & remittit ad notata in.c.cùm Bertoldus.de re iudicata. & eſt textus ſingularis in.l. eleganter.§.fin.ff.de pignora.actio. Quaeritur etiam, mutuaſti mihi decē nullo pignore cōſtituto, ſed hoc pacto, quod ſi non ſoluero infra annū, talis domus mea ſit tua pro illis decem, an tale pactum valeat? & Bal. quòd ſic, quòd non eſt pactum pignoris.l.fin.ff.de contrahen. emptio. Et ſi obligaui fundum, pacto appoſito, quòd ſi non ſoluero infra annum, habeas fundū emptum iuſto precio, pactū valet. textus eſt notabi.in.l.ſi fundus.§.fi.

ff.de pigno. Et nota, quòd Alua. hic videtur intelligere textũ in.l.ſi.in princ.ff.de contrahen. emptio. quòd ibi fideiuſſor conuenerit de iuſto precio, quod non videtur verum, quia ibi Barto.ſic ſummat illum textum, pactũ quaſi legis commiſſoriæ eſt reprobatũ inter creditorem & debitorem,non inter tertium & debitorem.

Cap. Si quis.

Allegatur textus iſte,quòd dominus non poteſt inueſtire aliquem de feudo poſſeſſo per alium ſuum vaſallum,niſi ipſe poſſidens conſentiret,& hoc ſecundũ opinionem Placentinorum, ſed ſecundum Mediolanenſes & Cremonenſes tenet talis inueſtitura, facta abſque conſenſu,& ſcientia ipſius poſſidentis,dummodò ex tali inueſtitura nõ fiat aliquod præiudiciũ ipſi poſſidenti,dõnec viuit:neque poſt mortẽ ipſius ſi relinquat ſucceſſores.Et ſic habes ex hoc textu,quòd de feudo per aliũ poſſeſſo quis poteſt inueſtiri ſub cõditione, vel in diem: quo caſu inueſtitura nõ habebit antè effectũ, niſi poſtquam feudum erit apertum domino:& ſic interim nullũ præiudicium fiet poſſidenti,nec hæredibus ſuis:& hoc ſecundum opinionẽ Mediolanenſium & Cremotenſium, quæ ſic debet intelligi,nec obſtabit ratio l.fina.C. de pactis. quia de iure cõſuetudinario valent huiuſmodi cõuentiones,inf. tit. prox.cap.j. & eſt ratio, quia feudum multis alijs modis poteſt amitti, quàm per mortem, vt in titulo quibus modis feudũ amitta. Aſſignantur & aliæ rationes per Docto.hic. Et aduerte,quia Bald. aſſignat ratio-

rationē, quam impugnat Al. Dicit enim Bal. quòd iſta inueſtitura, de qua in iſto. c. non importat pactū de f- tura ſucceſſione, ſed potius de caducitate ceſſionis, & eſt collatum in defectum iuris tertij: quod quidem pactum habet iuris ordinem, et eſt de iure validum. Dicit Alua. quòd ex hac ratione Bal. non euitaremus dictas inconuenientias prædicta. l. fina. C. de pactis. ſed vellē ſcire ab eo, dum reſidet in illa ratione, quòd de iure conſuetudinario valent huiuſmodi conuentiones, vtrum ceſſent tunc dictæ inconuenientiæ: nec poteſt negari, quòd non ſit id quod vult Bal. quòd iſta inueſtitura non importat pactum de futura ſucceſſione.

Cap. Quidam obligauit.

Allegatur textus iſte, quòd poſſidens pignus tanquam in feudum pacificè & quietè per annos xxx illud, in futurum pro feudo tenebit, ſi iurauerit cum duodecim ſacramentalibus eſſe feudum, & poſſeſſum continuè toto dicto tēpore iure feudi: ſi verò iurare noluerit, tunc ſtari debet ſacramento domini iurantis cum duodecim ſacramentalibus in contrarium: neutro autē volente iurare, tunc debet ipſe poſſidens inueſtiri per dominum. Et nota pro intelligentia iſtius textus, quia ſi res ſemper fuit poſſeſſa tanquam feudalis per xxx annos, & de ea ſint præſtita ſeruitia tanquam de re feudali, nec cōſtat quòd vnquā alter titulus præceſſit, niſi iure feudi, tunc ipſe vaſallus illam obtinebit abſque alio ſacramento, vt in titu. ſi de feudo fue. controuer. §. ſi quis per

triginta: ſi verò conſtat, quòd alter titulus à principio præceſſerit, ſcilicet titulus pignoris, tunc, ſi vaſallus poſtea recognoſcit à domino tanquam feudalem, & eam iure feudi poſſideat per xxx annos, ſibi poterit eam defendere, dummodò iuret cum duodecim ſacramentalibus ſecundũ formã huius cap. Et ſic ex hoc textu & prædictis habes, quòd per receptionem ſolam ſeruitiorum non inducitur conſtitutio feudorum, niſi ſit præſcripta longiſſimo tempore: quæ præſcriptio debet eſſe cõtinuata, & non interrupta, vt probatur in hoc textu. Collige etiam, quòd in re præſcripta iure feudi habet locum ſucceſſio, quia præſcriptio æquiparatur veritati, vt notatur in l. j. C. de ſeruitu. & aqua. Et intellige textum, quòd hîc fuit poſſeſſio interuerſa, quia incepit poſſidere loco feudi, quod primò poſſidebat loco pignoris, quia aliter non poſſet procedere textus. l. ne creditores. C. de pignora. actio. l. malè agitur. C. de præſcrip. xxx annorũ. l. non ſolùm. §. quod vulgo. ff. de vſucap. Nota quod dicit Bal. quidã acquiſiuit emphyteoſim ecclesiæ per præſcriptionẽ xl annorum iuxta ea quæ habẽtur in c. de quarta. de præſcrip. an iſtud ius extendatur in tertiã generationẽ, an in infinitum eſt? & reſpondet vſque ad tertiã generationẽ duntaxat, quia eſt informis: ſecùs ſi à principio fuiſſet cõceſſa ſimpliciter. Et nota, quòd ſi dominus liberat vaſallũ ab omni ſeruitio, quòd feudũ propter hoc nõ eſt extinctũ, quia vaſallus videtur ꝓmeruiſſe, & non demeruiſſe. Bal. in l. j. ff. de rerum diui. q. xvj. Alua. hîc.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE FEVDI COGNITIONE.

TITVLVS I.

In iſta rubrica declaratur tota iſta materia, quomodo & qualiter, & quo iure vel conſuetudine cauſæ feudales debeant cognoſci & determinari, ſi dicta iura leges & conſuetudines reperiantur variæ & diuerſæ.

Obertus de Orto.

Allegatur textus iſte, quòd omnis cauſa in generali regulariter determinatur aut iure Romano, aut Longobardo, aut conſuetudine loci. Sed cauſa feudalis in ſpem determinatur ſecundum cõſuetudinem loci, ſi ſub illa conſuetudine cauſa ipſa comprehendatur, aliàs determinabitur ſecundum legem ſcriptam, quæ ibi viget & ſeruatur. Et ſic nota, quod conſuetudines feudorum approbatæ ſunt generales, & debent vbique ſeruari. Et quia Alua. tangit hîc poſt glo. multa de conſuetudine, vide tu quæ late dixi in allegationibus conſuetudinis in fine alphabeti. Et conclude in hac materia, quòd in materia feudali attendenda eſt primò cõſuetudo, ſi extat. Secundo proceditur de ſimilibus ad ſimilia in materia cõſuetudinis. c. ij. de feudo March. c. j. an mutus vel aliàs imperfectus. Tertiò recurritur ad legẽ ſcriptã, ſi extat, vt hîc. Quartò, ſi non extat, tunc recurrendum eſt ad argumenta legum, quæ valida ſunt iure Romano. l. non omnes. §. à barbaris. ff. de re milita. Et nota ſecundum glo. & Dd. quòd poteſt argui per ſimile conſuetudinis

in materia cõſuetudinis. In alia materia ſecùs, quia illa ſunt ſimilia, quorũ qualitas eſt vna. Et ſubdit Bal. quòd conſuetudo eſt ciuium tacita conuentio: & ideo ſicut pactũ non extenditur ad aliam rem vel perſonã, quàm de quibus loquitur. l. ſi vnus. §. ante omnia. ff. de pac. ita nec conſuetudo. Et ſic eſt ſtricti iuris, quod patet etiam, quia filia, quam parit ſcilicet actio, eſt ſtricti iuris. §. actionum. Inſti. de actio. Et nota dictum Bal. hîc, quòd quãdo dicitur de conſuetudine, intelligitur de præſcripta: nam antequam ſit præſcripta, non dicitur conſuetudo, ſed voluntas inducendi conſuetudinem, vt eſt textus ſingularis. in. c. Cumana de elec. licet Bald. non alleget.

Sciendum.

Allegatur textus iſte, quòd feudum non conſiſtit, niſi in rebus immobilibus, aut ſolo cohærentibus, aut in his quæ inter immobilia computantur: nec acquiritur niſi per inueſtituram aut ſucceſſionem. Ratio autem, quare feudum non poteſt conſiſtere in rebus mobilibus eſt, quia mobilia cõſumuntur per vſum, vnde proprietas rei feudalis, quæ debet ſemper remanere apud dominũ, cõſumeretur per vſum: & ſic cùm proprietas deduceretur ad nihilum, non poteſt cadere feudum ſecundum regulas & conſuetudines feudorum. Et ſi diceretur vaſallus, rem ipſam conſeruabit, tenendo illã in arca, tunc hoc eſſet contra aliam regulam, quia eſſet feudum inutile vaſallo, qui debet habere vſum. fructũ & cõmoditatem

tem aliquam, quod eſſet cõtra naturã feudi. §. fi. inf. in quibus cau. feu. amitta. De emphyteoſi vide per gl. in. §. adeo. Inſti. loca. in. c. potuit. de loca. Et nota hîc, quòd feudum poteſt conſtitui in certo reditu Cameræ vel Canipæ: non ſit tamen talis ſolutio vaſallo, niſi ibi ſit vnde ſolui poſſit: quia ſi euacuata eſt ſine culpa promiſſoris domini, debet expectari quouſque ſolui poſſit. Soluere autem poſſe intelligitur deducto ære alieno. inf. de notis feudor. in prin. Et iſtud feudum finitur morte dantis & recipientis. inf. quis dicatur Dux. c. j. Debet tamen hæres vaſalli habere fructus feudi totius anni, quem ipſe vaſallus mortuus iam ingreſſus erat: de fructibus aliorum feudorum habetur inf. hîc finitur lex. §. ſi vaſallus. Et dum dicitur in textu, quòd altero de duobus modis acquiritur feudum, vt dictum eſt, dicas etiam, quòd ſunt alij modi, vt per præſcriptionem, vel per culpam alterius vaſalli agnati poſſidentis, de quibus per Alua. ſup. quib. mod. feu. conſti. poteſt. c. j. Super glo. tangitur, an nomina debitorum cõputentur inter mobilia? Et vltra adducta per Alu. adde tu quæ dixi in meo alphabeto in litera N, & cõcludit ipſe, quòd in nominibus debitorũ, quæ ſunt immobilia, poteſt conſtitui feudũ, ſi mihi debeantur perpetuò. Et ponit exemplũ: Teſtator grauauit hæredẽ, vt omni anno daret mihi decem, potero ex iſtis decem conſtituere feudum Titio ſibi dando omni anno quinque argu. huius textus: ſecùs ſi non darentur mihi perpetuò, quia tunc feudũ non poterit de iure conſtitui,

quia

quia ſunt peruentura ad conſumptionem, tanquam bona mobilia. Sed aduerte tu, legatum annuum non durat vltra centum annos. Bart. in. l. annua. §. Attia. ff de annu. lega. Alex. in. l. ij. ff. ſoluto matrimonio: ergo videtur quòd feudum conſtitui non poteſt, quia eſt peruenturum ad conſumptionem, cogita tu ſi eſt verum. Et nota etiam ſecundum glo. & Dd. quòd feudum Cameræ vel Canipæ poteſt conſiſtere in rebus ſoli, vel ſolo cohærentibus. Exempli gratia: ſi Camera vel Canipa haberet domum vel fundum, ex quibus colligebat introitus, poterit fundus vel domus dari in feudum, vt omni anno in vita ſua debeat percipere fructum de tali fundo vel domo: & tale feudum dicetur feudum Cameræ vel Canipæ, licet non fiat ſolutio per Cameram vel Canipam. Et dum dicitur in textu, quod feudum acquiritur per inueſtituram, dicas ſecundum glo. & Dd. idem per eum actum, qui pro inueſtitura reputatur. c. j. in princ. de conſuetu. recti feudi. Et non teneas glo. dum dicit quòd in tali inueſtitura ſimilitudinaria non ſuccedit hæres: quia imo ſuccedit ſecundum Dd. Sed potes dicere glo. procedere, quando actus repræſentans inueſtiturã fuiſſet factus abſente Curia. Et ſi diceretur, nunquam feudum acquiritur per ſucceſſionem, ſed ſemper per inueſtituram, quia moriente vaſallo, oportet quòd hæres petat inueſtituram infra tempus debitum: reſpondetur, quòd inueſtitura, quæ fit de veteri feudo, in quo ſuccedit ur, eſt potius cõfirmatio rei iam acquiſitæ. Quod patet:

tet: quia per illam nulla traditur poſſeſſio ſuccedenti, cum iam teneat & poſſideat. Sed quando de nouo quis inueſtitur, bene tunc dicitur acquiri feudum per inueſtituram, & illa mediante acquiritur poſſeſſio feudi. Et ſi datus eſt fundus in feudum cum animalibus ſuper eo exiſtentibus. finito feudo, aliquo caſu debet reddi æſtimatio animalium, quæ non extant ſecundum Dd. Ex quo ſequitur, quòd licet feudum non poſſit dari in rebus mobilibus, tamen poteſt dari cum rebus mobilibus. Et nota hîc vnum dictum Bal. quòd ille qui emit pedagium à Cõmuni, videtur emiſſe pœnas transgreſſorũ. l. creditor. in prin. ff. de actio. empti. & ibi per Cy. in addi. Et nota glo. ſi. dum dicit, quòd filius ſuccedendo in feudo patri non acquirit feudum, ſed iam acquiſitum capit. Et dixit Bal commenda memoriæ pulchrum & ſapidum modum loquendi.

QVID SIT INVESTITVRA.

TITVLVS II.

Inueſtitura quidem propriè.

Allegatur textus iſte, quòd propriè inueſtitura eſt apprehenſio corporalis poſſeſſionis feudi, ſed verbalis inueſtitura facta etiam cum re corporea cenſetur abuſiua: quæ inueſtitura debet fieri corã Paribus ſaltem duobus, non alijs. Inueſtitura ergo propria eſt per acquiſitionem poſſeſſionis: abuſiua autem eſt illa, quæ non conſiſtit in ſubſtantia poſſeſſionis, ſed in quodam præambulo

bulo verborum, cum aliquo corporeo, porrecto à domino ipſi vaſallo, vt quia dicat, Ego inueſtio te cum iſto anulo. Et licet tunc non ſit tranſlata poſſeſſio rei feudalis, videtur tamen data licentia vaſallo intrandi poſſeſſionem propria auctoritate. De quo per Inno. in. c. ex literis. de conſue. Vult etiam textus iſte, quòd cum ſolennitate actus fieri debeat, quod debeant ſeruari ſeruanda: & quòd inueſtitura ſit facta coram Paribus ſaltem duobus, & quòd iuretur fidelitas, et ſubſequenter quòd fiat inductio in poſſeſſionem: & cum requirantur teſtes Pares, ſi deficiunt, inueſtitura eſt ipſo iure nulla, vt hîc, adeo, quòd ex tali inueſtitura nulla naſcitur obligatio ſecundum Bal. quia poteſt lex præfigere modũ & qualitatem in probando. Et ſicut de iure cõmuni ſufficiunt duo teſtes. l. vbi numerus. ff. de teſtibus. ita etiam de iure conſuetudinario. vt hîc. Et nota glo. magiſtram hîc, quæ ponit an & quando valeat inueſtitura, etiamſi ſit facta corã teſtibus extraneis, quia hæc eſt regula, quòd debeãt eſſe Pares. Et nota limitationem ad ſingularem l. quiſquis. C. de dona. quia licet dominus retinendo ſibi vſumfructum transferat poſſeſſionem rei donatæ, tamen dominus non transfert retinendo in ſe dominium directũ, vt hîc, quia proprietas retẽta eſt dignior, quàm vſusfruc. ſecundũ Dd. Si tamẽ inueſtitura fieret in præſentia rei feudalis, transfertur poſſeſſio: quia hoc operatur viſus & cõſpectus. l. quod meo. §. ſi venditorem. ff. de acquiren. poſſeſ. Et ſi velles ſcire, quæ eſt ratio differen-

tiæ,

tia, quod ttaditis clauibus transfertur poſſeſſio. l. clauibus. ff. de contrahen. emptio. non ſic per traditionem anuli: & dicas, quia ſub cuſtodia clauium continentur illæ res recõditæ ſub clauibus, & ideo traditis clauibus, traditur ipſa res: ſed anulus & ſimilia, cum quibus fit inueſtitura, nihil habent cum rebus quæ cõtinentur in feudo. Quærit Al. vaſallus fuit inſtitutus abuſiuè de feudo amplo, continente ſub ſe multa bona, an ingrediendo poſſeſſionẽ vnius rei tantùm, videatur acquiſiuiſſe poſſeſſionem omnium aliarũ rerum, & recitatis opinionibus ſe non firmat. Sed tu allega gloſ. in. l. iij. in princ. ff. de acqui. poſſ. quæ voluit, quòd ſi aliquis ingrediatur in vnum fundum eo animo, vt acquirat poſſeſſionẽ pro eo & pro alijs, nõ ſufficit quòd facit cõtra nuncios, quibus eſt data licẽtia, vt inducant in poſſeſſionẽ plurium fundorũ, qui inducunt in vnum, eo animo, de quo per Ange. in. l. licet. C. de acqui. poſſ. et velle facere differentiã ſecundũ aliquos inter ſingularia & vniuerſalia, hoc non valet: quia ſicut in ſingularibus rebus nõ transfertur dominiũ ſine traditione, ita nec etiã in vlterioribus. gl. eſt no. & ibi per Bar. in. l. j. ff. pro dote. ꝓ quo habes textũ in. l. qui tibi hæreditatẽ. C. de hære. vel actione vendi. et ſicut non fit in hoc, quare volumus facere in alio? Nec obſtat textus in. l. iij. ff. pro ſocio. quia ibi ponitur caſus ſpecialis ſecundum Bar. in dicta. l. j. Et nota, quòd ſi dicatur, Cõcedo tibi pro annua quãtitate, nõ eſt feudũ, ſed emphyteoſis, nec tenetur præſtare iuramentũ fidelitatis,

litatis,nec cenſetur iure feudatarij,de quo per Bald. in l.liberti.C.de ope. libert. Quæritur etiam ſi Pares ſint abſentes,qui ſunt neceſſarij teſtes ad nouam inueſtituram, an ſint citandi? & Aluaro. adducit Bal. quòd debent citari,& ſi non citentur, nõ valet inueſtitura: hoc tamen intelligit Alua.niſi eſſent ita abſentes & remoti,quòd non poſſent adeſſe ſine maxima difficultate, & adducit iura,ſed pro ipſo etiã facit glo.in.c.fin.de maio. & obe. textus in.c j. ne ſe.vacan. in 6.& quod voluit Ab.in.c.dilecti.de appel.ſed ego teneo indiſtinctè,quod dicit Bal.quia licet ſint ita abſentes,debent expectari, ſi de proximo ſaltem ſint reuerſuri:quia iſta inueſtitura non indiget celeritate, ſicut in caſu iurium, quæ allegaui:celeritas enim ibi actus faciendi, facit quòd non requirantur abſentes. Et dum ſubdit Alua. poſt Bald. quòd ſi citati nollent venire,valeret actus ſine ipſis, pro hoc allegatu notata per Barto.in.l.ſi cùm dotem.§. eo autem tempore.ff.ſoluto matri. in illa quæſtione ſtatuti,quòd mulieres non poſſint contrahere ſine conſenſu propinquorum,& nolunt conſentire,per Bald.in.l.j.C. qui admitti ad bo.poſſeſ.poſ in.l.j. C. vnde vir & vxor. per Ab.in.c.nullus.de iure patro.in.c.quod Dei.de ſtatu moach.in.c. tuæ. de cle. non reſi. Et ſi dominus non haberet niſi vnum Parem, deberet intereſſe ad minus cum alio ſecundum Dd. Et nota quòd Bald.allegat textum, quem dicit notabilem, quòd per verbum, Aſſigno, ceduntur actiones.l.arbiter.ff.de diſtractione pignorum.

Dicit

Dicit etiã Bal. quòd ſi Papa dicit, Aſsignamus tibi tale caſtrũ cum plenitudine iuris, vel ponat alia verba æquipollentia, nõ eſt neceſſaria poſſeſsio facti: quia apud Papam eſt plenitudo ſupremæ poteſtatis. Dicit etiam Bal. quòd ſi in inueſtitura dicatur, Inueſtimus Titium de tali proprietate pro ſe & deſcendentibus propriè & nõ fictè, & ex ſuo corpore, intelligitur de deſcendentibus in infinitum, dum tamen per legitimam cõſequentiam. l. fina. C. de natura. liber.

§. Si enim domino.

Allegatur textus iſte, ſi vaſallus agat ex inueſtitura abuſiua contra dominum poſsidentem feudũ, & petat propriam inueſtituram, ſcilicet poſſeſsionẽ eiuſdem feudi ſibi decerni, & dominus neget inueſtituram feciſſe, debet fieri probatio modo & forma quæ in iſto. §. traditur. Et ſcias, quòd iſte textus declarat illud, quod ſæpe reperitur in hoc libro, quòd fiat probatio per breue teſtatum, intelligitur enim per publicum inſtrumentum, vt hîc. Et Bal. hîc ponderat textum pro ſingu. ſecundum Aluaro. quòd quanquam teſtis extra iudicium dicat ſe non interfuiſſe, tamen in iudicio poteſt cogi ad veritatem deponendum per iuramentum, & ſtabitur depoſitioni ſuæ Bart. in. l. eos. in fin. ff. ad. l. Cor. de falſis tenuit contrarium, de quo per Bal. in. l. geſta. C. de re iudica. in. l. nullum. C. de teſti. per Salicetũ. in. l. ſi quis decurio. C. ad l. Cor. de falſis. & tene quod dicitur hîc: & adde quod notat Bar. in. l. ſi quis in graui. §. moriẽs. ff. ad Sil.

ff.ad Sil. de teſte, qui in articulo mortis dicit ſe dixiſſe falſum:in tali cauſa non praiudicat alij, & per Bal. in authen.ſi dicatur.C.de teſti.in.l.generaliter.C.de non nume.pecu.& Alua.hîc dicit ſe allegare alium textum, & ſic textus allegatus à Bal. non eſt ſingularis, ſed ego allego alium in.c.j.§.notandum.de notis ſeu. Non trades obliuioni etiam iſtum textum,& Bal.hîc in ver.reminiſci, quòd qui nõ recordatur modò, poteſt recordari cras:& ideo poteſt excuſari teſtis,qui in vna cauſa dicit ſe nõ recordari,& poſtea ſuper facto examinatus depoſuit,quod eſt notandũ. Accipe vnam ſingularẽ limitationem,ſi vera eſt ad.c.fraternitatis.de teſt.& Cle. teſtibus.de teſt.quia illud intelligitur, quando teſtis aliquid depoſuit ſuper facto principali,affirmando vel negando:ſecùs ſi dixerit ſe ignorare negotium principale. textus eſt hîc multùm notabilis,& hoc tenent Dd. excepto Bal.qui non tenet hoc de iure Canonico ſecundũ Alua.Sed mihi videtur,quòd Bal.finaliter teneat eandem opinionẽ.Probat etiã textus iſte ſecundũ Bal.quòd in cauſa feudali teſtes debẽt in iuramẽto ſuo expreſſam facere mentionẽ,qualiter iurant ad ſancta Dei Euãgelia,corporaliter tactis ſacroſanctis ſcripturis:ſed tu dicas,quòd in hoc attendenda eſt conſuetudo, & vide glo. ſingularẽ in Cle.j.de hære.in ver.tacta.et vide quod ibi dixi in cõpendio.Tu ſcis diſpoſitionẽ.l.nimis graue.C.de teſt.hoc nõ procedit,quãdo teſtes prædicti producuntur ab alio cõtra ipſum dominũ, quo caſu cogitur dominus

habens

habens iuriſdictionẽ facere eos iurare cõtra ſe, & ſic ſi dominus habet iuriſdictionẽ in teſtes, cogit eos deponere veritatẽ, vt ponit hîc gl. Et intellige iſtũ textũ ſecundum gl. & Dd. quòd hîc vaſallus nõ recognoſcebat aliud feudum à domino, & ideo hîc deciditur cauſa iuramẽto domini: ſecùs ſi recognoſceret aliud feudũ à domino. Et ſi vaſallus non habet niſi Pares ad probandũ inueſtituram nouam, qui nolunt deponere, & dominus non vult eos cõpellere, tunc ad inſtantiam vaſalli poterũt compelli per iudices ſuperiores, & etiam ſi haberet extraneos. Et nota gl. hîc, quæ vult, quòd dominus debet priuari proprietate feudi, ſi denegat vaſallo facere iuſtitiã nolendo compellere Pares ad iurandum. Bal. tenet contra glo. Aluaro. relinquit hoc arbitrio iudicantis. §. ſed quia. in tit. quæ fuit prima cau. benefi. amitten.

§. Si verò vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd vbi vaſallus eſt in vera poſſeſſione feudi, vel quaſi poſſeßione iuris feudalis, & vertitur controuerſia de inueſtitura, ſtatur ſacramento ipſius vaſalli poßidentis, vt iuret vel referat. Et nota textum, dum dicit de poſſeßione feudali iurium incorporaliũ probata per duos vel tres actus in percipiendo, & in ſolutione iure feudi conſiſtentes: quia inducit præſumptionẽ, vt ſtetur ſacramento ipſius poßidentis, quod eſt ſingulare. facit. l. j. quæ eſt ſingularis. C. de fideicõ. Et ſic nota breuiter, quod ſacramentũ cum pſumptione poſſeßionis, vel quaſi ſupplet defectũ ſolennitatis

& tituli inueſtituræ præcedētis, quæ plenè nō apparet: & loquitur etiam textus iſte, quòd poſſeſſio feudalis propriè & verè continuata per annum, domino ſciente & patiente, & ſeruitia recipiente tanquam vaſallo, inducit præſumptionem, vt ſtetur ſacramento ipſius poſſidentis. Et nota ſecundum Bal. quòd iſtud quod dicitur hîc, non eſſet verum, ſi vnus ruſticus daret omni anno vnum par caponum vni nobili, non per hoc præſumitur obligatus in poſterum: quia inſpiciendus eſt mos ruſticorum, quia hoc faciunt cauſa cuiuſdam ſimplicis muneris, non cauſa perpetuæ obligationis, & dicit quòd l. cùm de in rem verſo. ff. de vſur. non habet locum in mulieribus & ruſticis.

§. Si autem inueſtitura.

Allegatur textus iſte, quòd vbi ſuper inueſtitura noua vertitur dubietas inter vaſallum & dominum, qui non habet Pares in Curia, fit probatio per teſtes extraneos, vel per inſtrumentum roboratum à teſtibus extraneis, vel per iuramentum, vbi probatio non eſſet plena: & ſic in iſto textu neceſſitas facit licitum, quod aliàs non eſſet, vt ſunt iura vulgata: & facit textus in l. vbi abſunt. ff. de tuto. & curatò. datis ab his. Sufficiet ergo præſentia aliorum, quandò Pares non ſunt in inueſtitura noua.

§. Præterea.

Allegatur textus iſte, quòd alleganti pactum inſolitum interueniſſe in inueſtitura incumbit probatio: aliàs

aliàs eo in probatione deficiente cauſa deciditur per ſacramentum aduerſarij. Et nota hunc textum, quòd ſem per præſumendum eſt feudum eſſe ſecundum propriam naturam & communem conſuetudinem feudorum, niſi ſpecialiter probetur eius alteratio, facit quod habetur in. l. ſemper in ſtipulationibus. ff. de regu. iuris. in. l. quòd ſi nolit. §. quia aſsidua. ff. de Aedi. edic. Ex quo ſequitur, quòd Princeps in concedendo priuilegium, non videtur in dubio ſubuertere ſolitum ordinem, niſi aliter cautũ ſit in priuilegio, facit quod habetur in. l. ſi quando. in prin. C. de inoffi. teſtamen. Si tamen in feudis adijciantur pacta inſolita ſunt ſeruanda, vt hîc. Nota glo. hîc, quæ ſic intelligi debet, quòd contra præſumptionem iuris & de iure non debet admitti probatio in contrarium. Et adde vltra Aluaro. notata in. c. is qui fidem. de ſponſa. Nota etiam ſingulariter ex hac gloſ. ſecundum Bald. quòd contra præſumptionem conſuetudinis non recipitur iuramentum in ſupplementum ſemiplenæ probationis. Quærit Aluaro. an in conceſsione ſimplciter facta veniant ſolita? Et concludit quòd ſic, cui adde multa, quæ ego ſcripſi in alphabeto in litera O. Tangit etiam Alua. an pactum appoſitum, vt vaſallus pulſet citharã domino, ſit turpe? Et reſpondet quòd nõ, quando hoc ſit ob aliquã iuſtã cauſam. Tangit etiã, quid ſi vaſallo, qui ſe obligauit per pactum aſſociare dominam ad eccleſiam, obueniat aliqua diguitas, propter quam non eſſet ſibi honeſtum illam aſſociare, an

excuſetur? Et reſpondet quòd ſic, et allegat iura ad hoc. Dicit enim, quòd dignitas, infirmitas, & ſenectus excuſat. Sed debet ſeruire per ſubſtitutum. Et tu potes addere Bal. in. l. quiſquis. C. de epiſc. & cleri. vbi ſi ſcriptor alicuius eſt effectus Rector medicorum, non tenetur amplius ſcribere: & quod voluit Bald. in. l. liberti. C. de ope. liberto. de Notario adepto dignitatem, & gl. in. c. vt officium. in ver. ad præmiſſa. de hæreti. in 6. & textum ſingularem in. l. in metallum. ff. de pœnis. vbi propter ſenectutē, vel infirmitatem remittitur pœna.

PER QVOS FIAT INVESTItura, & per quos recipiatur.

TITVLVS III.

In iſta rubrica tractatur qui poßint facere inueſtituram, & qui poßint illam recipere.

Inueſtitura autem.

Allegatur textus iſte, quòd inueſtitura veteris feudi poteſt fieri à quocunque: & ſi fiat ſimpliciter, intelligitur facta de iuſto feudo, niſi aliud ſit dictum, ſed inueſtitura noui feudi non poteſt fieri ab alio, quàm ab eo, qui habet legitimam adminiſtrationem bonorum. Et ſic habes, quòd vetus inueſtitura poteſt fieri à minore. quia non alienat nec infeudat, ſed iam datum à maioribus ſuis confirmat, nec iſta talis cenſetur propriè inueſtitura, quia in ea nulla transfertur poßeßio, ſed eſt cōfirmatio antiquæ poßeßionis; quæ poßeßio, ſi eſt iuſta, intelli-

intelligitur confirmata, aliàs non: quia iſta confirmatio nullum ius tribuit, ſed conſeruat acquiſitum. Et nota, in inſtrumentis inueſtiturarum apponitur illa clauſula per iſtum textum, Saluo iure omnium perſonarum &c. Et dicit Bald. hîc, quòd in confirmatione priuilegiorum non veniunt niſi iuſta, & adde multa quæ adduxi in alphabeto in litera G. Et ille, qui eſt prohibitus alienare, non poteſt de nouo infeudare, & ſibi vaſallos acquirere, vt probatur hîc. Et ponunt Dd. hîc, quòd vaſallus, qui percipit fructus, teneatur ſoluere collectas, & non dominus. & idem in emphyteota & vſufructuario, & ego dixi in alphabeto in litera V. Et nota gloſ. hîc, quòd iſta regula, quæ ponitur in textu, procedit etiam de iure communi, per multa quæ allegat. Nota etiam glo. quòd prohibitus alienare non poterit dare in feudũ. Et dum Aluaro. allegat Bald. in. l. fi. C. de rebus alienis non alienan. qui allegat. l. qui habebat. ff. de lega. iij. Sed vide quæ dixi in alphabeto in litera P. Nota etiam gloſ. quòd alienatio propriè dicitur, ſi aliquis alienat vtile dominium, de quo in dicta. l. fina. Non extendas tamen prædicta ad vaſallũ infeudantem, quia licet ſit prohibitus alienare, poteſt tamen infeudare, vt iam dictũ eſt. Quæritur, ſi pupillus vel adultus inueſtiãt in feudo antiquo, debeat interuenire auctoritas tutoris vel curatoris? Et Aluaro. ex intentione aliorum dicit quòd ſic, ſi habent, aliàs ipſi ſoli poterunt: ſed ſi ſunt læſi, poterũt reſtitui: ſed aduerte, quia forte in pu-

pillo non habente tutorem iudex deberet ſupplere defe-ctum tutoris, per ea quæ habentur in.l. bonorum.C. qui admitti.in.l.ſi infanti.in fi.C. de iure delibe. per Bart. in.l.ſi curatorem.C.de in integrũ reſtitu. mino. infeudare autẽ de nouo non poſſunt etiam cum auctoritate tutoris vel curatoris, cùm talis infeudatio æquipararetur donationi. Infans autem & furioſus non poſſunt etiam de antiquo inueſtire, ſed eorum tutores & curatores ſecundum Dd. Et an minor poſſit liberare ſuos vaſallos à fidelitate? Et reſpondetur quòd eſt idem quod in ſeruis.l.ſi minor.ff.de ſeruis exportandis. per Bal.in.l.j.ff. de rerum diuiſio.q.xix. Notat Bal. hîc per iſtum textũ, quòd vbi conſuetudo confirmat contractũ minoris, non requiritur decretum iudicis: & format quæſtionem de infante nobili præſentato Papæ, qui ſciebat & cognoſcebat illum eſſe infantem, contulit beneficium, in literis nulla fiebat mentio. de hoc concludit, quòd non valent literæ: nam quotiens contra ius commune aliqua forma datur, oportet quòd fiat expreſſa mentio, & iſta deciſio facit contra Paulum de Caſt. & Abba. vt retuli in alphabeto in litera P.

§. Sed etiam res.

Allegatur textus iſte, quia ponit regulam, quòd res, quæ eſt prohibita alienari, non poteſt dari in feudum: ſed à dicta regula excipiuntur duo caſus, vt in textu. Primus eſt, quando vaſallus habens feudum paternum vult vendere illud proximiori agnato, qui poſt eum eſt

ſuc-

ſucceſſurus. Secundus, quando vaſallus vult alium infeudare bona fide, & non in fraudem. Et nota, quòd vbi vaſallus de licentia domini vult vendere feudum, debet agnatus vaſalli præferri extraneo in emendo, offerendo tantum preciū, quantum extraneus, vt hîc: & ſi agnatus nō vult offerre, tunc fiat venditio extraneo, quæ tamen venditio nō præiudicabit agnatis, niſi donec vixerit vaſallus alienus: ſed eo mortuo, reuocabitur per agnatum proximiorem, etiam precio non reſtituto. c. ſi Titius. inf. ſi de feudo fuerit contro. niſi agnatus conſenſiſſet alienationi: quia tunc non admitteretur ad reuocandum. c. j. in prin. de aliena. feudi paterni. Sed quid ſi agnatus vult dare iuſtū precium, extraneus verò vltra iuſtum? tunc debet præferri extraneus, quia iuſtū precium intelligitur ſecundum quod poteſt haberi. Bal. in l. ij. ad fin. C. de reſcinden. vendi. quem adducit Aluaro. dummodò fiat ſine fraude et colluſione, et pro hoc textus iſte, vbi dicitur, quòd præfertur agnatus pro eo precio, quod poteſt haberi ab extraneo. Et pro hoc facit illud, quod ſolet dici, quòd res tantum valet, quantum vendi poteſt, homini tamen ſcienti conditionem eius. gl. in l. mortis cauſa. in fin. ff. de donatio. cau. mor. quam allegat Ange. in l. videamus. ff. de vſur. de quo per Bar. in. l. non intelligitur. §. Diui. ff. de iure fiſci. in. l. ſi ſeruus. ff. de condictio. furti. in. l. filiusfamilias. §. ſi quid alicui. ff. de lega. j. per Bald. in. l. fina. in fin. C. de iur. domi. impe. Et nota glo. hîc mouentem vnam quæſtionem, & non

decidentem, quòd ſi duo ſunt hæredes in eodem feudo, & vnus vendat alteri partem ſuam, an ille, qui emit, pro iſta parte teneatur inueſtituram petere, & fidelitatem facere, an poßit retinere ſimul cum alia parte? & concludas ſecundum Dd. quòd ſic: ſecùs tamen eſt, quando ille, qui alienauit, nondum agnouerat partem ſuam, vel illam perdidit, quia non petijt inueſtituram: quia tunc habet iure accreſcendi, non eſt neceſſe quòd petat inueſtituram, de eo quod accreſcit. Et nota ſecundum gl. & Dd. quòd ſi agnatus volens reuocare feudum alienatum, ſuccedit alienanti in bonis allodialibus, non ſolùm feudalibus, & tunc teneretur dare preciũ, vt hîc. Et nota ſecundum Dd. quòd infeudatio non præiudicat agnatis, licet poßet fieri ipſis inuitis, etiamſi non fiat in fraudẽ, niſi in vita vaſalli infeudantis et filiorũ ſuorum. Et nota hîc glo. ſecundum Bal. quòd conſuetudo in perpetuum viget, ſi non reperiatur eſſe mutata.

§. Perſonam verò.

Allegatur textus iſte, quòd qualibet perſona poteſt regulariter recipere inueſtituram, ſiue ſit liber, ſiue ſeruus, dummodò intercedat ignorantia infeudantis. Et nota pro intelligentia, quòd ſi dominus ſcienter inueſtiat ſeruum ſuum de feudo, tunc lex immediatè facit ipſum liberum. l. ſuper ſeruis. C. qui militare non poß. lib. xij. quia aliàs ſequeretur, quòd dominus daret ſibijpſi, quod eſt impoßibile de iure, quia debet eſſe differentia inter dantem & recipientem: ſed ſi inueſtiuit ſer-

ſeruum alienum contemplatione ſerui ſciente & patiente domino, & tunc idem: ſed ſi dominus ignorauit vel ſciuit, vel fuit inueſtitus contemplatione domini, tunc feudum acquiritur domino ſerui, neque ſeruus efficitur liber, quia feuda poſſunt acquiri per alium. Et ſi dominus dedit feudum ſeruo alieno cum hoc, vt ſibi & non domino acquiratur, & hoc expreſſè dicitur, neutri acquiritur ſecundum Dd. Et ſi dominus dubitabat, an ſi eſſet ſeruus, reputatur pro ſciente, & tenebit inueſtitura ſecundum Bal. Quærunt Dd. an infans poſſit recipere inueſtituram, & ſibi acquirere ſine tutore? Et conclude quòd non, de quo per Docto. in. l. quamuis. §. fina. ff. de acqui. poſſeſſio. per Bald. in. l. ob donatarum. C. eo. & ſi eſſet talis infans, qui non poſſet fari, etiã cum auctoritate tutoris non poſſet acquirere: quia non poteſt ſtipulari, ſed oporteret quòd tutor hoc ſolus ageret. Dicit Bald. hîc, quòd ſi in priuilegio contineatur, Conceſſimus tali procuratori Titij, non eſt neceſſe producere inſtrumentum, quia præſumitur illud vidiſſe, prout eleganter notat Bart. ſecundum Bal. in. c. nonnulli. de reſcrip. in glo. magna. Et tu potes addere, quod notat glo. in. c. ſi Romanorum. xix. d.

§. Sed vtrum ipſe.

Allegatur textus iſte, quòd inueſtitura poteſt dari & accipi etiã per interpoſitam perſonam, et ſic per procuratorem. Ad idem quod habetur de notis feudo. §. item ſciendum. & quod notat gl. inf. de pa. iuramen. firman.

quod

quod eſt verum ſecundum Doct o.ſiue loquamur de propria,ſiue de abuſiua inueſtitura.

§.Fœminam quoque.

Allegatur textus iſte,quòd etiam fœmina poteſt inueſtituram facere:hoc limitatur non procedere in muliere,quæ luxurioſe viueret, vel diſsiparet bona ſua, cui per hoc adminiſtratio bonorum interdicitur,quia tunc non poſſet infeudare ſecundum Dd.Limita etiã in muliere Longobarda,quia non poteſt. & ſic fœmina poteſt habere vaſallos et fideles,ſicut maſculus.Et ſic cõſuetudo feudorum poteſt dare iuriſdictionem fœminæ.

§.Nulla autem.

Allegatur textus iſte,quòd dominus non tenetur inueſtire vaſallum,qui recuſat iurare fidelitatem, niſi eſſet feudum,in quo non debet iurari fidelitas. Ec ſic feudum datur regulariter propter fidelitatem: poteſt tamen per pactum alterari natura feudi, & contractus feudalis,vt hîc. Et in hac materia habe breuiter aliquos caſus ex intentione Scribentium.Primus caſus eſt, dominus promiſit vaſallo facere nouã inueſtiturã de feudo nouo, vaſallus recuſat expreſſè præſtare fidelitatem, tunc dominus non tenetur inueſtire, nec incidit in pœnam,nec tenetur ad aliquod intereſſe, vt hîc. Secundus caſus,quando dominus iam inueſtiuit abuſiuè vaſallum de dicto feudo,& vaſallus recuſat expreſſè præſtare fidelitatem, tunc dominus non tenetur ad inueſtituram propriam,ſcilicet ad realem traditionem poſſeſsionis:

& ita

& ita etiam poteſt intelligi textus iſte. Tertius caſus eſt, quando facta inueſtitura abuſiua vaſallus non recuſat expreſſè, ſed tacitè, differendo: & tunc ſi poſt interpellationem factam per dominũ non ceſſauerit, tunc priuabitur vaſallus iure ſuo, nec tenetur amplius dominus ad inueſtituram realem. Quartus caſus eſt, ſi tractatur de inueſtitura feudi antiqui renouanda, & vaſallus expreſſè deneget præſtare fidelitatem, dominus non tenetur ad inueſtituram. Ita etiam poteſt intelligi textus iſte. Quintus caſus eſt, quando non recuſat expreſſè, ſed eſt lapſum tempus ad petendũ inneſtituram per lapſum anni & menſis, ſi eſt miles; ſi non eſt miles, anni & diei: & tunc vaſallus priuatur feudo, nec tenetur dominus amplius facere inueſtituram inf. quæ fuit prima cauſa beneſi. amitten. in princ. c. j. ſup. quo tempore miles. Sextus caſus eſt, quando non apparet de recuſatione expreſſa vel tacita, tunc dominus debet inueſtire: quia inueſtitura debet præcedere fidelitatem, vt iu t it. ſeq. qui ita debet intelligi. Et prædicta intellige, niſi eſſet tale feudum, in quo vaſallus non tenetur præſtare fidelitatem, vt in textu, nõ tenetur, etiamſi ſemel fidelitas fuit præſtita domino, & ſucceſſoribus ſuis, vt in c. veritatis. de iureiuran. Non iuratur etiam fidelitas, quando feudum eſt modicum, et pendente controuerſia feudi, non iurabitur interim fidelitas. Et nota hîc glo. notabilem, quæ ſemper allegatur, qualiter ſit petenda inueſtitura per vaſallum à domino. Et dicet ſic vaſallus:

Reue-

Reuerende domine mi peto cũ omni debita reuerentia, qua poſſum, inueſtiturã talis feudi mei, quod à te teneo & poſſideo. Et hoc ſi eſt inueſtitura feudi antiqui. Si autẽ noui dicat, *Talis feudi quod à te poſſidere debeo, & fidelitatẽ tibi facere ſum paratus, & polliceor contra omnẽ hominem excepto Imperatore, & exceptis anterioribus dominis meis.* Dicit tamẽ gl. quòd ſi fidelitas nõ exprimatur, tamẽ tacitè intelligitur. Et ſic debet vaſallus honorificè & cũ curialitate adire dominũ, et humiliter petere inueſtiturã. Et intellige ſecundum Dd. quòd talis pompa debet obſeruari, vbi eſt conſuetudo, aliàs ſeruetur conſuetudo loci. Oportet tamen ſemper primò, quòd conſtet, quòd ſit ille ad quem ſpectat feudum, de quo per gl. in c. j. ſup. quo tempore miles. Et ideo dicit textus notabi. in l. non ignorat. C. qui accuſa. non poſſ. quòd non debet quis admitti vt talis, niſi prius ꝓbet ſe eſſe talẽ. Nota etiã gl. quæ quærit an petita inueſtitura teneatur dominus incontinẽti illũ inueſtire, et ipſum recipere ad fidelitatẽ, an poterit differre? Et cõclude, quòd ſi vaſallus iam habuit inueſtiturã abuſiuam & propriam, vt quia iam eſt in poſſeſſione feudi, & petit ſibi renouari inueſtiturã ſecundum formã iuris, & debito modo & tẽpore, vt quia forte ſucceſſit vaſallo mortuo, vel petit renouationẽ inueſtituræ à ſucceſſore domini, & hoc caſu dominus differat facere talem inueſtiturã, priuabitur proprietate, ſi labitur tẽpus limitatũ vaſallo ad inueſtiturã petendam, vt notabiliter

vult

vult iſta gl. dummodò nō ſubſit aliqua iuſta cauſa, qua motus ſit dominus ad differendū: quia ſicut vaſallus ex cauſa excuſaretur, vt dictū eſt in.c.j.quo tempore miles: ita quoque & ipſe dominus, cùm ad paria indicentur, inf. de forma fidelitatis. in fi. Nota etiam gloſ. quòd vaſallus eſt abſolutus ab iſta fidelitate, ſi dominus ſuus perdat famā, vt quia ſit excōmunicatus, vel infamis, vel bannitus: & ſi reſtituitur ad famā, intelligitur etiā reſtitutus ad fidelitatem, quia quod cōtumacia abſtulit, obedientia reſtituit. textus eſt notabilis in.c.ex literis. de conſtitu. Nota tamen caſum notabilem, in quo quis retenet feudū, licet recuſet facere fidelitatem. in. c. ſi minori. inf. ſi de feudo fuerit contro. ſed ibi eſt caſus ſpecialis in impubere vaſallo fauore ætatis. Et quia per Bald. hîc & Alua. tangitur de diſueſtura, & conclude, quòd diſueſtura fieri debet per habentem ius, quoniam fit interdum per dominum propria auctoritate, quando vaſallus alienauit feudū in alium transferendo.c.j. de prohi. alienatio. feudi per Lotha. vel per ſententiam, quando vaſallus commiſit aliquam culpam vel ingratitudinem.c.j. de feudo ſine culpa non amitten.

QVID PRAECEDERE DEbeat, an inueſtitura, vel fidelitas.

TITVLVS IIII.

Vtrum autem.

Allegatur textus iſte, quòd inueſtitura abuſiua debet præcedere fidelitatē, quæ quidē fidelitas, eſt ipſum iuramentum,

mentum, quod præſtatur domino à vaſallo ſuo. Et colli-ge ordinem concipiendi inſtrumenta inueſtiturarum. Primò enim fit inueſtitura verbalis anulo vel alio ſigno. Secundò præſtatur fidelitas domino per vaſallum. Tertiò fit inueſtitura realis, ſcilicet traditio poſſeſſionis. & ratio eſt ſecundum Bal. quia dominus eſt caput feudi, & eſt perſona actiua, ideo prius debet præcedere ad actum, & ideo debet primò præcedere inueſtitura verbalis, et fidelitas iſta, quæ eſt ipſum iuramentū, continet plura, de quibus in tribus titulis ſequentibus. Nec ſecundū Dd. præpoſteratio iſtius ordinis vitiaret inueſtituram, cùm ſufficiat, quòd ſit ſeruata forma intellectualis. §. ante hæredis. inſtitu. de lega. ſecùs autem eſſet in caſibus, in quibus forma ordinis eſſet de ſubſtantia. l. prolatam C. de ſenten. Nota quòd Bal. vult, quòd in cōtractu feudi hincinde eſt directa & contraria, non habet locum niſi in caſibus expreſſis in iure, allegat notata in. l. omnino. ff. de impenſis. & dicit quòd hæc doctrina non ponitur alibi.

QVALITER IVRARE DEbeat vaſallus domino fidelitatem.

TITVLVS V.

Qualiter autem debeat.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus occaſione feudi debet iurare domino, quòd erit ſibi fidelis, ſicut debet eſſe vaſallus, & quòd non manifeſtabit ſecretū ſibi commiſſum

inſſum per dominum: ille autem, qui non eſt vaſallus ratione feudi, ſed eſt domeſticus ſeu familiaris, vel ſub iuriſdictione domini, debet iurare domino, & in ſuo iuramẽto ſpecialiter exprimere vitam, membrum, mortem, & honorem ipſius domini. Et pone exemplum de domeſtico & familiari, vt quia eſt conſiliarius domini, camerarius, pincerna, vel dapifer: poteſt etiam exemplificari alijs modis, de quibus hîc per Dd. Et nota, quòd forma iuramenti erit, vt hîc exprimitur, & in duobus titulis ſequentibus: quod enim hîc deeſt, ibi ſuppletur. iurabit etiam ſecundũ quod habetur in. c. tibi domino. lxiij. d. ſi enim Imperator iurat Papæ illa, quæ ponuntur in dicto c. & tamen non tenet à Papa feudum, multo fortius debet iurare vaſallus domino ſuo ſecundũ Dd. Et nota, quòd etiã textus iſte intelligitur de iuramento aſſecurationis, quod præſtant ſubditi domino, licet ab ipſo nihil teneant, ſed ratione bonorum, quæ tenent in territorio ſuo, vel ratione habitationis, quam habent in loco ſibi ſuppoſito, tenentur ad tale iuramentum ratiõe iuriſdictionis. Et nota, quòd cõſuetudo ſolita in iuramentis fidelitatis eſt ſeruanda, adeo quòd non debet induci nouitas in exactione homagij & fidelitatis: & ideo dicit Bal. quòd noua iuramenta extorta cõtra antiquam conſuetudinem intelliguntur per impreſſionẽ præſtita, & ita in facto conſultus reſpondit. Et nota, quod iſte textus probat, quòd omnes familiares debent iurare dominis ſuis, ſi petatur: quia nulla efficacior pe-

ſtis ad nocendum eſt, quàm familiaris inimicus. verum eſt quod Bal. intelligit de illis, qui ſunt de familia perpetua: ſed ego intelligerem etiã de familiari temporali, vt videtur etiã ſentire Al. quia videtur eſſe eadẽ ratio. Quæritur, quid ſi ſint duo fratres domini eiuſdẽ ciuitatis vel caſtri, an debeant viciſſim iurare? & Bald. quòd ſic: nec obſtat, quòd vnus nõ ſit de iuriſdictione alterius, quia quoad fidelitatem faciendam, & ſuſpicionem tollendam vnus fingitur eſſe ſub alio, alter ſub altero præſumptione iuris. & ideo dicit Lucanus:

Omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

& Ouidius:

Non bene cũ ſocijs regna Venuſq; manent.

Quærit Bald. in titu. ſequenti, an domini terrarum poſſint expellere mercatores, et alios forenſes de ciuitatibus ſuis? Et concludit quòd non ſine cauſa, quia mundus eſt omnibus communis patria, poſtquam venerunt, ſed antequam venerunt, poteſt bene interdici. & allegat textum, quem dicit ſingularem, in authen. de quæſto. in princ. Et ſi vaſallus eſt etiam familiaris, vel ſub iuriſdictione domini, præſtabit vtrumque iuramentum ſecundum Dd. vno tamẽ iuramento poterit vtrumque explicare. Et nota quod Bal. hic in fin. allegat glo. in c. deliberatione. in gloſ. magna. in fin. de offic. lega. in 6. quòd in omnibus iuriſdictionibus maioritas attenditur, quoad adminiſtrationem.

DE

DE FORMA FIDELITATIS.

TITVLVS VI.

In iſto titulo traditur ſpecialis forma iuramenti, declarando particulariter, quæ ſint ipſa capitula fidelitatis.

In epiſtola Philiberti.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus iurans fidelitatem domino ſuo, debet ſemper in memoria habere ſex capitula, quæ hic ſpecificantur: & ab ipſis non debet tantùm abſtinere, verumetiam ſuper illis auxiliũ & conſilium domino exhibere. Similiter econtra vice mutua eſt obligatus dominus vaſallo ſuo virtute dictæ fidelitatis: & ſic in iuramento fidelitatis intelliguntur iſtæ de quibus in textu. Et nota textum hîc, quòd vaſallus debet vti honeſtate in domo domini. et eſt textus notabilis, quòd non ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt. Et licet vaſallus non poſſit eſſe in iudicio pro alijs contra dominum, vt in hoc textu: tamen pro ſe & ſuis honoribus poteſt & petere & defendere. argu. c. petitio. de iureiuran. Et nota vnum, quod eſt multum notabile, quòd ſicut vaſallus priuatur feudo propter delictum commiſſum in dominum, ita dominus priuabitur proprietate propter delictum commiſſum in vaſallum, de quo hic per glo. & Dd. de quo etiam per glo. in c. de forma. xxv. q. v. Et cui debeat applicari iſtud ius proprietatis, vide per Al. in. §. fin. quæ ſit pri. cau. beneſi. amit. Et ſcias ſecundũ cõmuniter Dd. quòd dominus nõ

tenetur iurare vaſallo fidelitatē, ſed in effectu tenetur ſibi intantum abſque ſacramento, inquantum tenetur vaſallus domino cum ſacramento, et ſic intelligitur textus iſte. Et ſic in iuramento non eſt parilitas inter dominum & vaſallum. Et quia dicitur hîc, quòd vaſallus non debet pandere ſecreta domini, quid ſi dominus dixit vaſallo, quòd volebat occidere Titium: tum vaſallus debet perſuadere domino, ne faciat, & dicere Titio in genere, vt ſe cuſtodiat. glo. in. c. nerui. xiij. d. de quo in. c. ſi ſacerdos. de offi. ordina. Notat Bal. ex iſto textu, quòd nō licet obliuiſci de eo, quod quis tenetur alij facere, præſertim ſub vinculo iuramēti, pro hoc textus in. l. magnam. C. de contrahen. & cōmitten. ſtipula. Notat etiam, quòd periurus non poteſt eſſe saluus de ſuo feudo, & Papa non poteſt diſpenſare. Io. An. in. c. ij. de renuntia. in 6. in nouella. Et dicit Bald. quòd domini notent bene iſtum textū, quia eſt eis terribilis, & allegat Bal. hîc textum, quem dicit ſingularem in auth. de quæſto. in princ. quòd nomine popularium veniunt aduenæ habentes incolatum.

DE NOVA FORMA fidelitatis.

TITVLVS VII.

In hoc titulo ponitur noua forma iuramenti fidelitatis, quæ de nouo inuenta fuit propter homines ſimplices & ignaros circa interpretationem & ſignificationem vocabulorum, qui cupiunt ſcire ſpecialiter & apertè quid habeant iurare, & ad quæ ſpecialiter obligentur, licet ſubprædicta forma ſufficeret.

Eſt &

Eſt & alia de nouo.

Allegatur textus iſte, quòd licet iuramentum fidelitatis generaliter præſtitum per vaſallum ſit ſufficiens de iure, ac in ſe contineat integram & perfectam fidelitatē ſine alia adiectione: attamē propter ſimplices & ignaros ſpecificantur hodie, & nominatim exprimuntur in fidelitate ea omnia capitula, ad quæ vaſallus eſt obligatus domino ex debito fidelitatis, modo & forma hîc deſcriptis. Et probat textus iſte, quòd illud, quod de ſui natura eſt tacitè ſubintellectum, ſi ſpecificetur, nominatim intelligitur nouam formam inducere: quod intellige ſecundum Bald. ſecundum formam apparentem, ſed non quantum ad intrinſecum ſenſum & virtutem eſſentialem: & ſic forma ſubſtantialis poteſt declarari per formam accidentalē: & fuit inductū quod dicitur in textu, vt ſubueniretur ſimplicitati, quæ ignorat ſignificationem vocabulorum: & ideo dicit glo. notabi. in. l. ſtipulatio iſta. §. hæc quoque. ff. de verborum obliga. quòd tenet dictum teſtis ſimplicis, qui depoſuit talem poſſidere: quanquam interrogatus, quid ſit poſſeſſio, neſcit definire. & poteſt etiam adduci glo. non allegata hîc in. l. quotiens. C. famil. erciſcund. quæ dicit, quòd non omnis ſit dicere, Hæredem inſtituo. Et nota vnum per iſtum textum, quòd vaſallus non incidit in pœnam amiſſionis feudi, ſi non præſtat auxilium domino, niſi fuerit requiſitus: quod intellige verum, niſi vaſallus ſciret maximum periculū imminere ipſi domino,

quia tunc non debet expectare interpellationem, de quo in c. licet. inf. ſi de feudo fuerit cōtrouerſia: aliàs autem non priuetur feudo vaſallus, ſi ſpontè ſe non offerat ad ſeruiendum, & in iuramento ſubintelligitur poſsibilitas iurantis. facit quod habetur in c. breui. de iureiur. Et vaſallus licet teneatur defendere dominum contra alios, vt hîc, non tamen contra ſe, pro hoc quod habetur in c. petitio. de iureiurando. Et adde, quæ dixi in alphabeto in litera C. quòd primò charitas incipit à ſeipſo. Et quia in iuramento excipitur perſona Imperatoris, vt hîc, non tamen excipitur pater, frater, et filius vaſalli, niſi ſecundum Bald. læderetur pater, filius, vel frater vaſalli, circa ea quæ ſunt immutabilia de iure. §. ſed naturalia. Inſtitu. de iure natura. Excipitur etiam perſona prioris domini: item perſona Papæ. c. venientes. de iureiuran. item patria propria ſecundum Docto. Et ita demùm vaſallus tenetur iuuare dominum volentem alium offendere, quando hoc facit iuſtè: ſecùs ſi iniuſtè, & hoc conſtat, de quo in c. j. in princ. hîc finitur lex. in dubio autem tenetur iuuare, & tu pro hoc allega bonam gloſ. in c. ad aures. de tempo. ordinan. nec textus iſte procedit, ſi dominus eſſet in furore, & vaſallus dedit conſilium, vt caperetur, ad hoc, vt curaretur, vel vt corrigatur à propinquis, per ea quæ habentur in. l. j. C. de emenda. propinquo. ſecundum Dd. & pro hoc ſi aliquis caperet clericum nō doloſe, puta vt prohiberet aliquod malum, non per hoc incideret in Canonem, per textum

textũ in c.ſi quis ſuadente.xvij.q.iiij. quia animus diſtinguit maleficia.l.j.§.Diuus.ff.ad l. Cor. de ſica. Ponamus etiam, quòd ipſum dominum caperet vaſallus in furore conſtitutum, vt in vinculis poneretur.l. Diuus. ff.de offi.Præſidis. Quærit Aluarot. an vaſallus teneatur ſeruire domino expenſis proprijs? ex cuius dictis facias iſtas concluſiones. Prima eſt, quòd ſi apparet ex forma inueſtituræ quid agendum ſit, illud obſeruetur. Secunda eſt concluſio, ſi hoc non apparet, tunc ſi habet ſufficiens feudum, debet ſeruire ſuis expenſis, niſi vagetur extra terram propriam. Tertia eſt concluſio ſi non habet ſufficiens feudum, tunc ſeruiet expenſis domini. Quarta eſt concluſio, ſi vult dominus exire patriam propriam, debet ducere vaſallos proprios expenſis ipſius domini, & vltra adducta per eum adde Bart. in.l.Mæuia.§.vxorẽ.ff.de annuis lega. Bald.in.l. qui manumittitur.C.de ope.liber. Et nota ſecundum Dd. quòd forma iuramenti, de qua hîc & in tit. præcedenti, debet obſeruari, niſi ſit alia ſpecialis conſuetudo loci, quia illa debet obſeruari.

§.Inueſtitura.

Allegatur textus iſte, quòd poſtquam dominus inueſtiuit vaſallum, & ab eo fidelitatis iuramentũ recepit, debet ſibi tradere poſſeſſionem feudi, aliàs ſi non tradit, tenebitur vaſallo reſtituere omne ſuum damnum. Nota ergo, quòd poſtquam dominus fecit inueſtituram verbalem, & ſibi ſit præſtita fidelitas, cogitur

preciſe tradere poſſeſsionem veram feudi, nec liberatur præſtando intereſſe: ex quo ſequitur, quòd per inueſtituram verbalem cum anulo factam nõ adipiſcitur vaſallus poſſeſsionem, de quo in c. ex ore. de his quæ fiunt à maiore parte. in. c. per tuas. de donatio. Et quia dicitur in textu, quòd moroſus dominus tenetur vaſallo ad omnem vtilitatem: conclude ſecundum gloſ. & Dd. quòd tenetur dominus pro damno, quod habuit vaſallus, & ſic ad intereſſe intrinſecum: ſed ſi nos loquimur de intereſſe extrinſeco, vt quia potuiſſet lucrari ex redditibus feudi, & tunc ſi eſt talis vaſallus, qui non cõſueuit mercari, & tunc nõ debet haberi ratio talis lucri: ſecùs ſi erat ſolitus mercari ex alia ſua pecunia, lucrabitur. de quo per Bar. in. l. j. C. de ſen. quæ pro eo quod intereſt. Et notat glo. quòd iuramentũ fidelitatis nõ eſt obligatorium, ſi ipſi iuranti non ſeruatur fides, & allegat glo. multa iura. Quærunt Dd. quid ſi dominus nõ fecit inueſtituram abuſiuam vaſallo, ſed ſolùm promiſit ſibi velle dare feudum, an tunc teneatur ipſum inueſtire & tradere poſſeſsionem? Et reſpondent quòd non, ſed tenetur ad intereſſe. ſed dicit Aluarot. quòd hoc procedit, quòd ipſa promiſsio fuiſſet ſolennis: nam tunc bene teneretur ad intereſſe: ſecùs ſi fuiſſet ſimplex & nuda promiſsio. ſed ego teneo, quòd etiamſi fuiſſet facta promiſsio per pactum nudum, dato quod non poſsit agi ad id, quod eſt in pacto deductum, poterit tamen agi ad intereſſe actione de dolo, ſi ex illa promiſsione ſimplici

paſſus eſt vaſallus aliquod damnum per textum ſingularem, vbi per Barto. in l. Et eleganter. §. ſeruus pactionis. ff. de dolo.

DE INVESTITVRA DE re aliena facta.

TITVLVS VIII.

Quia viſum eſt, quod dominus tenetur tradere poſſeſſionem feudi vaſallo, ſed ſi reperitur res illa feudalis, cuius eſt tradita corporalis poſſeſſio, eſſe aliena vel alteri obligata, ex quo poterat dubitari, an cadat aliqua obligatio, & qualis inter ipſum dominum & vaſallum, ſi dictum feudum euincitur à vaſallo: & ideo, vt tollatur prædicta dubitatio, poſitus fuit hîc præſens titulus.

Cùm de re aliena.

Allegatur textus iſte, quod vaſallus inueſtitus ignoranter de re aliena ſeu alteri obligata agit de euictione: ſecùs ſi ſcienter, niſi ſpecialiter, ſibi proſpexiſſet. Dominus autem talem inueſtituram faciens indiſtinctè tenetur. quod tamē intellige, niſi vaſallus fuiſſet ſciens, quia tunc non tenetur, quia ſcienti & volenti non fit iniuria neque dolus. l. cùm donationis. C. de tranſac. Et nota, quòd vaſallus ignorans agens de euictione, nō agit ad duplum, ſed ad tantundem eiuſdē bonitatis, & qualitatis: & ſic eſt caſus, in quo peti poteſt præſtari ſpecies per ſpeciem: ex quo infertur, quòd procedit talis libellus, Peto cambium feudi euicti. Et tu adde glo. in c. præſentium. vij. q. j. quæ dicit, ſi Epiſcopus cōtulit alicui beneficium, & illo priuetur, tenetur de alio ſibi prouidere. Et quia dicitur hîc, quòd non debet attendi ſcientia vel

ignorantia domini: quia debuit hoc ſcire, vt in gl. quia nō intereſt vaſalli, an decipiatur ſciētia vel ignorantia vel calliditate domini, prout probāt iura deducta in gl. Tu habes, quòd pro re donata euicta non agitur de euictione. l. ad res. ff. de Aedili. edic. Limita hoc non procedere in re data in feudum, quia ibi non eſt donatio ſimplex, ſed ob cauſam, vt vaſallus ſeruiat, vt hîc. Nota etiam aliam limitationem: tu habes, quòd emptor rei feudalis ſcienter non poteſt ſibi prouidere etiam per ſpeciale pactum, vnde agere poſſit vt in. §. callidis. de prohibi. aliena. feu. per Federic. quia illud eſt verum, quando emit aliquis lege prohibente. vnde cùm facit contra legem, non poteſt gaudere beneficio ſuæ prouiſionis. l. non dubium. C. de legibus. Sed in caſu iſto vaſallus non faciebat contra legem prohibentem. l. rem alienam. ff. de contrahen. empti. vnde poteſt ſibi prouidere, & pendente cauſa euictionis, tenetur interim vaſallus ad ſeruitia, quia recipit commodum feudi ſecundum Bal.

§. Rei autem.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus pro cauſa feudali poteſt in iudicio comparere tam agendo quàm defendendo. Et probat textus iſte notabiliter, quòd eſt dare proprietatem & quaſi proprietatem, dominiū & quaſi dominium, pro quo gloſ. ſingularis ſecundum Bald. in l. ij. §. quædam. ff. de interdic. & gloſ. in l. rectè. ff. de verborum ſignifi. Et ſic nota, quòd vaſallo eſt con-

conceſſa vtilis rei vendicatio tanquam domino, vt in textu, de quo hic per gloſ. Et communiter concluditur, quòd vaſallus habeat vtile dominium. Et nota ſecundum Doct o. quòd vaſallus poteſt vendicare feudum à domino, ſi illud iniuſtè poſſidet. l. j. in fi. ff. ſi ager vectiga. Et ſi vterque, ſcilicet vaſallus & dominus concurrat ad vindicandum feudum à poſſeſſore, præfertur vaſallus, vt in d. l. j. in fin. Et ſi vaſallus nolit agere, & dominus agat, non poteſt excipi de dominio vtili, quod eſt apud vaſallum ſecundum Dd.

§. Quid ergo.

Allegatur textus iſte, quòd ſeruitus impoſita feudo per vaſallum non præiudicat domino, etiam ſi præſcriptio longa interceſſerit. Et ſic vaſallus non poteſt imponere, nec pati, quòd imponatur ſeruitus ſuo feudo in præiudicium domini, nec etiam præſcriptio nocet domino, vt in textu: in præiudicium tamen ſui vaſallus poteſt pati ſeruitutem, per iſtam tamen impoſitionem ſeruitutu non priuatur feudo, ſicut ſi alienaſſet ſecundum Doct o. Et nota ſecundum Doct o. quòd ſi vaſallus contraxit debita, & feudum aperiatur domino, non tamen tenetur dominus creditoribus, & ſi ex cauſa iudicati fiat executio in bonis feudalibus, quia nihil aliud habet vaſallus. ſit præiudicium domino in vita vaſalli, non poſtquam feudum eſt apertum domino ſecundum Doctores.

§. Econ-

§. Econtrario.

Allegatur textus iſte, quòd augmentum factum ad feudum per vaſallum, non cenſetur eſſe pars feudi, ſi per ſe ſubſiſtat, aliàs ſecus. Et nota ex hoc textu, quòd ſi vaſallus emit aliquam rem coniunctam feudo, non cenſetur eſſe feudalis, & quia poteſt ſtare per ſe, & quia ſua expenſa et induſtria hoc accidit: ſecùs ſi per alluuionem dicta portio accreuiſſet, de quo in. §. ſi quis de mãſo. ſup. ſi de inueſt. feu. cont. ſuc. Seruitus etiam acquiſita per vaſallum cenſetur feudalis, quæ non poteſt eſſe ſine prædio: & iſto caſu, ſi feudum aperiatur domino vel agnatis, tenẽtur ſoluere æſtimationem ſeruitutis hæredibus vaſalli, vt probatur in. §. ſi vaſallus. in titu. hîc finitur lex. Et nota ex iſto textu vnam bonam regulam, quòd vaſallus non poteſt facere deteriorem conditionem feudi in præiudicium domini & agnatorum, ſed meliorem ſic, vt hîc et inf. de alie. feu. paterni. in prin. Et ſi aliquis habebat in feudum caſtrum ſine iuriſdictione, & poſtea acquiſiuit iuriſdictionem, iſta iuriſdictio eſt diuiſibilis & ſeparabilis: quia mœnia caſtri poſſunt eſſe vnius, & iuriſdictio alterius ſecundum Bal.

§. Quamuis.

Allegatur textus iſte, quòd vtile dominium eſt vaſalli, directum eſt apud dominum: & ideo vxor, quæ debet habere certam portionem de bonis mariti, non habebit bona feudalia: nec etiam vaſallus poteſt pignorare creditori feudum, cùm non habeat plenũ dominium.

& iſtud,

& iſtud, quod dicitur in textu de vxore, intellige, etiã ſi ambo eſsent inueſtiti, niſi aliud eſset dictum in inueſtitura ſecundum Dd. Intellige etiam quod dicitur de pignore ſine licentia domini, quòd ſi faciat, priuabitur feudo. c. j. in prin. de probi. alie. feu. per Federi. Et ratio textus eſt, quia cùm vaſallus non habeat integrum dominium rei feudalis, non poteſt fieri diſtractio in præiudicium domini, qui habet directum.

QVALITER FEVDVM OLIM poterat alienari.

TITVLVS IX.

Quia ſuper hac materia alienationis erant olim diuerſæ conſuetudines, & variæ dabantur ſententiæ, vt prædicta cognoſcantur, & vt hodie omnis dubitatio tollatur, poſita eſt iſta rubrica.

Eſt autem optima.

Allegatur textus iſte, quòd ex conſtitutione Lotharij prohibita eſt hodie omnis alienatio, licet olim ex neceſsitate potuiſset vendi vſque ad medietatem etiam domino inuito. Et ſic hodie in iſto textu ꝓhibetur alienatio feudi etiam ex neceſsitate ſine voluntate domini: & hoc ideo, quia vaſallus nõ habet plenũ dominium. Nec obſtat. l. ij. C. de patri. qui filios diſtraxer. quia ille textus loquitur in illo, qui nõ habet ſuperiorem: ſed vaſallus habet ſuperiorem dominum, & iſtud ius vaſalli eſt ſuppoſitum obſequio domini, & ideo nõ poteſt alienare, licet ſe non intromittat de iure proprietatis ſpectantis ad dominum ſecundum Bal.

§. Si ve-

§. Si verò.

Allegatur textus iſte, quòd olim vaſallus de ſuo ſeudo poterat alium ſine fraude inueſtire, quæ inueſtitura irritabatur, ſi primò domino feudum prædictum aperiebatur, niſi ſecundus vaſallus ab ipſo primo domino recognoſcere voluiſſet. Et ſic nota, quòd licet inſeudatio facta efficiatur caduca in perſonam vaſalli inſeudantis, non tamen ſit præiudicium ſecundo vaſallo, ſi vult à primo domino recognoſcere: & ſic reſoluto iure datoris, non eſt reſolutum ius acceptoris. quod tamen intellige, niſi ius primi vaſalli eſſet reſolutum propter delictum commiſſum in perſonam domini: quia tunc reſolueretur ius ſecundi, et applicaretur domino ſecundum Docto. Non tenebit etiam dicta inſeudatio in præiudicium agnatorum vaſalli, ſed ſolum donec vixerit inſeudans. Et nota etiam hic caſum, in quo dominus compellitur habere alium vaſallum, quàm vellet. & ratio eſt, quia vaſallus inſeudat alteri ſibi ſimili cum eiſdem modis, ita quòd domini nō intereſt habere plus vnū quàm alium. Et ex iſto textu ſumit Bal. argumentum, quòd ſi Baro aliquis mereatur amittere feudum, nō debet Imperator vel Rex ſibi illud appropriare, ſed alteri Baroni committere, qui eadē ſeruitia debet exhibere.

§. Donare.

Allegatur textus iſte, quòd olim ex nulla conſuetudine alicuius Curiæ poterat vaſallus alteri aliquo modo donare feudum: item non poterat relinquere ad pias

cauſas

cauſas pro anima ſua:item non poterat locare in fraudem, ita quòd dicta locatio haberet inſtar alienationis: ſi autem ſine fraude locabat ad tempus, hoc bene licebat. & iſtud quod dicitur hic de donatione, etiam hodie procedit. c. j. de prohibi. aliena. feudi per Fede. quia donatio eſt alienatio. hoc limita non procedere ſi donaret filio vel agnato, qui eſſet ſucceſſurus: quia iſta non dicitur alienatio, ſed refutatio quædam, vt inf. de aliena. feudi paterni. in prin. Et etiam hodie non poteſt vaſallus relinquere pro anima, vt inf. de prohibita alie. feu. per Fede. in ver. pro anima iudicare: quia ratio feudalis prohibet, quòd vaſallus in teſtamento vel in vltima voluntate poſſit diſponere de ſuo feudo, ſup. de ſucceſſio. feu. in princ. Hodie eſt permiſſa locatio, vt in iſto textu, dummodò non fiat in fraudem. Et nota, quòd videtur eſſe verior & communior opinio, quòd pater non poſſit dare in dotem filiæ feudum ſine conſenſu domini. & iſta eſt opinio gl. hic, cum qua multi Dd. & facit ratio: ſi non poteſt alienare etiam pro neceſſitate famis, multo minus debet poſſe alienari ex cauſa dotis, & hoc etiam probatur in hoc textu. Verior eſt etiam illa opinio, quòd mulier feudataria poſſit dare in dotem feudum ſuum marito ſine conſenſu domini, dummodò non det æſtimatum, neque aliquod pactum de lucrando apponat: conſilium tamen bonum eſt, vt mulier ſe non inuoluat inter opiniones, quæ multa ſunt contra ipſam, quòd requirat conſenſum domini:

non

non autem fiet præiudiciũ agnatis, qui ſucceſſuri ſunt. Nec dicatur, hoc eſt contra libertatem eccleſiaſticam, quòd non poſſit relinqui eccleſijs pro anima: quia iſtud non eſt, vt fiat contra libertatẽ eccleſiaſticam, ſed hoc operatur natura rei feudalis inalienabilis, quæ non poteſt alterari plus, quàm lex permittat. poteſt tamẽ legatum feudi roborari conſenſu domini, etiã poſt mortem vaſalli: nam qui poteſt præſtare conſenſum in contractu, poteſt etiã in vltima voluntate. textus eſt ſingularis in.l.ſicut.§. venditionis.ff. quibus modis pignus vel hypothe.ſolui. Hoc etiam probat textus inf. de prohibi.aliena.ſeu. per Federi. §. j. & non debetur etiam æſtimatio feudi legati pro anima, licet non teneat in ipſa re ſecundum Dd. Et quemadmodum vaſalla mulier poteſt conſtituere dotem in feudo, ita etiam poteſt conſtitui donatio propter nuptias, cùm æquiparentur ſecundum Bal. authen. dos data C. de donatio. ante nuptias. tamen, vt dictum eſt ſuprà, eſt bonũ conſilium, quòd mulier requirat conſenſum domini, ita etiam in iſto caſu. Et an meliorationes feudi poſſint dari in dotẽ, Bal. tenet ſimpliciter quòd non. Alua. dicit, quòd debemus diſtinguere qualitates & genera augmentorum, vt fuit dictum ſup. proximo. §. econtrario.

§. Porrò.

Allegatur textus iſte, quòd ſi olim antiquo iure vaſallus alienabat feudum, vel partem ipſius ſine conſenſu domini, poterat dominus redimere ab emptore pro æquali

æquali pretio, niſi dominus ſciens renuntiaſſet iuri ſuo expreſſè vel tacitè per lapſum anni: ſed præſcriptione xxx annorum repellebatur ſciens & ignorans, agnati autem proximiores vaſallo præferebantur domino in prohibendo & redimendo. Et nota, quòd illa appellatur optima cõſuetudo, quæ ꝓhibet alienationẽ feudi, vt probatur in prin. huius tit. & in iſto textu ponitur regula, quòd quilibet poteſt renuntiare iuri ſuo, et vltra adducta per Alua. vide in meo alphab. to in litera R. Et nota textum, quòd annale ſilentiũ ſcientia mediante habet vim refutationis, & ſic talis annus nõ currit ignoranti: tẽpus tamen xxx annorũ præiudicat etiã ignoranti, & tollitur totũ ius negligentis: quia tale tempus eſt inductũ odio negligẽtis. glo. ſingularis in l. fi. in fi. C. de edic. diui Adria. tollendo. & quod dicitur in textu iſto, quòd agnati præferuntur domino, hoc procedit ſecundũ iura antiqua: quid autem ſit hodie, vide quæ ſcribit Al. in. §. fina. inf. quæ ſit prima cauſa benefi. amit. in ſuis concluſionibus. Et nota ſingulariter gloſ. hîc, cum qua tranſeunt Dd. quòd ſi per ſtatutum vel conſuetudinẽ liceat creditoribus accipere tenutam in feudo debitoris, & illud vendere, quòd tunc habebit locum hodie iſte textus, vt dominus poſſit redimere pro eodem precio, ac etiam à principio prohibere venditionem, excluſis emptoribus: agnati tamen præferuntur domino per iſtum textum, & teneas glo. hîc, dum dicit de ſtatuto Vicentiæ, quòd teneat tale ſtatutum. Et nota ſecundum Dd. quòd ſi eſt

ſtatutum, quòd agnatus poſsit reuocare rem venditam per agnatum, dato eodem precio intra certum tempus, ſi emphyteota vendit ius ſuum, quia poteſt dominus reuocare. l. ſina. C. de iure emphyteu. quòd dominus debet præferri agnatis, quia ſtatutū debet intelligi ſine præiudicio ipſius domini. Et ſi eſt factum pactū, quòd propter delictum non perdatur feudum, valet ſi felonia eſt in omittendo, ſecùs in committendo Bald. in l. j. ff. de rerum diuiſione. q. lij.

§. De illa verò.

Allegatur textus iſte, quòd ſi quæratur, an dominus poſsit alienare feudū, recurratur ad legē, quæ hodie poſita eſt inf. de l. Corradi. §. ex eadē. Et ex textu iſto habes, quòd vnum ſtatutū poteſt ſe remittere ad aliud, & ſuppleri per aliud. & dum Alua. quærit, vtrum ſtatutum faciens mentionem de alio probet, ſi nō apparet de illo, ad quod ſit relatio, vltra adducta per eū vide multa quæ ſcripſi in alphabeto in litera S.

QVIS DICATVR DVX, MARchio, Comes, Capitaneus vel Valuaſor.

TITVLVS X.

Quia poterat dubitari de nominibus ipſorum valuaſorum, ideo ponitur iſta rubrica.

Qui à Principe.

Allegatur textus iſte, quòd Dux dicitur, qui à Principe de Ducatu eſt inueſtitus: Marchio, qui de Marchia: Comes, qui de Comitatu. Qui verò eſt à Principe vel ab alio

alio inferiore inueſtitus de aliqua plebe, vel parte plebis, appellatur Capitaneus: ſed olim appellabatur Valuaſor magnus. Qui autē à Capitaneis eſt inueſtitus, appellatur magnus Valuaſor. Illi verò, qui ab iſtis maioribus Valuaſoribus inueſtiūtur, appellātur minores Valuaſores ſeu Valuaſini. Et hoc tale feudum olim non habebat propriè naturā feudi: ſed hodie exaquata eſt omnis natura feudorū, quantū ad ipſorum retentionē. Tu habes in hoc textu dignitates & nobilitates gradatim eſſe diſtinctas. Marchio & Comes propriè dicuntur regni vel Regis capitanei: illi verò, qui ab iſtis feuda recipiūt, dicuntur propriè maiores valuaſores regni, qui tamen hodie nuncupantur capitanei, vt in gl. hîc. Illi autē, qui ab iſtis maioribus accipiunt feuda, appellantur minores valuaſores, hoc eſt, valuaſini, vt in iſto textu. Illi verò, qui ab iſtis minoribus accipiunt feuda, dicuntur minimi valuaſores, vt in gl. hîc poſita. Sunt adhuc alij inferiores vaſalli, qui accipiunt feuda ab iſtis minimis valuaſoribus: nam hodie quilibet, quantumcunque inferior & minimus, etiam ruſticus, poteſt infeudare, dummodò habeat legitimam adminiſtrationem bonorum, vt dictum eſt ſup. qui feu. dare poſſ. in princ. Et nota, quòd ille propriè dicitur Comes, qui eſt inueſtitus de Comitatu, ex quo infert Bald. quòd abuſiuè ſine Comitatu dicitur Comes, vt ſunt iſti Comites, qui habent priuilegium à Principe, vt poſſint legitimare, creare Notarios, & ſic de alijs.

§. Cæteri verò.

Allegatur textus ille, quòd illi, qui hodie accipiunt feuda à valuaſoribus maioribus, qui hodie appellantur capitanei, non nobilitantur per tale feudum, ſed remanent plebei, ſicut illi qui ſoldatam accipiunt. Quid autem ſit ſoldata, declaratur in hoc textu. Collige ergo ſic, quòd omnes illi, qui ab Imperatore vel Rege, vel etiam ab his, qui propriè dicuntur Regni capitanei magni, feudum habent, cenſentur nobiles, etiamſi de nouo capiunt, vt ſup. eodem verſic. qui verò à Principe. Alij autem inferiores, qui minores & minimi valuaſores ſunt, cenſentur plebei, vt hîc, niſi ab antiquo feudum habeant, vt ſup. in verſic. qui verò à capitaneis. Ex quo infert Bal. quòd nobilitas attribuitur antiquitati, ita quòd omne antiquum feudum poteſt dici nobile. Et ſi tu vis ſcire, quid ſit ſoldata, dicas, quòd eſt quædam præſtatio annua & gratuita, quæ à neutra parte tranſit in hæredem, vt quia forte datur alicui nobili ad paupertatem redacto, vt multotiens fit in Curijs Principum. & talis datio ſoldatæ non cenſetur feudum. Et per hoc dicit Alua. quòd differt à feudo, quod percipitur de Camera vel Canipa, de quo fit mentio ſup. de feudi cogni. c. ij. quia illud datur propter aliquod ſeruitium factum domino, & cenſetur feudum: & tamen ibi Aluaro. allegans iſtum textum, dicit, quòd expirat morte dantis & recipientis: ergo videtur quòd ſit parua differentia. Poteſt tamen per pactum, ſeu per priuilegium

iſta

iſta ſoldata tranſire ad hæredes. Sed ego nõ credo, quòd ſi vnus Princeps gratis promittat dare alicui nobili ad paupertatem redacto omni anno certum quid de redditibus ſuis, & promittat etiam pro hæredibus ſuis, quòd iſta promiſsio obliget ſucceſſorem, per ea quæ notantur in l. digna vox. C. de legibus. Et Alua. dicit hic multa de nobilitate. Sed tu vide, quæ dixi in alphabeto in litera N. ſolùm dicam hoc, quia ſolet dubitari vſque ad quem gradum extendatur nobilitas, & conclude ſecundum Bart. in. l. j. C. de dignita. lib. xij. quòd quandoque illud, ex quo ſequitur nobilitas, tranſit ad poſteros, ſicut eſt Regnum, Ducatus, & Comitatus, & ſimilia. & tunc vſque ad infinitum erit nobilis ille, ad quem tranſit, ſed non ex perſona parentum, ſed quia habet id, ex quo eſt nobilis. Quandoque illud non tranſit: & tunc de iure communi ex perſona parentũ non tranſit vltra pronepotẽ. l. Diuo. C. de quæſtio. Sed regulariter de conſuetudine omnes deſcendentes admittuntur, vt habeantur ꝓ nobilibus, donec peruenerint ad paupertatẽ, vel ad viles artes, & tũc incipiũt eſſe ignobiles. Et Bal. hic quærit, quæ differentia ſit inter dignitatẽ et nobilitatẽ, & dicit, quòd dignitas ſicut ſtola induitur & exuitur, vt patet in Præſide prouinciæ, qui deponit dignitatẽ, et ea induit ſucceſſorẽ. Sed nobilitas eſt quid ꝑpetuò annexũ. dicit etiã Bal. ꝑ iſtũ textũ, quòd omnes dignitates fluũt à Principe tanquã à fonte, et in eo ſunt omnes theſauri dignitatũ reconditi. Nã quod plus eſt vtique tanti eſt.

DE SVCCESSIONE FRATRVM, vel gradibus ſuccedentium in feudo.

TITVLVS XI.

Poſtquam viſum eſt de acquiſitione feudorum per inueſtituram, modò ponitur de acquiſitione quæ fit per ſucceſſionem.

Per ſucceſsionem.

Allegatur textus iſte, quòd in ſucceſſione feudi prima cauſa eſt maſculorum deſcendentium per ſexum maſculinum, excluſis fœminis et quibuſcunque deſcendentibus ex illis, niſi natura feudi aliud diſponeret. Et in hoc eſt differentia inter feuda & alias hæreditates. l. maximum vitium. C. de libe. prate. Eſt & alia differentia, quia in hæreditatibus de iure communi ſuccedunt parentes, authen. defuncto. C. ad Tertul. ſecùs in feudo, inf. de natu. ſucceſſ. feu. c. j. Item in materia feudali non ſuccedunt cognati, vt dictum eſt per Docto. ſup. qui feu. dare poſſ. §. penulti. ſecùs de iure communi, quia ſublata eſt differentia agnationis & cognationis, authen. poſt fratres. C. de legit. hæredi. Emphyteoſis tamen tranſit ad fœminam. §. emphyteoſim. in authen. de non alienan. licet non feudum, vt hîc. Et nota ſecundum Docto. quòd in materia feudali debet fieri computatio graduum ſecundum ius ciuile, de quo per Dd. in. §. penul. ſup. de his qui feu. dare poſſunt.

§. His verò.

Allegatur textus iſte, quòd in ſucceſſione feudi paterni non exiſtentibus deſcendentibus, vocantur primò fratres

fratres cum filijs fratrum præmortuorum. deinde proximiores agnati gradatim, dummodò deſcendant ab eo parente, qui fuit auctor agnationis communis, et cuius fuit dictum feudum. Et dum dicitur agnationis communis, intellige ſic, ſi ille, qui intendit ſuccedere in feudo, traxit originem ab eodem vaſallo, qui feudum acquiſiuit cum eo, cui ſuccedere vult, aliàs ſecùs. Et nota, quòd id quod dicitur hîc, habet locum in feudo paterno, quia in feudo nouo non ſuccedunt agnati, niſi dictum ſit in inueſtitura. §. fina. ſup. de ſucceſſ. feu. c. j. de benefi. frat. Et iſte textus eſt melior de iure ſecundum Docto. ad cognoſcendum feudum paternum, quoniam illud dicitur eſſe paternum, quod fuit illius parentis, qui fuit genitor agnationis communis. ad idem tamen eſt textus in c. j. de natu. ſucceſſ. feu. Et ideo dixit Bald. quòd in feudis ſucceſſio ſemper aſpicit ſuum ſtipitem, & non alium, qui non eſt ſtipes agnationis communis. Quærit Bald. quid ſi Rex concedit mihi caſtrum in feudum nomine & iure antiqui feudi poſſidendum, dato quòd ſit nouum, an aſſumat ſibi vires feudi antiqui & qualitatem? & reſpondet quòd ſic. c. j. in princ. inf. de aliena. feudi paterni. Et nota ſecundum Docto. quòd in feudis fratres vtrimque coniuncti non excludunt fratrem à parte tantùm, licet ſit ſecùs de iure communi per iſtum textum: & ratio eſt, quia iſti tales veniunt ſolùm ex vinculo agnationis, nõ autem virtute alicuius ſanguinis materni.

§.Si verò.

Allegatur textus iſte, quòd præſumptio transfert onus probandi in aduerſarium, & iudex cauſa cognita in defectum probationis conſiderare debet, cui potius ſit iuramentum deferendum. Et pondera bene iſtum textum, quòd non eſt procedendum ex abrupto, et præcipitanter ad delationem iuramenti in defectum probationum, ſed cauſa cognita: & in tali delatione iudex debet habere æquitatẽ præ oculis, quia iſta delatio magis innititur æquitati, quàm rigori, vt notabil. vult glo. hîc. & ideo Bal. ſup. de contro. inueſtituræ in prin. dicebat, quòd iuramentum non poteſt vnquam deferri in defectum probationis, niſi viſo & cognito qualis ſit iſte defectus, & diligenter examinato: & tu potes adducere textum in l. in bonæfidei. C. de iureiuran. Et pro intelligentia ex glo. facias iſtas cõcluſiones. Prima eſt, incumbit probatio illi, qui dicit feudum eſſe nouum, quia erat præſumptio, quòd erat antiquum. Secunda eſt, quòd textus iſte debet intelligi, quando neuter litigantium poſſidebat, quo caſu incumbit potius probatio alleganti eſſe nouum, quàm alleganti illud eſſe antiquum. Tertia eſt concluſio, quòd ſi eſt præſumptio pro actore, quòd ſit nouum, reus allegans illud eſſe antiquũ debet probare: præſumptio enim hoc operatur vtroque caſu, vt onus probandi transferatur in eum, contra quẽ militat præſumptio. vnde non ſemper eſt deferendum iuramentum poſſidenti, ſi aliæ præſumptiones ſint contra

tra eum. Quarta eſt concluſio, iudex debet eſſe medius inter vtranque partem. vt in l. vbi falſi. C. ad l. Cor. de fal. non autem debet ſe ex abrupto & inconſideratè regulare tanquam dominus & particeps litis. & ſic debet diligenter conſiderare, cui potius ſit deferendum iuramentum.

DE FRATRIBVS DE NOVO beneficio inueſtitis.

TITVLVS XII.

Hic declaratur quid iuris in feudo nouo, an ipſi fratres ſibi viciſſim ſuccedant.

Si duo fratres.

Allegatur textus iſte, quòd frater non ſuccedit fratri in feudo nouo, niſi in inueſtitura hoc eſſet actum. & ſic conclude ex hoc textu, quòd in feudo nouo non habet locum ius accreſcendi etiam inter fratres. ad idem text. ſup. de his qui feudum dare poſſunt. §. j. Secundò collige, quòd cōtractui per pactum poteſt dari noua forma. l. j. §. ſi conuenerit. ff. depoſiti. Sed quæritur, quid ſi portio huius feudi non poſſet ſeparari, eò quia ipſa res feudalis eſt indiuiſibilis, an tunc accreſcat ipſi vaſallo ſuperſtiti dicta portio defecta? Glo. non decidit, ſed cōclude ſecundum magis communiter Dd. quòd ſic, quòd accreſcit vaſallo & non domino: & ſic totum feudum in effectu pertinebit ad fratrem ſuperuenientem, quia dominus veniret contra factum ſuum, ſi auferret feudum. l. poſt mortem. ff. de adoptionibus. Dicunt tamen

Dd. quòd iſte frater vaſallus ſuperſtes tenetur dare æſtimationem illius partis ſibi auctæ domino ſuo. Hanc autem concluſionem limitat Aluaro. duobus modis. Primò, niſi dominus conceſſiſſet feudum contemplatione fratris mortui, qui fuerat ſtrenuus miles, ſed dominus dabit æſtimationem partis fratri ſuperſtiti. Secundò limitatur, niſi portio defecta eſſet maior, quàm portio fratris ſuperuiuẽtis: quia tunc maior pars, in qua vocatur dominus, traheret ad ſe minorem, & dabitur æſtimatio per dominũ, argu. l. ſancimus. §. ne autẽ. C. de donatio. ſecundum Iacob. de Bel. Et ſi tu vis ſcire exempla feudi indiuiſibilis, ponit gloſ. exemplum in ſeruitute & in ſtatua. Et intelligas, quòd iſta ſtatua erat affixa & immobilis in certo loco, & quòd ex hac ſtatua percipiatur aliqua vtilitas, forte quia qui volebat illã videre, dabat vnum ſolidum, prout notat gl. in l. ſtatuæ. ff. de vſufructu. Potes etiam exemplificare in omnibus iuribus incorporalibus, excepto vſufructu, & in omnibus quæ commodè diuidi non poſſunt, vt quia forte eſt infeudatum ius piſcandi, ius eundi, & ſic de ſimilibus. Et conclude, quòd frater, qui traxit ad ſe aliam partem fratris mortui in feudo indiuiſibili, quòd non habet niſi ſuam in feudum: quia aliam partem emit dando æſtimationem. & ſic non habet iure feudi, & fiet æſtimatio huius portionis defectæ hoc modo: quia debet fieri licitatio, & ſecundum maius precium oblatum fiet æſtimatio ſecundum Doctores. & per hanc viam poterit

terit dominus conſequi totam rem offerendo magnum precium, quòd vaſallus nolit vel non poterit exburſare: & ſic dominus poterit conſequi per viam indirectam, quod non poterat per directam. Et ſi quæratur, vtrum quis poſſet inueſtiri eo pacto, vt ſibi ſuccedat extraneus, non frater? Et conclude quòd non, ſecundum Docto. niſi aliquis reciperet inueſtituram pro ipſo extraneo: quia ſpeciale eſt in fratribus, vt hîc patet. ergo in alijs ſecùs. l. cùm Prætor. ff. de iudi.

§. Si duo fratres.

Allegatur textus iſte, quòd feudum acquiſitum per vnum ex fratribus ſimul habitantibus non efficitur cõmune, etiamſi eſſet acquiſitum ex re communi, niſi ſolùm quoad fructus durante communione: expenſa tamen facta in acquirendo ex re communi debet reſtitui pro rata competenti. Et nota, quòd tria requiruntur ad hoc, vt feudum acquiſitum per vnum ex fratribus ſit commune, videlicet quòd ſimul cohabitent. Item quòd ſit acquiſitum ex bonis communibus. Item quòd dominus, qui infeudauit, ſciat hoc. gl. ſup. qui feudum dare poſſunt. §. & quia. Nota hunc textum, quòd qui viuunt ad vnum panem & vnum vinum debent ſimul cõmunicare redditus & prouentus proprios, quod dicit Bald. eſſe verum duntaxat vſque ad neceſſitatem victus: quoniam ſi aliquid ſupereſſet vltra neceſſitatem, eſſet domini. Et adducit ſimile de fructibus

pre-

prouenientibus ex rebus paraphernalibus vxoris, in quibus ſi aliquid ſupereſt, quod non ſit conſumptum, debet pertinere ad ipſam vxorem, per ea quæ notantur in l.vbi.C.de iure dotium.in l.fina.C.de pactis conuentis.& ita dicit Bart.conſuluiſſe.Et adde Bal.et modernos.l.fin.C.de collat.quòd ſi vnus ex fratribus conſumpſit fructus ſuos aduenticios in communi menſa, & poſtea velit repetere, nõ poteſt.Probat etiam textus iſte, quòd nemo compellitur inuitus vaſallum acquirere. Tu habes glo.hîc, quæ ſolet allegari, an feudum ſit caſtrenſe peculium. Et ideo pro intelligentia facias tres concluſiones.Prima eſt, quando dominus dedit feudum militi, qui fuit in bello: quia fuit ſtrenuus, tunc eſt caſtrenſe.argu.l.ſi caſtrenſe.l.ſi forte.ff. de caſtren. pecul. Secunda eſt concluſio, ſi dominus dedit tali, & non eo reſpectu, & habet dominus diſtrictum vel iuriſdictionem, tunc erit quaſi caſtrenſe: quia ex publico acquiſiuit vaſallus.argu.l.ſi.C.de inofficio.teſta.& l.fori.C.de aduoca.diuer.iudicio. Tertia eſt concluſio, ſi vaſallus acquiſiuit feudum ab alia perſona, non habente iuriſdictionem ſeu diſtrictum, tunc feudum erit aduenticium, nõ caſtrenſe vel quaſi. ita in hoc paſſu concludunt Dd. Et intellige iſtum textũ, quando dominus ignorabat feudum acquiri de communi pecunia: ſecùs ſi ſciuiſſet, de quo in c.j.de beneficio fratris.& in caſu quo feudum eſt aduenticium, an pater habeat vſumfructum, ſunt opiniones & rationes. Tu potes facere duas concluſiones.

Prima

Prima eſt, pater tanquam priuilegiatus in bonis aduenticijs filij non poteſt habere vſumfructum in bonis feudalibus, ſicut in cæteris aduenticijs: quia feudum datur filio, vt fructus percipiat & inde ſeruiat. §. fina. inſ. in quibus cauſis feudum amit. Secunda eſt concluſio, quando pater habitat ſimul cum filio in communi menſa, tunc fructus ſunt cõmunes, per iſtum textum, qui licet loquatur in fratre, fortius debet eſſe in patre. de qua quæſtione vide per Bal. in l. cùm oportet. §. j. C. de bonis quæ libe. Quæritur, quid ſi frater clericus præbendatus habitat ſimul cum alio fratre, an clericus teneatur conferre ſuum peculium? & conclude, quòd ſi habitant ſimul, & habent menſam communem, tunc conferre debet vſque ad neceſſitatem, per ea quæ dicta ſunt ſup. ſecundum Aluaro. & vide per Bal. in. l. ſacroſanctæ. C. de epiſco. & clericis. Nota, quòd Bal. hîc quærit, nunquid capanua dicatur domus? Et reſpondet quòd excepto communi vſu loquendi, non dicitur domus propriè. Nota etiam quæſtionem, quam ponit Bald. de Comite Sabaudiæ, qui conceſſit cuidam poſſeſſiones, quas habet vltra montes, & alij quas habet citra montes, quòd loca huius mediæ regionis non veniunt in conceſſione: quia dictio, Vltra & Citra, denotant ſeparationẽ: & quia qui in montibus habitant, nõ dicuntur propriè vltramontani, nec citramontani. Dicit etiã Bald. quòd filiusfamilias poteſt teſtari de equis & armis à patre conceſſis, non autem de rebus immobilibus. l. ſi filius. C. famil.

Vnde vir & vxor. & vide quæ dicta ſunt in titu. an mari. ſucce. vxor. in c. j. nec iſte tit. eſt ſuperfluus per illum, quia ex variatione caſus colligitur variatio inter iſtum titulum & illum. & quia ibi latiùs declaratur materia. & dicas idem ſecundum Docto. quòd vxor non ſuccedit marito in feudo, & quando vxor dotat maritum feudo, maritus debet ſeruire pro vxore ſecundum Dd.

DE VASALLO DECREPITAE ætatis, qui feudum refutauit, vt filij inueſtirentur.

TITVLVS XIIII.

Quia poterat dubitari, an feudum refutatum per vaſallum in manibus domini remaneat nouum vel paternum inter filios refutantis: & per conſequens, vtrum ipſi filij refutantis, qui ſunt inter ſe fratres, poſſint viciſſim in dicto feudo ſuccedere: ideo factus eſt iſte titulus, vt hoc declaretur.

Quidam vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd feudum refutatum per patrē cum conditione, vt filij ſui inueſtiantur, remanet feudum paternum. & ideo dicti filij ſibi viciſſim ſuccedunt, & ſic nō alteratur natura feudi, nec præiudicatur ipſis filijs. & intellige iſtū textum ſecundum gl. & Dd. quando refutatio fuit facta ea cōditione, vt filij inueſtiantur. Quæritur: vaſallus cōmittit feloniā, ꝑpter quā venit priuandus feudo, et domino eſt applicandū, & dominus remittit dictā culpā, an feudū remaneat antiquū, an efficiatur nouū? gl. in l. quod dicitur. ff. de impē.

quòd

quòd remaneat antiquum: ita quòd vaſallo moriente ſuccedant agnati. Sed diſtingue ex intentione Dd. quòd ſi dominus traxit feudum ad ſe, poſtea reſtituendo videtur nouum concedere, ſed ſi nõ traxit, bene ſuccederent agnati tanquam in antiquo feudo: vel ſi vaſallus eſſet ipſo iure priuatus, tunc efficitur nouum: ſecùs ſi veniret priuandus, ita quòd feudum non eſſet annihilatum, de quo per Dd. in dicta l. quod dicitur. per gloſ. in l. peculium. §. ſi hæredem. ff. de peculio. Et valet pactũ, quando datur feudum nouum, vt habeat naturam antiqui, & cenſetur feudum antiquum ſecundum Dd. hoc tamen non procedit in Prælato eccleſiæ, de quo per Bal. in præludijs feudorum.

DE INVESTITVRA IN maritum facta.

TITVLVS XV.

Hic declaratur alius caſus ad cognoſcendum, vtrum feudum ſit nouum vel paternum, quando quæſtio vertitur inter agnatos vaſalli, & habentem cauſam à domino. Sed quia dubitatur, quis iudex debeat hoc cognoſcere: ideo poſitus eſt iſte titulus, vt prædicta declarentur.

Vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd ſi contentio vertatur inter maritum filiæ olim vaſalli & agnatam ipſius vaſalli de feudo, an ſit paternum vel nouum, debet cauſa dirimi, & terminari coram ordinario iudice vel arbitro, non autem coram domino vel eius Curia. Probat ergo textus

textus iſte, quòd dominus non poteſt eſſe iudex inter vaſallos ſuos de feudo aliquo contendentes, quando in conſequentiam cauſa poſſit ſpectare ad dominum, vt in caſu iſto: quòd autē ſit iudex regulariter, eſt textus in.§. penul. inf. de probibi. aliena. feu. per Federi. Et nota rationem, quare in caſu iſto Pares nō cognoſcunt, quia dominus retinuit ſibi partem feudi. Si autem nō retinuiſſet, fuiſſent iudices per titulum ſeq. Vult etiam textus iſte, quòd de cauſa feudali poteſt fieri cōpromiſſum, de quo in c. ij. inf. de lege Corradi. Potes etiam dicere, quòd ideo hîc dominus non eſt iudex, quia vnus dicebat feudū eſſe nouum, alius antiquum: ſed vbicunque vterque dicit ſe vaſallum de feudo antiquo, cùm dominus non habeat aliquod intereſſe, tunc erit iudex. §. fi. inf. eod. tit.

§. Item placet.

Allegatur textus iſte, quòd probatio incumbit inueſtito alleganti feudum eſſe nouum: quo non approbante, transfertur electio in agnatum allegantem feudum eſſe paternum, vt vel iuret vel referat. Et nota textum, dum dicit, Cauſa cognita, quia ad delationē iuramenti proceditur per iudicem cum cauſæ cognitione: non autē præcipitanter, de quo in. §. fi. ſup. de gradibus. Vult etiā textus iſte, quòd ille, cui primò defertur iuramentum, tenetur aut iurare vel referre. l. manifeſtæ, ff. de iureiuran. ille autem, cui refertur, tenetur aut iurare aut ſuccumbere, vt hîc & in l. generaliter. §. pri. C. de iureiur.

§.Illud tamen.

Allegatur textus iſte, quòd vbi ambo litigantes contendunt feudũ eſſe antiquũ, cognitio eſt domini ſimul cum Curia. Et, vt bene intelligas, ideo in caſu iſto ſolus dominus non eſt iudex, quia erat incertum, an alter ex litigantibus eſſet vaſallus, & de hoc erat quæſtio: ſecùs, ſi conſtaret litigantes aliàs eſſe vaſallos, quia tunc dominus ſolus cognoſceret ſecundum gl. & Dd. Et quia in textu dicitur, quòd non eſt licitũ declinare forum iſtorum iudicum: quæritur per gloſ. & Dd. vtrum ex cauſa ſuſpicionis poſſit declinari? glo. tenet quòd ſic: & textus intelligitur hîc, quòd non ſit decens & honeſtũ, ſed iſta glo. damnatur communiter per Docto. & contrarium tenuit glo. in. §. penultimo. inf. de prohibi. alienatione feu. per Federi. Et aſſignatur ratio, quòd ſunt iudices ordinarij, ideo non recuſantur. l. apertiſſimi. C. de iudicijs. & ſecundum Aluaro. Bald. variauit, & concludit pro opinione, quòd non poſſit declinari, & vaſallus habebit remedium contra ſuſpicionem, de quo in authent. ſi verò cõtigerit. C. de iudi. Et ſic ratione adiuncti purgatur ſuſpicio. Et glo. iſta ſaluari poteſt, quando vaſallus declinaret iuriſdictionem domini, ratione iuriſdictionis incompetentis. Exemplum eſt in principio huius c. vbi dominus non cognoſcit de cauſa feudali. Poteſt etiam dici ratione excommunicationis. c. ad probandam. de re re iudi ca. & iſtud videtur eſſe de mente Bal. in l. liberti. ad fin. C. de ope. liber. & per Innocen. in c. cate-

cæterùm.de iudicijs. Et pro iſta opinione videtur eſſe textus hîc, cui non poteſt reſponderi ſine violentia. Et non omittas hîc vnam gloſ.ſingularem, nam ſi alter ex iſtis litigantibus ſit citatus coram domino ſolo, vel Curia ſola, & non comparuerit, non punitur, licet non cõparuerit ad allegandum priuilegium, quare non ſit de iuriſdictione illius, iuxta l. Si quis ex aliena.ff. de iudicijs. quia illa lex loquitur in iudice ordinario generali inter quoſcunque litigantes: hîc verò loquitur in iudice ordinario ſingulari, cuius iuriſdictio eſt limitata inter certas perſonas, coram quo citatus non tenetur comparere, niſi manifeſtè appareat, quòd ſit de iuriſdictione citantis. Et dum dicitur in principio, quòd eliguntur arbitri, dicas, quòd eorum ſententia tenet, quia eliguntur ex diſpoſitione & forma conſuetudinis ſecundum Bald. Nota etiam, quod dicit Bal. de duobus dominis litigantibus de quibuſdam caſtris, qui poſuerunt ſe in manibus Regis Francorum, quòd talis commiſſio expirat morte Regis Francorum, dato quòd fuerit facta ſub nomine appellatiuo per deducta per ipſum.

DE CONTROVERSIA FEVDI apud Pares terminanda.

TITVLVS XVI.

In iſto titulo declaratur, quando controuerſia vertitur inter dominum & vaſallum, coram quo iudice debeat talis cauſa ventilari.

Si inter dominum.

Allegatur textus iſte, quòd Pares cognoſcunt de cauſa feudali vertente inter dominum & vaſallū, qui Pares eliguntur communi conſenſu litigantium, & ſi in eligendo diſſentiant, dominus præferri debet in eligendo, dummodò non eligatur, niſi ſolùm qui fidelitatem iurauit. Et ſic electio iudicum partibus committitur, de quo in l. obſeruandum. ff. de iudi. Et qui fidelitatem domino non iurat, non eſt reputandus pro Pari, domino vel vaſallo litigantibus diſſentiente, vt hîc: ergo à contrario ſenſu ipſis volentibus, poſſet ipſe vaſallus, qui non iurauit eligi. Et licet iſte textus excipiat ſolùm vnum caſum, in quo quis non poteſt eligi pro Pari, videlicet quando non iurauit fidelitatem, cæteri admittentur, & poſſent eligi, dummodò aliàs ſint idonei, vt quia non ſint infames & excommunicati ſecundum glo. & Dd. Et nota gloſ. notabilem hîc, quòd Pares Curiæ poſſunt cognoſcere per viam reconuentionis de cauſis non feudalibus. Intellige tamen hoc, & limita ſecundum regulas traditas per Dd. in hac materia, de quo in l. cùm Papinianus. & in authen. & conſequenter C. de ſenten. per Canoniſtas in c. j. & ij. de mutuis peti. Et iſtud etiā procedit ſecundum Dd. ſi clericus vaſallus cōueniat laicum occaſione feudi coram Paribus, quòd laicus poterit reconuenire clericum ciuiliter coram illis, dato quòd ſint laici ex natura conuentionis & reconuentionis. Et an vnus ex iſtis iudicibus poſſit committere citationem

ſine

ſine alio? Et videtur quòd ſic, de quo per gloſ. & Docto. in l. Pomponius. ff. de re iudicata. Et quod notat Bald. in l. j. ff. de offi. Conſu. & vide etiã ibi per Bart. & ſi ſint diſcordes, videtur, quòd ſufficiat maior pars. gloſ. in l. aliud. §. refertur. ff. de regulis iuris, & vide per Bal. in l. fin. C. de aucto. præſtanda. & quomodo capiatur maior pars vltra adducta per Aluaro. adde notata per Bar. in l. iiij. §. Cato. in vlti. col. ff. de verborum obliga. in d. l. Pomponius. ff. de re iudica. per gloſ. & Dd. in c. eccleſia veſtra. vlti. de electio. in c. dudum. j. eodem titu. per glo. in c. in canonicis. xix. d. per Barto. in l. iij. ff. de teſti. per Abb. in c. prudentiam. in princ. de offic. delega. per moder. in l. maiorem. ff. de pact. Et notat Bal. ex iſto textu, quòd ille debet prius votum ſuum deponere, qui dignior eſt. Et colligit argumentum ex hoc textu, quòd ſcholaris, qui non vult iurare Rectori, non debet haberi pro ſcholare. & inter alia allegat l. eos. C. de offi. Magiſ. mili. & ibi eſt glo. quæ allegatur, quòd qui non eſt in matricula, non poteſt conficere inſtrumentũ, quam allegat Bal. in l. ex eo. ff. de teſtamen. mili. in l. petitionem. C. de aduoca. diuer. iudi. & eſt textus notabi. quem ibi ponderat Bal. in l. ſi duas. in fin. ff. de excu. tut. Et nota ſecundum Bald. quòd reconuentio habet locum ſolùm in his, quæ requirunt diſceptationem iudicij: ſed vbi propriè non eſt iudicium, vt cùm petitur teſtamentum aperiri vel inſinuari, vel ſimilia, non habet locum reconuentio.

DE EO, QVI SIBI VEL HAEredibus ſuis maſculis & fœminis inueſtituram accepit.

TITVLVS XVII.

In hoc titulo declaratur quidam caſus dubitabilis,in quo erant variæ opiniones circa materiam ſucceſsionis feudorum, attenta natura & forma inueſtiturarum.

Qui ſibi.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus pro ſe & hæredibus ſuis maſculis,& his deficientibus, pro fœminis inueſtituram accipit,non ſuccedit fœmina in feudo,donec ſupereſt maſculus:quinimo, nec debet vaſallus feudum ſuum recognoſcere à fœmina extante aliquo maſculo ex domino, qui primam inueſtituram fecit.Tu habes vnum pulchrum ex hoc textu, quòd vbicunque vaſallus inueſtitur de feudo pro ſe & hæredibus ſuis maſculis,cum pacto, vt deficientibus maſculis, fœminæ admittantur,quòd in ſucceſsione talis feudi, donec extat maſculus deſcendens à primo inueſtito, ſiue deſcendat per lineam maſculinam ſiue fœmininam, nõ vocatur fœmina. Et ratio eſt,quia iſtud feudum à principio eſt feudum paternum, licet ſit alteratum per pactum. Omnes enim iſti poſteri dicuntur deſcendere ex corpore primi acquirentis. Habes etiam ex hoc textu, quòd iuriſdictio feudalis,quæ eſt apud dominum infeudantem, non tranſit ad fœminas etiam deſcendentes à dicto

à dicto domino inueſtiente, donec extat maſculus deſcendens ab eodem:& cùm fœminæ & earum deſcendentes non ſint habiles ad ſucceſſiones feudorum, tamen ex ſpeciali pacto admittuntur, vt hîc & ſup. de ſucceſſ. feud. §. filia. Et ratio textus eſt, quia cùm feudum iam habuerit effectum in perſonam fœminæ, ergo ſemper fœminæ deberent admitti ad ſucceſſionem feudi. c. j. §. quinetiam. Epiſco. vel Abba. Et tamen hîc dicitur contrarium, quia operantur verba adiecta in inueſtitura, videlicet, vt tunc admittantur fœminæ, deficientibus maſculis: & ideo fœmina primi acquirentis fuit admiſſa, quia nõ habuit aliquod obſtaculum, quia maſculus nõ extitit. Nunc autem neptes deſcendentes ex filio maſculo, reperiunt obſtaculũ nepotis nati ex alio filio maſculo, qui eas excludit, attenta forma verborum inueſtituræ. & ſecundum gloſ. etiam iſte maſculus excluderet amitam ſuperuiuentem, vt ſi filia primi acquirentis mortua eſt, relicta filia & nepote ex altero filio præmortuo. Sed quid ſi fuerunt duæ filiæ, quæ ambæ ſucceſſerunt, quia nõ erat obſtaculum maſculi, ſed poſtea vna moritur, relicto vno filio maſculo, qui eſt nepos alterius ſuperuiuentis, & iſta ſuperuiuens eſt matertera dicti nepotis: quæritur, an iſte nepos excludat materteram? & eſt altercatio, ſed tene tu opinionẽ, quòd nõ: quia iam à principio ſucceſſerat ſine obſtaculo, & pro hoc iſte textus in prin. debet ergo intelligi textus iſte, quando in acquiſitione

feudi iam ſupererat maſculus impediens. Et in caſu iſtius inueſtituræ, de qua in textu, hæredes acquirunt feudum ex pacto, & propter hæreditatem defuncti, & non propter ſpecialem ſucceſsionem feudi. Sed quando feudum non deſcendit ex pacto, tunc acquiritur ex ſucceſsione, & in caſu noſtro agnati non poſſunt repudiare hæreditatem, & feudum retinere: quia eſt feudum hæreditarium, & non acquiritur niſi hæredibus. & vide quod habetur titu. inf. an agna. vel filius. Sed quid, ſi recepi feudum pro me & filijs fratris mei, & habeam filios, an excludant filij mei illos, de quo per Bald. in l. cùm acutiſsimi. C. de fideicommiſ. Et conclude ſecundum eum, quòd filij fratris non excluduntur à dimidia, de quo ibi per eum. Quæritur etiam, in inueſtitura eſt dictum, quòd deficientibus maſculis, feudum vadat ad vnam fœminam, & poſtea extẽt plures fœminæ, de quo per Bal. in. §. hoc autem. ſup. qui feu. dare poſs. & videtur concludere quòd domini ſit electio, quam velit admitti. Et ſi aliquis accipit feudũ pro ſe & filijs ſuis, intelligitur non ſolùm de natis, ſed etiam de naſcituris ſecundum Dd. Bal. in l. j. C. de libert. & eorũ libe. Non veniunt tamen filij patre viuente, quia intelligitur ſecundum debitum ordinem temporis & rationis, de quo per Dd. in l. Gallus. §. j. ff. de libe. & poſthu. per Bald. in l. liberti. C. de ope. liberto. Et idem dicas in emphyteoſi, de quo etiam per Barto. in l. ſi tibi. §. ſi pactus. ff. de pactis. etiamſi ſumus in his, quæ poſſunt tranſire ad filios vt fi-

vt filios, non vt hæredes: hoc tamen non procedit, quando appareret patrem voluiſſe donare filio, & licet tunc non valeat donatio, confirmatur morte patris. Bart. in l. j. §. ſed nec caſtrenſe. ff. de colla. bonorum. Et ſi pater accipit in emphyteoſim pro ſe ſuiſque filijs legitimis maſculis, & ſemimaſculi et fœminæ pariter admittuntur, ſecundum Bald. in d. l. liberti. niſi ſtatutum aliter diſponeret: quod tamen intelligit Bal. quando ſtatutũ ſpecialiter diſponeret de forma ſuccedendi in emphyteoſi: ſed ſi ſtatutum ſolùm diſponeret de vniuerſali ſucceſſione, & emphyteoſis tranſit cum vniuerſitate, et idem: ſecùs ſi eſt propriè diſpoſitio per ſe ſtans, & diuerſa à iure hæreditario. & ſic ſtatutum nihil loquitur de hoc, de quo ibi per Bal.

DE DVOBVS FRATRIBVS à Capitaneo inueſtitis.

TITVLVS XVIII.

In iſto titulo declaratur, quid iuris eſt, ſi duo fratres ſimul capiant inueſtituram, quo caſu quilibet ipſorum videtur proſpexiſſe etiam fœminis, antequam vocetur alter frater, vel deſcendentes ex eo.

Duo fratres.

Allegatur textus iſte, quòd in feudo dato duobus fratribus, ſimul cum hoc pacto, vt haberent quamdiu viuerent ipſi, vel eorum hæredes maſculi: et his deficientibus, fœminæ, non ſuccedit alter alteri, donec defuncto ſupereſt deſcendens etiam fœmina, aliàs ſic, excluſo do-

mino. Et iſte textus probat duo: quòd in inueſtituris celebrandis ſuper feudo nouo poſſunt apponi pacta exorbitantia à communi natura feudorum. Secundò, quòd vnuſquiſque poteſt prouidere deſcendentibus ſuis futuris, etiamſi à principio non ſperabat de liberis, de quo per gloſ. hîc dum allegat. l. ſi pactum. ff. de probatio. & Aluaro. hîc errauit, dum dixit quòd Bald. hîc allegauit hunc textum pro ſingulari, quia allegat textum in l. tale pactum. §. fina. ff. de pactis. ad illud propoſitum, etiamſi non ſperabat à principio de liberis. Et in caſu iſto dominus non excludit fratrem propter pactum appoſitum in inueſtitura, aliàs excluderet. c. j. de fratribus de nouo be. inueſtitis. Et Bald. hîc dicit iſtũ textum egregium, quòd tenor inueſtituræ derogat omni feudorum naturæ. Et Bald. hîc format quæſtionem: ſtatutum, dicit, quòd ſi quis tempore mortis caruerit filio, & filia ſuccedat, frater quidam deceſſit, relicto filio & non filia: quæritur, an ex vi ſermonis ſtatuti admittatur frater, & non filius? Et concludit quòd non, quia licet caream copula, non careo extremo copulato. allega notab. in Clemen. in pleriſque. de electione.

AN REMOVERI DEBEANT teſtes, qui Pares eſſe deſierunt.

TITVLVS XIX.

Hic declaratur, an & qualiter declarari poſſit tenor inueſtituræ, quando ſuper ipſa inueſtitura orirertur dubitatio, & eſſet opus

epus dictam inueſtituram probare per Pares Curiæ: poſita eſt ergo rubrica, An teſtes remoueri &c.

Ex facto.

Allegatur textus iſte, quòd ſi teſtes adhibiti tempore inueſtituræ erant Pares, non repelluntur poſtea à teſtimonio, licet deſinant eſſe Pares. Probat iſte textus tria. Primò, quòd inſpicitur conditio teſtium eo tempore, quo adhibentur ad teſtimonium, licet conditio eorum videatur mutata tempore depoſitionis, de quo in l. ad teſtium. §. conditionem. ff. de teſta. & facit quod habetur in l. j. C. de teſta. Secundò, quòd non conſtituitur irritum, quod ab initio eſt legitima auctoritate confectum. Tertiò, quòd qui non peccauit, non meretur pœnam. facit quod habetur in l. ſancimus. C. de pœnis. Nota gloſ. quæ quærit, quid ſi teſtator legauit cognato ſuo decē, qui erat cognatus tempore teſtamenti, ſed poſtea tempore mortis teſtatoris deſierat eſſe cognatus, an ſibi debeatur legatū? gl. quòd ſic, in l. ſi cognatis. ff. de rebus dubi. Quærit Al. quid ſi in princip. tempore inueſtituræ teſtes non erant Pares, & ſic non fuerunt idonei, poſtea autem tempore depoſitionis reperiuntur eſſe Pares, an cenſeantur eſſe legitimi teſtes? Et adducit aliquos volentes quòd ſic, ipſe autē tenet contrariū, & mouetur tali ratione: quia de ſolennitate inueſtituræ requiritur, quòd teſtes à principio ſint Pares. c. j. inf. qui teſtes ſint neceſ. ergo non ſufficit, nūc eſſe Pares: ſed poſſet dici, quod ille tex. dicit,

quòd

quòd inueſtitura debet probari per Pares: ergo ſufficit quòd tempore, quo deponunt, ſint Pares. Sed tamen teneo opinionem ſuam per eundem textum in ver. & ſi ſine eis inueſtitura &c. Et nota, quod Bald. hîc dicit, quòd infamia facti eſt triplex. Vna eſt apud vulgus propter delictum alicuius: hæc non repellit teſtem, quin examinetur, ſed minor fides adhibetur. Quædã per ſententiam iudicis, vt in condictione furtiua. Quædam eſt infamia, quæ reſultat ex genere ſectæ, quia non eſt catholicus: & iſti repelluntur, nec examinantur, ſi probari poteſt, aliàs cum proteſtatione recipiuntur: cui adde notata per Barto. in l. Caßius. ff. de Senatori. vbi dixit, quòd in cauſa criminali non admittuntur infames infamia facti per glo. & Bart. in l. cunctos populos. C. de ſumma trini.

DE CONTROVERSIA INter Epiſcopum & vaſallum.

TITVLVS XX.

Hic declaratur, an Pares debeant eſſe iudices in cognoſcendo controuerſiam ortam inter dominum dicentem, quem nõ eſſe vaſallum, & conſequenter hoc eſſe diſcutiendum coram Curia ſua: & vaſallum ex hoc dicentem non habere Pares, & conſequenter hoc eſſe diſcutiendum coram iudice ordinario.

Ex eo, quod ſcriptum eſt.

Allegatur textus iſte, ſi inter vaſallum & dominum eſt contentio de inueſtitura ab eius præceſſore facta, Pares Curiæ de illa cognoſcunt ſiue ſit quæſtio de inue-

inueſtitura,ſiue de fidelitate, ſiue de principali cauſa, qui Pares ex eorum officio debent facere inueſtiri vaſallum:ſed iuramentum fidelitatis non debet præſtari,donec cauſa principalis erit expedita, niſi idem vaſallus haberet aliud feudum ab eodem domino, quo caſu etiã interim præſtabit iuramentum fidelitatis.Probat ergo textus iſte,quòd epiſcopi poßunt infeudare de bonis ſuæ eccleſiæ,quod eſt verum,ſi cõſuetudo eſt infeudandi,& feudum ſit apertum,aliàs ſecùs.c.j.in prin.ſup.Epiſco. vel Abba.Habes etiã vnum notabile in hoc textu, quòd Pares Curiæ dato, quòd ſint laici, ſunt iudices competentes inter vaſallum laicum agentem & dominum reum,etiamſi ſit clericus:ſed hoc ideo eſt, quia iſti Pares cenſentur eße iudices eccleſiaſtici, licet ſint ſæculares:quoniam habent iuriſdictionem à Canone etiam in feudo eccleſiæ.c.ex tranſmißa.de fo. compe. & notatur in c.cæterùm.de iudi.Et pro intelligentia textus,in quo dicitur, quòd vaſallus petebat à ſucceßore præſtationẽ annuam,cùm iam ſit reuocata per mortem concedentis,vt ſup.in tit.quis dicatur Dux &c. ergo iniuſtè petebat:dicas, quòd iſte textus habet locum in clerico & laico concedente perpetuam inueſtituram, ſiue ſit ex Camera, ſiue ex Canipa, vel in aliquo alio redditu annuo,vel in qualibet alia re,dummodò ſit ad feudum rectum:contrarium verò loquitur de ſoldata, in qua non eſt inueſtitura,vt dictum eſt ibi, & ita ſentit gloſ. hîc. Et nota, quòd principalis cauſa, de qua fit mentio in textu,

textu, erat, vtrum valuerit inueſtitura vel non. Et nota ex hoc textu, quòd aſſertio actoris facta in iudicio magis nocet ſibi ad fundandam exceptionem rei, quàm aſſertio rei noceat ipſi reo ad fundandam replicationem actoris: quod patet, quia vaſallus actor dicebat ſe vaſallum, dominus verò conuentus negabat ipſum vaſallum, vnde ſecundum aſſertionẽ actoris reputatur in hoc pro vaſallo, vt cauſa prædicta debeat coram Paribus terminari. Et notat Bald. hîc, quòd actor replicando non poteſt eſſe ſuo libello contrarius, quod dicit memoriæ commendandum. Dicit etiam Bal. quòd ratio huius textus fundatur in hoc, cùm ipſe actor dicat ſe feudatariũ, & Curia habet Pares, ſequitur de neceßitate, quòd fratres ſint iudices. Dicit etiã vnum, quod dicit memoriæ commendandum, quòd reus negans intentionem, poteſt ex ea intentione ſe iuuare, quantum ad ius fori.

DE VASALLO MILITE, QVI arma bellica depoſuit.

TITVLVS XXI.

Hîc tractatur, quando dominus negat quem eſſe vaſallum ex cauſa & defectu ipſius vaſalli, vt quia mutauit ſtatum, & ſic amplius non poteſt feudo ſeruire.

Miles qui beneficium.

Allegatur textus iſte, quòd miles ſæculi, qui eſt factus miles Dei, ex eo quòd venerabilem domum intrauit, & ſæculo renuntiauit, feudum amittit. Et ratio textus eſt, quia cùm amplius non poßit exercere officium

cium in adiuuando dominum, non debet habere beneficium. quia miles Dei non debet ſe implicare negocijs ſæcularibus, ſed debet ſeruire diuinis, vt in rubr. ne cleri. vel monach. Et idem dicas ſecundum gloſ. & Docto. ſi vaſallus efficiatur clericus ſæcularis. & eſt textus in c. qui clericus. ſi de feu. fuerit controuer. Et ſi conuerſus relinquat habitum religionis, ſecundum gloſ. non poterit recuperare feudum: ſed intellige gloſ. quando iam fecerat profeſſionem, quia exeundo efficeretur apoſtata, ſecùs ſi exiret intra annum probationis. facit quod habetur in c. beneficium. de regul. in 6. Et in caſu iſto, in feudo nouo præfertur dominus agnatis: in feudo antiquo præferuntur agnati. Et ſi opponatur, monaſterium debet præferri domino & agnatis, cùm habeatur loco filij, authenti. niſi. C. ad Trebellia. authen. ſi qua mulier. C. de ſacroſan. eccleſ. quia reſpondetur, quòd habetur loco filij ciuilis, non naturalis. glo. in dicta authenti. niſi. Sed in feudo non admittitur filius ciuilis. c. ſi adoptiuus. inf. ſi de feu. fuerit controuer. Si tamen monaſterium poterit præſtare ſeruitium, ſicut vaſallus, habebit interim, donec viuet vaſallus, commoditatē feudi, vt per Inno. in c. in præſentia. de proba. Si autē ſeruitium ſit tale, quòd non poßit adaptari ad ipſum monaſteriū, tunc incontinenti redibit feudū vel ad dominū, vel agnatos, vt in iſto textu: & ita concluditur per Dd. & adde notata per Bal. in auth. ingreßi. C. de ſacroſan. eccle. in authen. niſi. C. ad Trebelli. Et ſi

viuo

viuo patre vaſallo filius erat clericus vel cōuerſus,& poſtea tempore mortis patris eſt redactus ad vitam laicalem,poterit tenere feudum ſecundum aliquos: quod tamen limita,niſi remaneret apoſtata,vel ſi fuerit exauctoratus propter delictum,quia ex tali exceſſu & infamia non poſſet ſtare in Curia domini: ergo feudum retinere non poteſt,vt inf.an ille qui interſecit.fra.domini.c.j.Non tamen procedit textus iſte ſecundum Dd.ſi vaſallus efficeretur miles Hieroſolymitanus, qui appellatur miles ſancti Iohannis vel ſimilis ordinis: quia non perdit feudum,vnde poterit honeſtè ſeruire: cauſa enim iuris non eſt mutata,licet honor ſit auctus.l.falſa.§.j.ff.de cōditio.& demonſtra.Et ſi homo meus intrat religionem,bona ſua ſpectant ad me, non ad monaſterium ſecundum Dd.hîc,ſi non habet filios.l.ſi quis presbyter.C.de epiſ.& cleri.Poteſt tamen de nouo clericus inueſtiri,ſi dominus ſcit illum eſſe clericum, argu.ſup. per quos fiet inueſtitura.§.perſonam. Vtrum autem tunc poterit ſeruire per ſubſtitutum, vide quæ habentur in c.qui clericus.ſi de feu.fue.controuer.Et ſi Rex efficiatur monachus,ius Rēgni tranſit ad ſucceſſores ſanguinis.glo.in c.ſcripſit.xxvij.q.ij.reputatur tamen ſecundum Bal.clericus de vniuerſitate ciuiū.d.l.falſa.§.j.ff.de conditio.& demonſtra.c.dilecti.de fo.compe. Et dicit.Bal.hîc vnum,quod dicit eſſe notabile,quòd beneficium vacans per c.de multa.de præben.vacat per priuationem,non per renuntiationem, cùm inuitus deponat bene-

beneficium, ſicut hîc feudũ. Et nota glo. quam hîc Bal. dicit ſingularẽ in l. nemo poteſt. ff. de lega. j. quòd ratione clericatus quis mutat locum ſcilicet originis & domicilij etiã naturalis & fori. Et nota quod Bald. hîc in fine vult, quòd profeſsio non ſit ſacramentũ Eccleſiæ, allegat Io. An. in c. fin. de conditio. appoſi. & ideo dicit, quòd Papa poſsit ipſam remouere.

DE MILITE VASALLO, qui contumax eſt.

TITVLVS XXII.

Quia, quando eſt controuerſia inter dominum & vaſallum, quandoq; vaſallus citatus eſt contumax, & dominus citatus ad inſtantiam vaſalli: ideo, quid tunc faciendum eſt, factus eſt iſte titulus.

Dominus vocat militem.

Allegatur textus iſte, quòd ad inſtantiam domini conquerentis de vaſallo, debet citari ipſe vaſallus ad ſe excuſandum coram Curia, qui ſi poſt trinam citationẽ factam per ſpacium ſeptem vel decem dierum in vnaquaque non venerit, debet dominus mitti in poſſeſsionẽ feudi: verùm ſi vaſallus poſtea venerit intra annum, recuperabit dictam ſuam poſſeſsionem, aliàs perdit poſſeſsionem & feudum. Et ſic per trinam citationem conuincitur pertinacia & cõtumacia vaſalli, vt hîc et inf. quæ ſit prima cauſa benefi. amitten. §. j. per quam contumaciam priuatur poſſeſsione rei feudalis, quam recuperat intra annum, elapſo anno, priuatur ſuo dominio

vtili. Et probat iſte textus, quòd in citatione debet adijci cauſa ad hoc, vt citatus ſciat, an velit cedere vel contendere, vt notatur in l. j. ff. de eden. Et forma citationis erit talis, quia abſens citabitur ad domum per literas, & illæ literæ citatoriæ dimittentur ad domum citandi, nec eſt neceſſe, quòd perquiratur per totam ciuitatem. glo. eſt ſingularis in. § ſi verò. in authent. de exhiben. reis. Poterit etiam citari per edicta, vt per ſchedulã affixam in albo Prætoris, vel in foribus palatij, vel eccleſiæ cathedralis, ſi iudex eſt eccleſiaſticus, de quibus habetur in Cle. cauſam. de elect. Et nota glo. hîc, quòd conſuetudo cuiuſcunque prouinciæ, quantum ad citationes & lites ordinandas, debet obſeruari. l. iij. in fin. ff. de teſti. Si autem non eſt cõſuetudo, iudex obſeruet diſpoſitum à iure, ſecundum Dd. Nota etiam gl. hîc, quòd iudex non poſſet proponere vnum edictum citatorium pro omnibus tribus in materia feudali, licet ſit ſecùs de iure communi in cæteris rebus, vt in l. nonnunquam. ff. de iudi. Et ratio eſt, quia numerus ſtatuitur pro forma, & ideo dicunt Dd. quòd ſi ſtatutum diceret, quòd quis ponatur in banno p̃cedentibus duabus citationibus tot dierum pro qualibet citatione, non habet poteſtatem iudex dandi vnam pro omnibus. & ego allego gl. ſingularem in Clem. j. de vita & honeſta. cleri. in ver. tertio, quæ dicit notabiliter, quòd vbicunque ad pœnam incurrendam iura exigunt trinam citationem, non ſufficit vnicum peremptorium, quam gl. in multis locis allegat

Abb.

Abb.in c.quoniam.§.portio.vt lite non conteſt. in c. ij. ne cleri.vel mona.in c.fin.de vita & honeſta.cleri. in c. ex tua.de cleri.non reſiden. & ibi illam dicit ſingularẽ in c.cõtingit.de ſenten.excommunic.Quærunt Dd.hîc, an iſta ſolennitas, de qua hîc, debeat obſeruári in vero contumace, qui citatus dixit expreſſè, Nolo venire. & Aluarot.allegat multa, & tandem concludit, quòd nõ, quia iſte textus loquitur de ficto contumace. Sed non allegat Barto. qui videtur aliter loqui in l. ex conſenſu.§.eum qui.ff. de appella. qui videtur velle, quòd hoc procedit, quando fuit citatus peremptoriè, & ibi allegat glo.in c. venerabilibus.de ſenten.excommu.in 6. de quo etiam per Bart.in l.Diuus.ff.de in integrũ reſti. nec in caſu noſtro requiratur alia citatio contra contumaciam ad audiendam ſententiã priuationis, quia contumacia præcedẽs reſpicit totũ proceſſum, vigore cuius eſt ferenda ſecundum Docto. Et poteſt creditor, qui non eſt dominus, propter contumaciam debitoris petere ſe immitti in poſſeſſionem ex primo decreto, non autẽ ex ſecundo, quia eſſet alienatio ſecundum Bald.in auth. ei qui.C. de bonis aucto. iudi. poſſiden. niſi eſſet tale feudum, quod ex pacto poſſet alienari. Et nota, quòd Pares poterunt denegare audientiam vaſallo in alia cauſa feudali, donec perſeuerauerit contumacia. Aluarot. allegat gloſ. ſingularem in l. ſed & ſi per Prætorem.§.ſed & ſi dum decreto.ff.ex quibus cauſ maior. Sed hoc non videtur procedere in caſu iſto, quia datur

forma Paribus,qualiter debeant procedere. Et die feriata poteſt interponi ex cauſa primum decretum glo. in l.ij.ff.de ferijs.ſecundum Alua. Et poterit etiam reuocari die feriata.glo. eſt ſingularis in l.ſi minor.ff. de euictio.Sed vt puto Alua.errauit:quia ſi ex cauſa poteſt interponi primum decretum die feriata.glo.in d.l.ij.nõ ſit hoc de facto,ſed de iure: ergo non poteſt reuocari die feriata,quia illa glo.in d.l.ſi minor, allegatur, quod de facto ſit,de facto reuocari debet.

§.Si verò vaſallus.

Allegatur textus iſte ad plura, quòd vaſallus poteſt conqueri de domino ſuo, qui ipſum ſpoliauit feudo, & quòd propter potentiam aduerſarij poteſt adiri iudex ſuperior etiam ſine appellatione. Et ſi iudex ieferior nõ eſt ſufficiens ad exequendum ſententiam, quòd poteſt implorari brachium ſuperioris, & quòd vaſallus debet reuerenter adire dominum, & ſecum loqui cum reuerentia. Et nota glo. hîc, quòd vaſallus agens contra dominum non tenetur petere veniam, & ſequuntur Dd. quia vaſallus non eſt de perſonis enumeratis in edicto Prætoris:ex quo infert idem Bal. quòd ſimiliter ſubditus agens contra patriam,vel fiſcum,non tenetur petere veniam.glo. tamen videtur tenere contrarium in l. ſi.C.de quadrien.præſcrip. quòd agendo contra Principem ſuum vel fiſcum,debeat peti venia.& ibi per Bald. Specu.tamen in tit.de feu.verſi.xvij tenet quòd vaſallus teneatur petere veniam.Nota ſecundum glo.& Dd. limita-

limitationem ad l. de qua re. ff. de iudi. nam hîc vaſallus relinquit iudicium inchoatum coram Curia contra illam legem, quia hoc eſt inductũ fauore vaſalli, vt poſſit declinare iudicium Curiæ propter potentiam aduerſarij. Vel poteſt intelligi textus, quòd iſti Pares iam pronuntiauerant. ſed non erant ſufficientes ad exequendũ propter terrorem & potentiam domini, meritò executio fieri poterit per ſuperiorẽ. Et quia iſte textus vult, quòd vaſallus poteſt propria auctoritate deprædari dominum, qui ſpoliauerat ipſum ſuo feudo, poteſt intelligi textus ſecundum gl. & aliquos Dd. quòd iſte dominus erat bannitus propter ſui contumaciam, aliàs priuaretur iure ſuo vaſallus. l. extat. ff. quod metus cauſa. Et intelligit Bald. textum & glo. quòd ſit bannitus à lege, vt poſſit deprædari, vt hîc. & ex hoc colligit, quòd ſtatutum poteſt dare licentiam deprædandi. Alua. autem intelligit textũ, quòd vaſallus potuerit dominum deprædari, hoc eſt, prædio feudali priuare manu militari, et violenter ex præcepto iudicis, poſtquam ipſe dominus voluntariè recuſauit adimplere, & fuit contumax. Et nota gl. hîc, quòd dominus propter talem inobedientiam & contumaciam priuatur iure proprietatis dicti feudi: & ratio eſt, quia ſpoliauit vaſallum feudo contra debitum iuris. Et nota, quòd vaſallus ſpoliatus à domino non intentat interdictum, ſicut actionem famoſam. l. j. §. interdictũ. ff. de vi & vi arma. ſed exponet querelam curialibus verbis, dicendo ſe ſpoliatum: nec habet

 locum

locum iſte textus, ſi dominus ſpoliauit vaſallum alia re, quàm feudali ſecundum Inno. in c. cæterùm. de iudi. & Al. hîc. Et nota, dum dicitur in textu, quòd vaſallus non reſpondet, quòd qui nõ loquitur & obmuteſcit, iuſtitiã denegare videtur. Et ideo dicit Bal. quòd non ſolùm repræſaliæ poſſint concedi propter iuſtitiã expreſſè denegatam, ſed etiã propter moram nõ exhibitæ iuſtitiæ, de qua mora debet legitimè conſtare. Et nota quod Bald. hîc adducit Io. An. in c. non minus. de immu. eccle. quòd vbicunque debet citari tyrãnus vel alius terribilis, quòd ſufficit vna citatio. Et nota ſecundum Bal. quòd de iure ciuili poteſt appellari ab interlocutoria, quæ tranſeat in factum afflictionis & tædij, & ideo appellatur à primo decreto, quia non poteſt reparari. l. in bellô. §. facit. ff. de capti. ſecùs in interlocutoria ſtãnte in finibus verbi. Nota etiam quòd Bald. hîc allegat gloſ. quam dicit ordinariam in c. quia Præſulatus. j. q. iiij. quòd ſufficiat dicere, Cõqueror de domino meo, qui me ſpoliauit: quia talis querela habetur prò libello. Adducit etiam Bal. gl. in l. pupillus. §. territorium. ff. de verborum ſignifi. licet corruptè illam alleget, quòd ex cauſa poteſt alicui interdici locus. adducit etiam gl. in l. qui neque. ff. de ver. ſigni. quòd citatus à iudice, incongruo loco & tempore, non tenetur comparere. Nota etiam ſecundum Bald. quòd Perùſinus, qui promiſit ſoluere Mediolani certo tempore, poterit citari Mediolani, ſi ibi habet aliquid, quod poſſit capi in tenutam. Adducit etiam gloſ.

in l.

in l.ſi finita.§. Iulianus.ff. de dam.infect. quòd quando aliquis citatur per præconē, debet citari in vico citandi. Dicit etiam, quòd nō poſſit citari tanquam contumax, quando citatur ſub hac forma, Si tua putaueris intereſſe. & adducit glo. in l. ea quidem. C. ſi manci. ita fuerit aliena. adducit etiam glo. quam dicit mirabilem in l. penulti. C. ad Trebelli. quòd ſufficit, quòd contumacia appareat ex actis, licet nihil ſuper ea ſit interlocutum. Dicit etiam Bal. quòd vniuerſitas propter contumaciā poteſt priuari priuilegijs. allegat Io. An. in c. grauem. de ſenten. excom. adducit etiam gl. quam dicit ſolennem & ſingularem in l. Fulcinius. §. quid autem ſit latitare. in ver. animus. ff. ex quibus cauſ. in poſſeſſ. eatur, quòd in omnibus illis caſibus ſolenniter citatus, & non comparens, præſumitur latitare, vt ſi dixit aliquibus, ſi ab aduerſario fuit præmonitus, ſi dedit fideiuſſorem de iudicio ſiſti, ſi fuit litem cōteſtatus. Dicit etiam Bald. quòd quando alicui eſt ſtatutus certus terminus ad ſe corrigendum, & eſt certum, quòd non vult pœnitere, non debet terminus expectari. allegat Io. An. in c. irrefragabili. de officio ordina. Dicit etiam, quòd ſi promiſimus compromittere, videtur actum ab ipſo principio, quòd compromittatur in tres. allegat notata in l. j. ff. de optio. lega. adducit etiam glo. in l. j. ff. de publica. quòd tributum præſtatur ratione ſoli proprij poſſidentis, ſed vectigal ratione ſoli publici, in quo portantur vel venduntur ea, quæ vehuntur.

IN QVIBVS CAVSIS FEVdum amittatur.

TITVLVS XXIII.

In iſto titulo & ſequenti ponuntur multi caſus, in quibus vaſalli amittunt feudum: & ideo, vt hoc declaretur, poſitus eſt iſte titulus, & quia addit aliquos caſus, & etiam titulus ſequens vltra caſus poſitos, ſup. quibus modis feudum amittatur, ideo non eſt ſuperfluus iſte titulus, licet repetat aliquos iam poſitos.

OBERTVS DE ORTO ANſelmo filio ſuo S.

Cogis me.

Allegatur textus iſte, quòd pater ſcribens filio, ſe excuſat & dicit, quòd cauſæ, quibus feudum amittitur nō poſſunt definiri ſub certa regula: & ſubiungit, qualiter vaſallus ergą dominum ſuum ſe debeat habere, & poſt hoc definitur beneficium dupliciter. Ex hoc textu colligas has concluſiones, quarum prima eſt, non poteſt dari regula de cauſis, quibus feudum amittitur: & ideo iſta committuntur iudicibus à iure, ſicut in ſimili dicitur in l. iij. in ver. tu magis ſcire potes. ff. de teſti. Secunda eſt, quòd delicta poſſunt intitulari verbis ſolennibus, vt patet hîc, dum cauſam ingratitudinis appellat egregiam, & facit illud Virgilianum:

Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis.

& quod habetur Iacobi 1. Diues glorietur in ſua humilitate. & eſt quædam ironica locutio. Tertia eſt con-

concluſio, non poteſt tradi certa regula, neque definiri, qualiter vaſallus ſe habere debeat erga dominū ſuum, cùm hoc potius conſiſtat ex varijs Curiarum conſuetudinibus, et ideo hoc relinquitur arbitrio iudicis. Quarta eſt concluſio, quòd feudum non amittitur ex qualibet cauſa ingratitudinis, ſed ex magna ingratitudine, de quo in titu. ſeq. §. illud. Quinta, quòd bona conſuetudo dicitur naturalis, quia prouenit ex inſtinctu naturæ rationalis, quæ ineſt homini, inf. tit. proximo. §. ſed & qui delator. Sexta eſt cōcluſio, quòd ad hoc, vt iſtud beneficium ſcilicet feudum ſit perfectū, requiruntur ſex, videlicet, quòd dominus det ſponte, non coacte: ſecundum, quod dominium directum remaneat apud ipſum dantem dominum: tertium, quòd conſiſtat in rebus immobilibus, vel quæ immobilium nomine continentur: quartum, quòd dominium vtile transferatur in vaſallum: quintum, quòd tranſeat in perpetuum in maſculos deſcendentes hæredes: ſextum, vt per vaſallum fiat fidelitas, & fideliter ſeruiatur: ſeptima eſt concluſio, quòd iſtud beneficium in ſpecie, quod eſt feudum, poteſt dari determinatè ad certū ſeruitium præter naturam feudi, & indeterminatè, nō ſpecificato aliquo ſeruitio, videlicet ſecundum communem naturam feudi. & vide quod habetur in c. fin. de Capitaneo, qui Curiam vendidit. Quærit glo. & non ſoluit, quid ſi vaſallus confiteatur in iudicio, vel extra, coram teſtibus ſuum feudum eſſe conditionatum, an ſibi præiudicet? & reſpondet di-

M 5 ſtinguen-

ſtinguenda aliquos caſus. Primus eſt, ſi confitetur in iudicio, ſibi præiudicat. l. j. C. de confeßis. Secundus caſus, ſi confeßio fuit facta extra iudicium præſente domino cum cauſa, & ſibi præiudicat. l. cùm de indebito. in fin. ff. de probatio. Tertius caſus eſt, quòd ſi eſt facta ſine cauſa, & etiam ſi ſit facta abſente domino nō præiudicat. l. certum. §. ſi quis abſentem. ff. de confeßis. & vide ibi dicta per Barto. Et ſi datum eſt feudum cum pacto, vt nullum ſeruitium inde fiat, cenſebitur tamen iure feudi ſecundum Docto. ad omnia præterquàm ad ſeruitij præſtationē: nam eiſdem cauſis & culpis amittetur, ſicut in alijs feudis, præterquàm ſi non ſeruierit, quia non tenetur ex pacto. Et ſi dicatur ſic, Concedo tibi talem rem in feudum ad vtendum & fruendum, extinguitur morte. Bald. in præludijs feudo. & Aluaro. hîc. Et nota quòd Bald. hîc allegat glo. in l. Lucius. ff. de adminiſtra. tuto. quòd ille qui facit Procuratorem, videtur multùm de eo confidere.

QVAE FVIT PRIMA CAVSA beneficij amittendi.

TITVLVS XXIIII.

In hoc titulo ponuntur aliquæ cauſæ egregiæ ingratitudinis.

Prima autem cauſa.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus à ſucceßore domini, vel ſucceßor vaſalli ab ipſo domino non petijt inue-

inueſtituram intra annum & diem, amittit feudum. Et nota ſecundum Docto. quòd in feudo nouo ad petendum inueſtituram nouam realem non eſt ſtatutum certum tempus. Et ratio huius textus eſt, quia petere inueſtituram, eſt quidam quaſi cenſus deuotionis & recognitionis & reuerentiæ, quæ debet præſtari domino: & ſi non fit, res incidit in commiſſum. Et adde quod habetur in c. fina. per quos fiet inueſtitu. in c. fina. de prohibi. aliena. feu. per Lotha. Limita tamen hoc procedere in maiore. xiiij. annis, de quo per gloſ. & Docto. in c. ſi minori. inf. ſi de feud. fuerit controuerſia. Limita etiam, niſi ſubeſſet iuſta cauſa, de quo in c. j. ſup. quo tempore miles. Iſta tamen conſuetudo limitata ad tempus anni & diei, non ligat Mediolanenſes, vt hîc & in c. j. in princip. inf. de capitu. Corra. Limita tamen iſtum textum, vt non procedat in milite, quia miles vaſallus habet annum & menſem. c. j. ſup. quo tempore miles. Et nota ſecundum veriorem opinionem, quòd ſufficit petere inueſtituram, etiamſi non pollicetur fidelitatem, de quo in c. fin. ſup. per quos fiet inueſti. Et ſi vaſallus non inuenit dominum, & labitur tempus, nõ amittit feudũ: debet tamen proteſtari corã teſtibus, quòd per ſe non ſtat. l. ij. C. de his qui per metum iudi. non appella. Et ſi vaſallus non reperiat dominum in loco ſuæ habitationis ſolitæ, debet ire ad illum, ſi non eſt nimium in remotis, & iudex arbitrabitur, an de facili potuerit ipſum adire, ſecundum Docto.

Et

Et dato, quòd vaſallus iurauerit pro ſe & ſucceſſoribus, tamen inueſtitura petenda eſt, vt hîc ſecundum Dd. §. præterea. de probibi. alie. feu. per Federic. quia ſufficit, quòd ſemel iurauit. c. veritatis. de iureiuran. & ibi habetur, quòd vaſallus nõ poteſt iurare pro ſe & ſucceſſoribus ſuis. Et nota ſecundum Dd. quòd vaſallus elapſo tempore non poteſt purgare moram, quia ita ſtatutum eſt, nec debemus eſſe clementiores lege, de quo per Bal. ſup. quo tempore miles. Nota etiam ſecundum Doctto. quòd ſi vaſallus, qui debebat petere inueſtituram, deceſſit intra tempus, quòd filius etiam debet habere integrum annum & diem, de quo vide in c. j. ſup. quo tempore miles. per Alua. & ſi dominus intra dictum tempus noluit inueſtire vaſallum petentẽ, priuabitur proprietate, de quo per gloſ. ſup. per quos fiet inueſti. in fin. Nota etiam, quòd vt habeat locum iſte textus, requiritur, quòd vaſallus poſſideat: ſecùs ſi alter tertius poſſideret, non eſt priuatus iure ſuo, ſi non petijt inueſtituram, & iuramentum non præſtitit ſecundum Guil. de Cuni. in l. ſolennibus. C. de rei vendica. quem ſequuntur alij Docto. per multa, et maximè, quia requiritur, quòd ſit in dolo vaſallus, ſi debet perdere feudum. c. fin. inf. de probibi. alie. feu. per Lotha. Nota etiam, quòd filio vaſalli non currit tempus iſtud, antequam ſe immiſceat hæreditati, de quo per Bal. inf. de capit. Corrad. in prin. qui ergo dicit filium priuandum per lapſum temporis, debet probare immixtionẽ, vel quòd diſtulit malitioſe.

Item

Item debet probare ſcientiam feudi, quia in facto alieno præſumitur ignorantia:& etiã debet probari ſcientia mortis patris. Et cùm iſtud tempus ſit in fauorem vaſalli, non poteſt dominus compellere vaſallum ad renouandam inueſtituram, & fidelitatem præſtandam intra annum & diem,& intra iſtud tempus cogitur vaſallus præſtare ſeruitium,& ſi intra iſtud tempus offenderet dominum, amitteret feudum ſecundum Dd.

§.Eſt & alia.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus verbaliter inueſtitus de feudo, & interpellatus legitimè, vt præſtet fidelitatẽ domino ſuo, offerenti realem inueſtituram, ſi contumax extiterit, tanquam ingratus, feudum amittit, dummodò illud feudum ſit eius naturæ, vt fidelitas præſtari debeat. Iſte textus probat quatuor, quòd Pares ſint iudices competentes inter dominum & vaſallum, etiamſi quæſtio ſit de feudo nouo, & ſuper inueſtitura reali: ſecundò, quòd vaſallus poteſt priuari iure ſuo propter contumaciam, etiam ante traditam ſibi poſſeſſionem feudi: tertiò, quòd feudum regulariter datur propter fidelitatem, & ideo ſi denegatur fidelitas, denegatur ſibi feudum: quartò, quòd feudum poteſt ſine fidelitate per pactum conſtitui, de quo in c. fina. ſup. per quos fiat inueſti. Et nota quicquid dicat glo. quòd ſi dominus fecit inueſtituram realem abſque fidelitate, quòd non habet neceſſe ſpectare annum & diem ad fidelitatẽ ſibi præſtandam, imo erit arbitrarium ſecundum formam

huius

huius.§.ſecundum Bald. Et quia dicitur in textu, quòd feudum poteſt conſtitui ſine fidelitate, quod videtur nõ poſſe procedere, cùm feudũ dicatur à fidelitate: & ideo dicas ſecundum Docto. quòd quædam ſunt eſſentialia feudi, vt ſeruitium, & ſine illo feudum eſſe non poteſt, nec remitti per pactum: alia ſunt naturalia feudi, vt iuramenti præſtatio, & licet ipſa fidelitas ſit eſſentialis in feudo, iuramentum tamen eſt naturale, & non eſſentiale, ideo remitti poteſt: ſicut dicimus in venditione, in qua precium eſt eſſentiale. §. precium. Inſtitu. de emptio. & vendi. & ſine ea eſſe non poteſt, ſed quædam ſunt naturalia, vt euictio, & illa remitti poteſt. l. ex empto. in princ. §. fina. ff. de actio. empti. Et ſi dominus fecit vaſallo inueſtituram verbalem, poteſt cõpelli ad faciendũ realem, nec liberatur præſtando intereſſe ſecundum Doctores.

§. Item qui dominum ſuum.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus amittit feudum, ſi dominum in prælio non adiuuit cùm potuit, ſed eum periclitantem dimiſit. Et ſic nota, quòd vaſallus deſerens dominum in acie pugnantem, feudo priuatur, & intellige per ſententiam: nota tamen, quòd quando non erat poſſibile, quòd vaſallus dominum iuuaret, nõ punitur ſecundum Docto. & idem ſi deſeruit, quia timebat crudelitatem tyranni.

§. Præterea.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus ſciens pericu-

lum

lum imminere domino, ſiue circa ipſius perſonam, ſiue circa grauem iacturam bonorum ſuorum, debet quamprimùm poteſt, ipſum certiorare, aliàs priuatur feudo. Et ſic vult textus iſte, quòd ex ſola negligentia poteſt vaſallus priuari feudo: & quòd vaſallus teneatur manifeſtare domino omnia, quæ ſciat eſſe machinata aduerſus ipſum, vel etiam bona Et adde quod habetur in c.j. de noua forma fid. Et intellige textum iſtum ſecundum gloſ. & Docto. de iactura grandi vel leui, & hoc erit arbitrarium. Et nota ex glo. quòd ſi vaſallus potuit denuntiare, & nõ poteſt reſiſtere, tunc punitur, vt hîc: ſecùs ſi non potuit denuntiare, neque reſiſtere.

§. Rurſus.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus concubuerit cum filia aut nuru domini, vel etiam cum ſorore nondum nupta, adhuc in domo ſtante, priuatur feudo, ſcilicet per ſententiam. Et textus iſte probat, quòd iuuenculæ nondum maritatæ debent ſtare in capillo, & ita ſeruatur in multis locis. Et nota vnum notabile, quòd licet vaſallus nõ priuetur feudo interficiens fratrem domini. c.j. an ille qui interfe. fra. domini. & tamẽ ex concubitu ſororis perdit. & ratio eſt, quia plus videtur peccare ꝓpter ignominiã, pro quo tu allega textũ ſingularem in l. codicillis. §. mater. ff. de leg. ij. vbi maior iniuria fit marito, adulterare vxorẽ, quàm interficere filiũ proprium. Et nota ſecundũ Dd. quòd iſte tex. ꝓcedit, ſi ſoror

eſſet

eſſet nupta, & ſtaret in domo fratris cum marito, de quo per glo.ſup. quibus modis feudum amittatur.§. ij. & ſequuntur Dd. quia maior iniuria fit in domo domini, quàm alibi, & ſecundum Dd. textus iſte procedit, etiamſi mulieres conſenſerint, facit quod habetur in l. j. C. de raptu virgi.

§.Porrò.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus committens aliquam ex cauſis hîc expreſſis, amittit feudum. Et nota hîc, quia circa cauſas ingratitudinis æquiparantur vaſallus, filius, & donatarius.§. cauſas. in authenti. quod cùm de appel. cognoſci. l. fina. C. de reuocandis donatio. & dum iſte textus vult, quòd ſi vaſallus ſit inſidiatus morti domini, priuatur feudo, hoc limitatur, niſi faceret animo ſe defendẽdi. l. vt vim. ff. de iuſti. et iure. ſecundum gloſ. & Dd. Et nota, quòd iſte textus loquitur de conatu cum actu aliquo, delicto nondum completo. Nota tamen ſingulariter, quòd iſte textus non habet locũ, ſi vaſallus leuaret manũ cauſa percutiendi dominum, & non percuteret, & ſic textus in l. item apud Labeonem. §. ſi quis. ff. de iniurijs, non habet locũ, vt vaſallus priuetur ſecundum Aluaro. & ſecundum Dd. licet vaſallus iurauerit occidere dominũ, non priuabitur feudo, ſi ad alium actum non peruenit. Et nota gloſ. hîc, quæ quærit, quid ſi dominus non vindicauit, & mortuus eſt, an hæres poterit? & concluditur per Dd. quòd ſic, ſi celeritate mortis impeditus non potuit, vel quia ignorabat,

bat, vt quia concubuit cum vxore, quia nocte vagatur adulter, & ea quæ de nocte fiunt probabiliter ignorantur. & Bald. hic allegat glo. in l. Item ſi cum exceptione. §. hæc autem. ff. quod metus cauſa. & ideo Oldra. per illam gl. excuſauit quendam accuſatum, qui dicebatur maleficium commiſiſſe de nocte, & teſtes depoſuerunt ſe vidiſſe per lunam: quia illa nocte non fuerat lumen lunæ, & ideo non potuerunt decernere, & fuerunt reprobati naturali ratione.

§. Item qui dominum.

Allegatur textus iſte, quòd quando vaſallus requiſitus ad inſtantiam domini, vt compareat in iudicio occaſione feudi, & ipſe vaſallus expreſſe & apertè dixit, quòd non vult venire, vel quod non vult permittere iuſtitiam fieri domino de dicto feudo, ſtatim perdit feudum, requiritur tamen ſententia. Et ſic vaſallus recuſans facere iuſtitiam domino de re feudali, illam perdit: ſecùs ſi denegat iuſtitiam facere ſuper alia re, quia tūc ſibi non præiudicat in feudo ſecundum glo. & Dd. Notæ etiam ſecundum gloſ. & Dd. quod ſi dominus denegat facere iuſtitiā vaſallo ſuper feudo, priuatur proprietate, quæ applicatur vaſallo, de quo in c. j. qualiter dominus proprietate priuetur. Et nota, quòd iſte textus poteſt etiam intelligi, quando dominus eſſet offenſus ab aliquo domeſtico vaſalli, & vaſallus fuit requiſitus à domino, vt deduceret offendentem ad ſatisfaciendum ipſi domino. ſi non facit, priuatur feudo.

§.Sed non eſt alia.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus recuſat ſpontè domino exhibere ſeruitium, pro quo feudum fuit ſibi datum, amittit ipſum feudũ: ſecùs ſi per impotentiam illud exhibere non valet. Duo probat textus iſte, quòd qui non ſeruat fidem conuentionis, priuari debet eius emolumento. facit quod habetur in ſimili, in titu. C. de dona. quæ ſub mo. Secundò, quòd impotentia excuſat c. fina. ſup. de feu. ſine culpa non amitten. facit quod habetur in c. breui. de iureiuran. Et nota ſecundum gloſ. & Doctores: quòd etiam textus iſte procedit, licet in inueſtitura non ſit dictum, quòd vaſallus amittere debeat feudum, ſi non præſtiterit ſeruitium, quia hoc tacitè ſubintelligitur. Et ſi velles ſcire, quam actionem intentabit dominus contra vaſallum ad repetendum feudum, quia non facit ſeruitium conuentum, & dicas ſecundum Doctores, quòd habet directam rei vendicationẽ, cùm ſemper apud ipſum remanſit directum dominium feudi: poteſt etiam agere cõdictione ob cauſam tanquam cauſa non ſecuta, vel etiam condictione ex moribus feudorum. Et ſi ex feudo debet ſolui cenſus, & vaſallus non ſoluit, non priuabitur feudo, vt tenet Cardinalis in c. potuit. de locato. & Aluaro. hîc. & reſpondent ad iſtum textum, quòd loquitur, quando tantùm ex illa cauſa datur, ſecùs ſi fidelitas promittatur, & vltra hoc penſio: quia tunc non dicitur datum propter penſionem, ſed quaſi cauſa impulſiua. Et ſi quæratur,

tur, an ſit neceſſe, quod vaſallus interpelletur ad præſtationem ſeruitij ad hoc, vt ipſe poſſit priuari feudo, & concludc quòd ſic, vt inf. ſi de feudo fuerit controuerſia. c. licet. quod tamen limita duobus modis: Primo, niſi vaſallus ſciret dominum periclitantem, quia tunc debet præbere ſeruitium, non expectata interpellatione, glo. inf. hic finitur lex. Secundo limitatur, niſi ſeruitium debeatur certo die, quia tunc dies interpellat pro homine. l. magnam. C. de contrahen. & committen. ſtipu. limita etiam ſecundum Docto. id quod dicitur in textu, niſi vaſallus fuiſſet in culpa vt non poſſet ſeruire.

§. Item ſi delator.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus deferens dominum, amittit feudum, ſi ex delatione graue damnum ſuſtineat: idem ſi ſciens dominum incluſum non liberauit cùm potuit. Probat ergo textus iſte, quòd vaſallus accuſans vel deferens dominum, priuatur feudo, ſi non probauit, quia textus intelligitur de calumniante. Et dum dicitur hic in textu de delatore, accipitur pro illo, qui defert bona in fiſcum. Secundò, quòd ſi vaſallus ſcit dominum detentum, debet vltrò ſe offerre ad liberandum dominum, ſi poteſt, aliàs priuatur feudo: &, an intelligatur ſiue iuſtè ſiue iniuſte detentus ſit, vide ſup. quibus modis feudum amittatur. §. j. & inf. hic finitur lex in princ. per Aluarot. Et nota ſecundum gloſ. hic & Docto. quòd iſta verba (Indignationem domini non euitabit) im-

portant priuatio[n]em feudi. & idem dicit Bald. de illis verbis, quæ apponuntur in literis apoſtolicis, Indignationem Petri & Pauli ſe nouerit incurſurũ: quia talia verba comminantur priuationem beneficiorum eccleſiaſticorum, quod eſt notandum ſecundum eum. Barto. tamen in tractatu, Qui ſint rebelles, in glo. ſuper verbo, Indignationẽ, dicit quòd dicta verba important, quòd Imperator de cætero non exhibebit ſe gratioſum in illum: ſed tu potes dicere, quòd aliud eſt dicere, Indignationem Dei & Apoſtolorũ, &, Indignationẽ noſtram. Et nota ſecundum gl. & Dd. quòd iſte textus procedit, etiam ſi vaſallus fideiuſſit pro eo, qui accuſabat, & etiã ſi perhibuit teſtimonium: quod tamẽ intellige, quando ſponte fecit: ſecus ſi fuiſſet coactus per iudicem, quia tunc excuſaretur, de quo per gloſ. Nota etiam gloſ. quæ vult, quòd textus iſte non procedat, ſi vaſallus accuſat dominum ex delicto commiſſo in Principem, vel Rempublicam: non procedit etiam, ſi accuſat proſequendo ſuam vel ſuorum iniuriam. Nota etiam gloſ. quòd ſi vaſallus fuit aduocatus contra dominum, priuatur feudo, ſi fuit ſpontaneus: ſecus ſi coactus, quia poteſt aduocatus compelli l. prouidendum. C. de poſtulan. Nota etiam gloſ. quæ quærit, quid ſi accuſauit dominum, & poſtea pœnitet ipſum: & conclude, an habeat iuſtam cauſam deſerendi, & tunc poteſt pœnitere, alias non. Nota etiã glo. quæ quærit, quid ſi vaſallus in cauſa domini ſui iudicauit contra ipſum, & hæc talis ſententia ex eiſdem

actis

acti tanquam malè lata reſciſſa eſt in cauſa appellationis, an ex hoc ſit feudo priuandus? & intellige hanc quæſtionem in cauſa criminali, & conſidera hos caſus. Primus eſt, quando detegitur, quòd vaſallus habuit malum animum, & eſt graue diſpendiũ, & tunc punitur. Secundus caſus eſt, quando per imperitiam iudicauit, & non conſuluit peritiores. & idem, vt puniatur. Tertius caſus eſt, quando conſuluit peritiores, & tunc non punitur, quia non eſt quod ſibi imputetur. Et ſi velimus intelligere hoc in cauſa ciuili, oportet intelligere, quòd hoc contingat propter delictum ipſius vaſalli malè iudicantis. Inſtitu. de obli. quæ ex quaſi del. naſc. in princ. Nota etiam glo. hic, quæ quærit, quid ſi vaſallus per lenocinium conatus fuit tradere vxorẽ domini ſui alteri adulterandam, an priuetur feudo? & tene quòd ſic: intellige tamen, quando vltra colloquium propter lenocinium deuentum eſt ad aliquem actum inhoneſtũ, quia turpiter luſit, vel oſculatus eſt: eſt ergo neceſſe, vt fiat aliquid in perſonam mulieris, vt priuetur feudo: & iſto modo intellige textum in c. j. de forma fideli. dum dicit de honeſto. Nota tamen ſecundum Dd. quòd iſte textus nõ procedit, quando vaſallus accuſans eſſet minor, quia non debet priuari feudo.

§. Prædictis modis.

Allegatur textus iſte, quòd ratio tam naturalis quàm ciuilis ſuadet, vt ex cauſis ſuprà enumeratis, feudum amittatur, ad ſimilitudinem cauſarum, ex quibus filij

exhæredantur, matrimonia diſſoluuntur, & donationes reuocantur. et ſi vltra dictas cauſas enumeratas reperiatur alia ſimilis, aut maior, debebit eodem modo feudum amitti. Et ſic nota, quòd ex eiſdem cauſis, ex quibus fit exhæredatio, & donationis reuocatio, & matrimonij diſſolutio, fit etiã feudi priuatio. Et ratio eſt, quia eadem æquitas, quæ cadit in illis, inſurgit etiam in hac feudi priuatione, meritò vniformiter iudicari debent. §. fin. de pace iuramen. fir. Probat etiam textus iſte, quòd omnes caſus nõ poſſunt comprehendi legibus, & ideo proceditur de ſimilibus ad ſimilia. l. nõ poſſunt. ff. de legibus. Et nota quòd Aluaro. hîc adducit Guil. in auth. non licet. C. de libe. præte. per iſtum textum, quòd ſi inueniretur aliqua cauſa, quæ eſſet maior, quàm illæ, quæ ſunt enumeratæ in. §. cauſas. in authent. vt cùm de appella. cognoſ. quòd poſſet fieri exhæredatio. Sed eſt aduertendum, quod allegata per ipſum non loquuntur in materia correctoria. & ſi bene recordor, Præceptor meus tenet contrarium in d. authen. non licet.

§. Illud.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus non amittit feudum ex omni cauſa, ex qua eius opinio grauatur, quia interdum deierat partem feudi alienando, & tamen retinet beneficium. Et ſic nota, quòd non omnis cauſa ingratitudinis eſt ſufficiẽs ad feudi priuationem. Et licet periurus non habeatur inter infames, vt notatur in l. Lucius. ff. de his qui notan. inf. tamen re ipſa & opi-

& opinione hominum non effugit infamiæ notam, vt in iſto textu. Nota etiam iſtum textum, quòd vaſallus alienans feudum ſine licentia domini, facit contra fidelitatē, & punitur in eo, in quo deliquit: quia ſi alienat totum feudum, debet totum perdere: ſi verò partem, illam ſolam partem. Et intellige iſtum textum de periurio commiſſo in contractu: ſecùs autem ſi ex delicto, de quo per gloſ. ſup. quibus modis feudum amittatur. §. ſimiliter.

§. Denique.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus delinquendo in dominū, amittit feudum: quo caſu ad ipſum dominū, & non ad agnatos reuertitur: ſed vbi vaſallus delinquit in aliū, tunc ex ipſo delicto bene amittit feudum, ſed iſto caſu tranſit ad agnatos: vbi autem vaſallus contemnit dominum, feudū alienando, tunc ſimiliter amittit feudum, ſed ad dominum reuertitur. Dubitatur per Dd. an vaſallus eccleſiaſticus poſſit vendere feudū eccleſiaſticum? & breuiter dantur duo cōſilia, quando vaſallus eccleſiæ vult vendere. Primum eſt, quòd vendat cū conſenſu Prælati, & tutius eſt etiā capituli, et vendat eadem lege, qua ipſe habet, & æquali perſonæ: hoc acto, quod in cōtractu & poſt contractū, quòd emptor recognoſcat feudū ab eccleſia, et quòd debeat ſibi ſeruire pro eo, et venditor refutet, tenebitur de euictione, et eccleſia nō erit læſa. Secundū conſiliū, et hoc in vſu magis frequentatur, quòd vaſallus, qui vult vendere, nō vendat,

ſed refutet feudū Prælato, vt ipſe inueſtiat eum, qui empturus eſt Prælato conſentiente: & tunc poſt refutationem vaſalli Prælatus ipſe inueſtiat eum, qui empturus eſt, & ipſe recognoſcere debet feudum ab eccleſia, et fidelitatem facere. Et ſi timet inueſtitus caſum euictionis, ſtipulari poteſt à vaſallo, qui vendidit, de indemnitate, prout erunt cōcordes. Et iſta conſilia poſſunt etiā trahi ad vaſallos laicorum & ſæcularium perſonarum. Et an ſolus Prælatus poſsit remittere feloniam ſibi commiſſam? & conclude, quod ſi collatio ſpectat ad ipſum ſolum, & felonia ipſum ſolum reſpicit, poteſt remittere: ſecùs ſi collatio feudi eſſet communis, de quo per Bal, ſup. qui feudū dare poſſ. in prin. Et quia ſolet dubitari, quando vaſallus cadit à feudo, vel propter delictum, vel propter alienationem, ad quem debeat deuolui feudū, vtrum ad dominum, an ad filios vel ad agnatos? Et in hoc glo. & Dd. variant, ideo Aluaro. hîc ponit quaſdam concluſiones in hac materia, & ego illas ſub breuiꝗ compendio ſcribā, quia materia eſt quotidiana. Prima eſt, ſi vaſallus committat delictum in perſonam domini, & feudū ſit nouū, reuertitur ad dominū excluſis omnibus ſecundū omnes Dd. vt probatur in prima parte huius. §. in prin. Secunda eſt, ſi vaſallus committit delictum in perſonam domini, cadit à feudo, & feudum ſit paternum, dubitatur ad quem reuertatur. Et in hac concluſione ſunt tres opiniones. Prima eſt, quòd reuertatur ad dominū, excluſis omnibus deſcendentibus & agnatu va-

tis vaſſalli. Alia eſt opinio, quod excludantur ſolùm deſcendentes, ſed agnati admittantur excluſo domino. Tertia eſt opinio, in qua eligitur media via, quòd reuertitur ad dominum, donec extant deſcendentes aliqui maſculi ex ipſo delinquente. Tertia eſt concluſio, filius priuatur feudo etiam antiquo propter delictũ patris commiſſum in perſonam domini. Barto. in l. eum qui. ff. de interd. & relega. Quarta eſt concluſio, nepos ſuccedit in feudo auito, non obſtante patris delicto commiſſo, veniente adhuc dicto auo: ſecùs ſi mortuo auo dictum delictum fuiſſet commiſſum. Barto. in d. l. eum qui. Quod tamen limita non procedere, quando ipſe nepos nondum fuiſſet conceptus tempore dicti aui, quia tunc nepos non veniret ad ſucceſſionem feudi. Quinta eſt concluſio, ſi vaſallus ſtudioſe domino aſſentiente cõmittat delictum in perſonam domini, vt priuet agnatos feudo, nõ debet ad dominum reuerti, de quo per Bal. ſup. quib. mod. feu. amitta. §. aut ſi libellario. Sexta eſt concluſio, vbi culpa domini vaſallus incidit in caſum amiſſionis feudi, non debet feudum ad dominum reuerti, ſed ad agnatos. Septima eſt concluſio, ſi in inueſtitura dicatur, Concedo de vno in alium: vel, Concedo omnibus principaliter: vel, Concedo attentis meritis ſingulorum, tunc non priuantur deſcendentes, vel agnati, etiam propter delictum commiſſum in perſonam domini ſecundum Bald. Octaua eſt concluſio, ſi datum eſt feudum patri & filio nominatim, vt habeat partem

filius in feudo etiã viuo patre, ſi pater delinquat in dominum, nõ ſit praiudicium filio in parte ſua. Bar. in d. l. eum qui. ff. de interdict. & relega. Nona eſt concluſio, in omnibus cauſis, vbi non ſunt culpæ, vt puta ſi deceſſit vaſallus ſine liberis, vel feudum vel hæreditatem repudiet filius, aperitur feudum agnatis. Bald. in c. j. ſi vaſallus feudo priuetur. Decima eſt concluſio, ſi vaſallus grauiter et enormiter delinquit in alium, quàm in dominum, & priuetur feudo; ſi eſt nouum, reuertitur ad dominum, vt in iſto textu, in ſecunda parte, & communiter tenent Dd. Vndecima eſt concluſio, ſi vaſallus grauiter & enormiter delinquens in alium, quàm dominum, priuatur feudo: quòd ſi eſt paternum, tranſit ad agnatos proximiores excluſo domino ac omnibus deſcendentibus maſculis. hoc probatur in hoc textu, & magis communiter tenetur per Docto. Duodecima eſt concluſio, vbi agnati vocantur propter delictum vaſalli, non habent neceſſe expectare mortẽ delinquentis, ſed incontinenti veniunt tanquã eo mortuo. Bal. in c. j. inf. ſi vaſal. feu. priue. Tertiadecima eſt cõcluſio, ſi communitas tenet feudũ à domino pars cõmunitatis delinquat in dominũ, non tamen priuabitur cõmunitas feudo. Bal. in c. j. ſup. quibus mo. feu amit. in prin. Quartadecima eſt concluſio, ſi vaſallus ſeipſum interficit, non reuertitur feudum ex tali delicto ad dominum, cùm nõ ſuperſit perſona delinquens, quæ pati poſſit ſententiam Bald. in titu. an ille qui interfc. fratrem domini. Quintade-

tadecima eſt cõcluſio, in omnibus culpis ex delicto prouenientibus, propter quas perdit pater feudum, ſiue ad dominum redeat, ſiue non, ſemper filius priuatur. Bal. in.§. hoc quoque. de ſucceß. feu. Decimaſexta eſt concluſio, vaſallus per alienationem feudi factam ſine conſenſu domini, cadit à iure ſuo: & ſi feudum eſt nouum, reuertitur ad dominum, ſecundum cõmuniter Dd. Decimaſeptima eſt concluſio, vbi vaſallus alienat feudum paternum ſine conſenſu domini, & non habet agnatos, vel ſi habet, non ſunt de linea primi acquirentis, dictum feudum reuertitur ad dominum: ſecùs ſi haberet agnatos. Et licet iſta concluſio ſit dubitabilis, tamen tene eam. verum eſt quod Bald. dat vnum conſilium, vt tollatur omnis dubitatio, quòd filij & agnati alienantis pro eorum intereſſe opponant ſe, ne poſſeſſio tradatur, & ſuper hoc requirant dominum feudi, vt prohibeat emptorem, ne ingrediatur poſſeſſionem, & ſic impedita traditione poſſeſſionis, non perderetur feudum. Et ſi dominus non faceret, eſſet in dolo, & de dolo ſuo non deberet lucrari. Decimaoctaua eſt concluſio, ſi vaſallus alienat feudum antiquum cum conſenſu domini, non præiudicat filio. gloſ. & Bald. in.§. hoc quoque. de ſucceß. feud. Decimanona eſt concluſio, ſi vaſallus alienat feudum, domino aperitur, agnatis excluſis, ſecundum Doctores. Vigeſima eſt concluſio, ſi vaſallus amittit feudum propter inueſtituram non petitam infra tempus debitum,

tum, ſi feudum eſt nouum, reuertitur ad dominum etiam filijs excluſis: ſi antiquũ, tunc ad filios, ſi extent, aliàs ad agnatos: quibus non extantibus, reuertitur ad dominum, de quo per Dd. in c. j. ſup. quo tempore miles. Vigeſimaprima eſt concluſio, vbi vaſallus alienat feudum nouum illicitè, reuertitur ad dominum, etiam excluſis filijs. §. ſi fuerint. ſup. quibus modis feu. amit. Vigeſimaſecunda concluſio eſt, alienatio feudi paterni nõ valet etiã domini voluntate, niſi cõſentientibus agnatis, ad quos feudum eſt reuerſurum, inf. de aliena. feu. pat. in prin. vbi per Bal. Vigeſimatertia eſt concluſio, ſi vaſallus priuatur feudo paterno propter imperfectionẽ, vt quia mutus, vel ſurdus, tunc feudum non reuertitur ad dominũ, ſed ad filios & agnatos: ſecùs ſi eſt nouum, quia reuertitur ad dominum excluſis omnibus, de quo per Dd. in tit. an mutus vel aliter imperfectus. Vigeſimaquarta cõcluſio, licet ꝓhibeatur feudi alienatio ſine conſenſu domini, tamẽ inter agnatos, ad quos eſt reuerſurum, tenet. inf. de aliena. feu. pater. in princ. Vigeſimaquinta concluſio, vbi vaſallus alienat feudum antiquum iure & cõſuetudine permittente, tunc filius præfertur omnibus agnatis, & domino in reuocando: ſecùs ſi alienatio eſſet facta iure & conſuetudine refragante, quia tunc agnati præferuntur excluſo filio, de quo in. §. hoc quoque. de ſucceſſ. feu. vbi per Bald. Vigeſimaſexta concluſio eſt, alienatio feudi antiqui facta per vaſallum ſine licentia domini, tunc demùm nocet filio

vaſalli, ſi eſt habiturus aliquid de hæreditate patris: aliàs ſecùs, quia tunc reuocaret feudum alienatum. Bal. in d. §. hoc quoque. in titu. inf. an agnatus. Vigeſimaſeptima concluſio, alienatio feudi antiqui facta legitimè cum licentia domini, ſine conſenſu agnatorum, reuocatur per agnatos demùm mortuo alienante, & nō in vita; ſed per filios reuocatur incontinenti refuſo precio: ſi verò alienatio non ſit facta legitimè, tunc reuocatur etiam in vita. inf. de capitu. Corra. in fin. Vigeſimaoctaua concluſio, tunc demùm vaſallus per alienationem feudi amittit illud, ſi ſciebat eſſe feudum, quia ſecùs ſi ignoraret, vt probatur in c. j. inf. de controuerſia inter dominum & empto. feu. Vigeſimanona concluſio, ſi agnati proximiores ex quo ſciuerunt alienationē factam per vaſallum agnato remotiori tacuerunt per annū, perinde eſt, ac ſi conſenſiſſent alienationi. c. ſi Titius. ſi de feu. fue. controuer. vbi glo. & Bal. Trigeſima concluſio, agnatus conſentiens vaſallo alienanti nō præiudicat filijs. glo. & Bal. in. §. hoc quoque. de ſucceſſ. feu. Trigeſimaprima concluſio, etiamſi duo fratres de nouo beneficio inueſtiti ſint cum pacto, vt inuicem ſuccedant, ſi tamen vnus illorum illicitè alienauit, nihilominus ad dominum reuertitur altero excluſo. ſup. quibus mo. feu. amit. §. Item ſi fuerint. Trigeſimaſecunda concluſio, per alienationem factam ſine domini voluntate fit præiudiciū ſolùm in parte alienata. inf. de vaſal. qui contra conſtit. Loth. c. j. Trigeſimatertia concluſio,

vaſallus etiam neceſsitate vrgente non poteſt alienare feudum ſine conſenſu domini, ſup. qualiter feu. alienat. pote. poſt principium. Trigeſimaquarta concluſio, licet alienatio voluntaria non admittatur ſine conſenſu domini, tamen ſecùs eſt in neceſſaria, quæ fit per ſententiam latam contra vaſallum conuentum, quæ præiudicabit etiam domino ignoranti, ſi velit venire ad aduocandum ex perſona vaſalli: & ille, in quem perueniet, tenebit quouſque veniet vaſallus, de quo in titu. ſi de feudo fuerit controuerſia. c. ſi vaſallus de feudo. Trigeſimaquinta concluſio, vbi bona vaſalli veniunt publicanda, non reuertitur feudum ad dominũ, ſed ad agnatos. Et de iſta quæſtione vide per Bar. & moder. l. ſi finita. §. ſi de vectigalibus. ff. de dam. infe. Trigeſimaſexta concluſio, vaſallus poteſt impunè vendere commoditatem feudi ad tempus ſecundum Docto. per notata in l. j. C. ſi pignus pigno. da. ſit. Trigeſimaſeptima concluſio, ſi vaſallus refutauerit feudum paternum domino, non fit præiudicium agnatis, niſi donec viuit refutans et ſui deſcendentes. §. hoc quoque. de ſucceſſ. feud. & ibi per Bald. Trigeſimaoctaua concluſio, licet redimat feudum iam alienatum, non iuuatur à pœna priuationis. Bald. in d. §. hoc quoque. Trigeſimanona concluſio, vbi vaſallus alienat feudum, & recuperat, nihilominus feudum reuertitur ad dominum, ſi eſt nouum, vel ad agnatos, ſi eſt antiquum, vt in d. §. hoc quoque. Quadrageſima concluſio, licet vaſallus non poſ-

ſit

ſit feudum alienare ſine conſenſu domini, poteſt tamen illud in feudum alteri ſibi æquali dare ſincerè, & ſine fraude, & eadem lege. c. ij. §. ſimiliter. de lege Corra. Quadrageſimaprima concluſio, etiam per pignorationem feudi cadit vaſallus à feudo, dummodò ſit ſecuta traditio, ſecundum Docto. in titu. de prohibi. aliena. feud. per Federic. Quadrageſimaſecunda concluſio, ſcientia domini ſine contradictione in alienatione feudi facta per vaſallum, operatur conſenſum, ſecundum Doctores. gloſ. ſup. de feudo dato in vicem legis commiſſoriæ, in fin. Quadrageſimatertia concluſio, ad hoc vt vaſallus per alienationem priuetur feudo, eſt neceſſe, quòd ſequatur traditio. §. callidis. de prohibi. alienat. feud. per Federic. Quadrageſimaquarta concluſio, in feudo, quod amiſit vaſallus per clericatum ſuperuenientem, prout diſponitur in c. clericus. ſi de feudo fuerit controuerſia, vocatur dominus, & non agnati, ſi feudum erat nouum, niſi eſſent filij: quia tunc filij vocarentur excluſo domino: ſecùs autem ſi feudum eſſet antiquum, quia tunc vocantur agnati excluſo domino, de quo in c. j. de milite vaſallo, qui arma bellica depoſuit, per Aluarot. Quadrageſimaquinta concluſio, vbi vaſallus citatus non aſſociauit dominũ pro ſuſcipienda corona imperij, vel aliter non ſatisfecit, priuatur feudo, quod feudum reuertitur ad dominum, ſiue ſit nouum, ſiue antiquum, ſiue extent agnati, ſiue non, ſecundum Docto. in. §. fina. de pace iura. fir. Quadrage-

geſima-

geſimaſexta cõcluſio, licet vaſallus poſsit feudum ſuum alteri infeudare ſine voluntate domini, iſta tamen infeudatio non præiudicabit agnatis, niſi eo viuente, de quo per Aluaro.ſup.per quos fiat inueſtitura.§.j. Quadrageſimaſeptima concluſio, alienatio feudi noui facta legitimè non reuocatur, neque per filios, neque per agnatos alienantis, de quo per Aluarot. in c.j. in princ. inf. de aliena. feudi paterni. Et nota quod Bald. hîc vult de conſuetudine feudorum, quòd ſi Marchio committat contra dominum ſuum, puta contra Regem, quòd Marchia reuertitur ad Regem liberè, excluſis filijs & agnatis. dicit etiam Bald. quòd ſi vaſallus facit capi fratrem, & in carcerem detrudi modo tyrannico, poteſt priuari feudo. Et probat ille textus, quòd ille, qui alienat non requiſito domino, deſpicit dominum, & ideo ratione contemptus perdit feudum: ſed an ipſo iure, an per ſententiam. dicit Bald. primò quòd ipſo iure, & poſtea ponderat textum in contrariũ, dum dicit cariturum, quod futuram pœnam ſignificat. Sed eſt aduertendum, quòd gloſ. ſingularis in l. prouidendum. C. de poſtulan. vult, quòd verbum, Careat, ſit latæ ſententiæ. Et nota hîc dictum notabile Bald. quòd ſi vaſallus vendat caſtrum, & apponat iſta verba, Saluo iure domini, & filiorum, & agnatorum, quòd iſto caſu non perdit feudum, licet procedat ad traditionem.

SI DE

SI DE FEVDO VASALLVS AB aliquo interpellatus fuerit, & dominus eum defendere noluerit.

TITVLVS XXV.

Hic tractatur, qualiter ſuccurratur vaſallo, quando feudum amittitur culpa domini, ex eo, quod inueſtiuit vaſallũ de re aliena, nec ipſum defendit.

Negotium tale eſt.

Allegatur textus iſte, quòd dominus recuſans defendere vaſallum conuentũ in iudicio de re feudali, tenetur ad aliud feudum eiuſdem æſtimationis, cuius fuerat feudum euictum tempore ſententiæ, vel ad dandum tot nummos in feudũ conuertendos: quod ſimiliter faciendum erit etiã domino comparente in iudicio ante ſententiam, dummodò vaſallus plenè probet intentionem ſuam: ſecùs autem ſi non probaret, quia tunc ſtaretur ſacramento domini. Et ex iſto textu collige iſtas concluſiones. Prima eſt, quòd vt vaſallus ſuccumbens in cauſa feudali ſibi mota poſſit agere de euictione contra dominum, eſt neceſſe, quòd vocet ipſum ad eum defendendum. Secunda eſt concluſio, quòd vaſallus agens de euictione, non agit ad duplum, ſed tantundem eiuſdem bonitatis & quantitatis, vel ad precium cõuertendum in tantundem. Et vide pulchrã gl. hîc pro declaratione materiæ, an & quãdo vaſallus poſſit agere de euictione. Et nota dum dicitur, quòd abſens, cõtra quem lata eſt ſententia, nõ poteſt agere de euictione. Limita hoc, niſi

O eſſet

eſſet abſens ex iuſta et probabili cauſa:item niſi ſententia fuiſſet iuſtiſſima attenta veritate, ſuper qua motus eſt iudex, & non fundauit ſe ſuper abſentia, quia tunc ipſe abſens poſſet agere de euictione ſecundum Bal. qui allegat gl. ſingularem in l. ij. C. de contrario iudicio tutela. Animus autē iudicis cognoſcitur ex verbis ſuis inſertis in ſententia. glo. in l. ſi Prætor in princ. ff. de iudi. Tertia eſt cōcluſio, proteſtatio domini non tollit proteſtationem vaſalli, quia dominus non habet ius proteſtandi. Quarta eſt cōcluſio, procedit libellus, Peto cambium feudi euicti, & eſt ſpeciale, cùm regula ſit in contrariū, quòd vna res pro alia non poteſt ſolui. l. ij. §. mutui. ff. ſi certū petatur. Quinta concluſio eſt, ſi aliquis ſimplex dominus dedit pecuniam in feudum vaſallo, & iſte credens eſſe feudū, iurauit fidelitatē tanquam vaſallus, nō dicitur, nec iuramentū tenet tanquam interpoſitū ſuper re impoſſibili, quia in pecunia nō poteſt feudum conſtitui, quia proprietas feudi debet remanere apud dominū, & dominium vtile tranſire in vaſallum, ſed hoc nō poteſt eſſe in pecunia, quæ cōſumitur ſecundum Dd. hîc poſt gl. Sexta eſt concluſio, dominus poteſt repetere talem pecuniā, cùm credebat feudum cōſiſtere in pecunia: ſecùs ſi ſcienter dediſſet, quia videretur donare. l. cuius per errorem. ff. de reg. iur. Et ſi vterque ſciret, adhuc eſſet potior cōditio poſſidentis. Septima eſt concluſio, pecunia non repetitur, ſi recipiens vult eſſe vaſallus, & ſeruare fidelitatē, quia licet nō ſit feudum,

tamen

tamen ipſe recipiens ratione cõuentionis poteſt retinere talem pecuniam, nec repetitur ſecundũ Dd. Octaua eſt cõcluſio. ſi emptor denuntiauit venditori, vt defenderet eum in cauſa euictionis, & venditor dixit, Vade et defende te, quia bene tibi vendidi, quòd poſtea re euicta nõ admittitur volens probare ſe nõ vendidiſſe: ſecùs ſi nihil dixit, quia debebit ſe ſaltem purgare per ſacramentum, vt probatur in hoc textu iuncta glo. quod eſt notab.

SI DE FEVDO DEFVNCTI contentio ſit inter dominum & agnatos vaſalli.

TITVLVS XXVI.

Poſt titulos præcedentes ſpeciales ſubijcitur hic iſta rubrica generalis.

Si de feudo defuncti.

Allegatur textus iſte, quòd ſi contentio eſt inter dominũ & agnatos vaſalli defuncti, debent agnati interim ante litẽ finitam cõſtitui in poſſeſſione. Vtroq; autem in cauſa principali nõ approbante, debet iuramentum deferri ipſis agnatis. Ex hoc textu habes, quòd vbi non conſtat de origine feudi propter antiquitatẽ temporis, an ſit antiquum vel nouum reſpectu agnatorum ſuccedere volentium, debemus in dubio potius præſumere antiquum quàm nouum, ratione antiquitatis, cùm ab antiquo vaſallus poſſederit, licet reſpectu agnatorum poſſet eſſe nouum, ſed propter antiquitatem non præſumitur nouum, quod eſt notabile. Probat etiam

textus iſte, quòd magis fauetur agnatis quàm domino, quia vbi vaſallus defunctus reperitur fuiſſe in poſſeſſione feudi tempore mortis, debẽt ſimiliter agnati ad feudum venientes conſeruari in poſſeſſione ipſius feudi, donec cognoſcatur, an ſit feudum antiquum, vel nouum: quia dominus non negabat feudum, ſed qualitatẽ feudi. Probat etiam textus iſte, quòd poſſeſſio feudalis inducit præſumptionem, vt in dubio debeat cauſa expediri per ſacramentum poſſidentis, vt hîc in ſi. Et nota, quòd ſi dominus vult incontinenti probare eſſe feudum nouum, nec iſta cognitio requirat altiorem indaginem, non tradetur interim poſſeſſio agnatis, ſecundum Dd. per ea quæ habẽtur in l. fin. C. quor. bono. Et ſi dicatur, quomodo poſſint agnati iurare, eſſe antiquum, cùm veriſimiliter poſſint ignorare, & ſic videtur ex hoc, quòd aliquis anceps ſubeat periuriũ: quia reſpondetur, quòd non ſit anceps periuriũ, ex quo lex nõ præſupponit hoc.

§. Inter filiam.

Allegatur textus iſte, quòd ſi contentio eſt inter filiam defuncti, aſſerentem prædiũ eſſe hæreditarium, & agnatos aſſerentes illud prædium eſſe feudale, debet interim poſſeſſio manere apud filiam: verùm ſi vterque in probatione deficiat, deciditur cauſa principalis per iuramentum agnatorum. Probat ergo textus ille, quòd hæres defuncti debet conſeruari in poſſeſſione rei hæreditariæ, quam defunctus poſſidebat tempore mortis, donec diſcutiatur de iuribus aduerſarij. Et ratio probatur in l.

in l.ſiue poßidetis, cum ibi notatis. C. de proba. Et licet filia non poßit ſuccedere in feudo, tamẽ ſuccedit in iure emphyteotico, vt hîc, etiamſi ab eccleſia defunctus recognouiſſet, ſecundum Dd. §. emphyteoſim. in authent. de non alienan. Et intellige textum ſecundum glo. & Dd. quòd pro agnatis erant aliquæ præſumptiones, & ideo tunc debet eis deferri ſacramentum: & ſi eſſet præſumptio pro filia, tunc daretur filio ſacramentum, vt in §. proxi. Et nota, quòd ſi iſta filia litigans primò dixit iſtud prædium eſſe allodium, & ſuccubuit, poteſt poſtea dicere, quòd eſt emphyteoticum, vel feudũ fœmineum, in quo ipſa poteſt ſuccedere, vt eſt glo. ſingularis ſecundum Bal. in l. penul. C. de inge. & manu. ſed Alua. allegat aliam in l. at ſi quis. §. ſed interdum. ff. de religio. et intellige textum, dum dicit de ſacramento cum duodecim ſacramentalibus.

§. Defuncto milite.

Allegatur textus iſte, quòd ſi contentio eſt inter dominum & filiam defuncti de beneficio, filia interim debet manere in poßeßione: nemine autem in proprietate probante, terminabitur cauſa per iuramentum filiæ. Et intellige vt dictũ eſt in. §. præcedenti. quia hîc præſumptio erat pro ipſa filia, ideo defertur ei iuramentum, & intellige cum duodecim ſacramentalibus.

§. Moribus receptum eſt.

Allegatur textus iſte, quòd de feudo per vaſallum poßeßo poteſt dominus laicus alium inueſtire, etiam

abſque conſenſu vaſalli, dummodò conferatur in tempus, quo feudum erit apertum domino vel hæredi ſuo: ſi verò dominus eſſet clericus, tunc demùm talis inueſtitura haberet effectum, ſi dictum feudum aperiatur in vita ipſius clerici inueſtientis. Et ex hoc textu collige quatuor. Primò, quòd quando laicus verbaliter inueſtit, non refert, quando cedat dies ipſius inueſtituræ: quoniam etiam eo inueſtiente mortuo, tenetur etiam ſucceſſor, ſi tunc cedat dies, ad præſtandum corporalem poſſeſſionẽ. Secundò, quòd laicus poteſt inueſtire de feudo nondum ſibi aperto, hoc modo, videlicet poſt mortẽ poſſidentis, vel cùm aperietur, quia tunc inueſtitura habebit effectum: ſecùs ſecundum Dd. ſi inueſtitura fieret purè, qui tunc nulla eſſet, niſi interueniret conſenſus vaſalli poſſidentis ſed in primo caſu non requiritur conſenſus. Tertiò, quòd ſucceſſor clerici non tenetur habere ratum factum prædeceſſoris. Et ratio eſt, quia nõ ſuccedit tanquam hæres. & hoc verum niſi illud factum iam ſit conſummatum de iure, quia tunc gratia eſſet ſortita effectum, & ideo non expirat per obitum concedentis. c. ſi ſuper gratia. de offi. delega. in 6. Quartò, quòd vbi aliquis diſponit de iure ſuo libero, vel in tempus, quo liberum erit, non requiritur conſenſus extranei: ſecùs ſi eſſet in alterius præiudicium. l. per fundum. ff. de ſeruitut. ruſtic. prædio. & ideo in iſta inueſtitura non requiritur conſenſus vaſalli, quia iuri ſuo non præiudicatur. Et nota, quòd ſi dominus inueſtierit Titium

de feudo Sempronij, putans ipſum Sempronium eſſe mortuum, qui viuebat, non habebit effectum, ſi poſtea moriatur, niſi in inueſtitura dixiſſet tanquam de feudo deuoluto vel deuoluendo. Et idem ſi inueſtiuiſſet tanquam de feudo vacaturo, vel quod vacauit per mortem: quia ſi reperitur alio modo vacaſſe, & non per mortem, non debetur ſecundum Dd. quia ex vna cauſa donauit, quæ non reperitur vera.

§. Vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus ſcienter inficians feudum, vel conditionem ipſius, illud perdit, ſi conuincatur de mendacio: ſecùs autem ſi non patefaciat mendacium alterius vaſalli negantis, vel celauerit rem domini, quia ex his feudum non amittit. Vult ergo textus iſte, quòd ſcienter negans feudum, amittit illud. Et intellige ſecundum gloſ. & Docto. quòd ſi negauit totum, amittit totum: ſi verò partem, & conuincatur de mendacio, ſolùm perdit partem: ſed ſi vaſallus negat qualitatem feudi, perdit totũ feudum, quia iſta negatio reſpicit totã rem, nec recipit diuiſionem, vt hîc. Sed ſi vaſallus non negat per mendaciũ, ſed tacet, & non manifeſtat rem negatam mendacioſe per alium, non perdit feudũ, quia fortior eſt vera cõtumacia in expreſſè denegando, quàm ficta in tacẽdo. Probat etiã textus iſte, quòd vaſallus, qui facit iniuſtitiã domino de aliare quàm feudali, nõ perdit feudũ. Nota tamẽ

ſingulariter ſecundum gl. & Dd. dum dicitur in textu, quòd vaſallus celans rem domini, non amittit feudum, quando celat ſimpliciter, & per ignorantiam: ſecùs ſi ſcienter & doloſe, per ea quæ habentur in c. j. de for. fid. niſi tamen eſſet ex ignorantia craſſa & ſupina, quia tunc æquiparatur dolo, nec eſſet excuſabilis. Et nota ſecundum Bald. bene glo. iſtam, quia limitantur omnia iura de pœna negantis: quia intelliguntur, quando negat per dolum & latam culpam, quod eſt notabile. & ex his habes limitationem ad l. fin. ff. de rei vendica. vbi per negationem priuatur quis poſſeſſione. Sed hîc vaſallus priuatur feudo, quia ibi negabat ſe poſſidere: hîc autem negabat eſſe feudũ, nec à domino tenere, quia magis offenditur dominus in iſta negatione, cùm in totum excludatur à iure ſuo, & maius onus probandi incumbit ſibi, quàm ſi ſimpliciter negaſſet ſe poſſidere. Et poſtquam vaſallus negauit, poteſt pœnitere, & poſtea confiteri ad hoc, vt euitet pœnam vſque ad litem conteſtatã, poſtea non. Si tamen dominus eſſet paſſus aliquas expenſas & damna, eo inuito non admitteretur confeſſio etiam ante litem conteſtatam ad pœnam euitandam, niſi vaſallus velit reficere dictas expenſas & damna ſecundum Bal. Et nota, quòd ſi vaſallus negans conuincatur de mendacio per iuramentum domini, nõ patitur iſtam pœnam vt amittat feudum ſecundum Dd. argu. l. eum qui. ff. de iureiur. Intelligitur ergo textus, quandò probat feudum per teſtes. Et potes pro hoc adducere

ducere in ſimili quod voluit Bald. in authent. generaliter. C. de epiſc. & cleri. vbi dicit, quòd ſi pars probauit ſemiplenè, & in defectum iurauit, ſuccumbens nõ condemnatur in expenſis. & allegat d. l. eum qui. Et nota circa illud, quod dictũ eſt ſup. quòd ſi habet iuſtam cauſam denegandi, vel ſaltem ceſſat dolus, vel lata culpa, indubitanter poteſt pœnitere ſecundum Bal.

§. Si quis per triginta.

Allegatur textus iſte, quòd res poſſeſſa tanquam feudalis per annos triginta, & ex ea tanquam feudali ſint præſtita ſeruitia, cenſetur feudalis, dato quòd non appareat alia inueſtitura. Et pro intelligentia dicas, quòd vt ꝓcedat textus iſte, requiritur, quòd quis poſſederit rem tanquam feudalem ſpacio xxx annorum, qui anni debent eſſe cõtinui, & non interrupti. Requiritur etiam quòd ſint præſtita ſeruitia ex dicta re tanquam feudali. Et ſufficeret etiam vnum ſeruitium, poſt quod ſeruitium fluxi ſint xxx anni, quia dominus nõ habuit neceſſe habere ſeruitium, & vaſallus fuit paratus ſemper obedire tanquam vaſallus. Requiritur etiam, quòd iſta poſſeſſio fuerit habita ſemper tanquam feudalis, prout alibi dicitur in l. fin. ff. quemedmodũ ſerui. amit. Et ſic per receptionem ſolam ſeruitiorum non inducitur conſtitutio feudorum, niſi ſit præſcripta longiſſimo tempore, ſcilicet ſpacio xxx annorũ. Et intellige, quòd in hoc caſu nõ requiritur aliquod iuramentum vaſalli. gloſ. inf. de. conſuetu. rect. feu. c. j. in princ. poſtquam

nullus titulus præceſſit, ſed ſemper fuit poſſeſſa tanquam feudalis. Et an iſte textus procedat, ſi vaſallus erat in mala fide, & hic videtur concludi per Docto. & gloſ. quòd ſic in foro Cæſaris, ſed ego non recederem à textu in c. fina. de præſcrip. Et intellige iſtum textum ſecundum gloſ. & Docto. vt procedat, etiamſi vaſallus nullum habeat titulum, & defendet ſe contra omnes, etiam contra dominum. Si tamen vaſallus caderet à poſſeſſione, poteſt rem vendicare, ſi erat in bona fide contra quemlibet, præterquàm contra dominum, ſecundum communiorem opinionem: ſecùs ſi erat in mala fide, quia non habet actionem, niſi contra illum, qui abſtulit, de quo in l. ſi quis emptionis. §. penulti. C. de præſcrip. xxx annorum. Et ſi prior dominus & iſte præſcribens concurrant in vendicando, præfertur præſcribens, ſi fuit in bona fide, de quo hic per gloſ. & Docto. Et ſicut vaſallus præſcribit ſibi rem in feudum, ita econtrà dominus præſcribit ſibi ius petendi ſeruitium, ſecundum Bald. quia iſta ſunt correlatiua, quia dato vno ſequitur aliud de neceſſitate. Et ſi dominus poſſideat ſpacio xxx annorum rem feudalem tanquam ſuam ſine contradictione vaſalli, præſcribit conſolidationem & amotionem vtilis dominij, ſecundum Bald. & iſte textus procedit in foro conſcientiæ ſecundum Dd. ergo videtur, quòd requiratur bona fides. & ſecundum Doctores poteſt per ſtatutum abbreuiari iſtud tempus præſcriptionis. Et feudum acquiſitum per præſcriptio-

ptionem tranſit ad hæredes, ſcilicet ad illos, qui veniebant ex natura feudi conceßi ſimpliciter, de quo per Bald. in l. liberti. C. de ope. libert. Et nota quod Bal. hîc vult, quò ſi aliquis dicat ita, Conſentio vt præſcribas, quòd non eſt mera præſcriptio, ſed vnita cum pacto, & eſt fauorabilis: & ex ea etiã ſi eſt longißima, acquiretur directum dominium, quod eſt notabile ſecundum eum. Dicit etiam Bald. quòd iſta continua poßeßio xxx annorum poterit probari per teſtes, ſi dicant ſe ſemper vidiße poßidere: quia hoc dictum partim refertur ad viſum corporalem, partim ad intellectum: & probatis extremitatibus, præſumitur continuatio temporis ſecundum Bald. Quærit etiam Bald. teſtis dicit, Vidi per xxx annos Petrum nõ poßidere, ſed Martinum, vtrum iſte teſtis ſit falſus? & allegat glo. quòd non. in l. j. §. j. ff. de itine. actúque priua. Et in hoc caſu dicit gloſ. eße veram: ſed ſi ſimpliciter teſtis aßerit negatiuã, & de affirmatiua contraria nil loquitur, tunc talis teſtis nõ probat negatiuam, ſed eſt ſuſpectus de falſitate. c. cùm eccleſia. de cau. poßeßio. & proprieta. & Bald. hîc allegat gloſ. quam dicit ſingularem, quòd præſcriptiones non ſunt inductæ in pœnam, ſed propter libertatem ſubditorum, ne de iure ſuo ſemper dubitent in authenti. de tempo. non ſolu. pecu. §. j.

§. Qui clericus.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus efficiatur clcircus ſæcularis vel regularis, amittit feudum. Et nota,

ta, quòd in hoc caſu amittit feudũ ipſo iure, nec requiritur aliqua ſentẽtia priuatiua, quia dicitur in textu, Hoc ipſo. Et ratio textus eſt, quia militans Deo nõn debet ſe implicare negocijs ſæcularibus. c. j. nec cleri. vel monach. Et an clericus poßit retinere feudum, & ſeruire per ſubſtitutum, vide dicta in titu. de milit. vaſal. qui ar. bell. depoſuit. Et ſi vaſallus non intrauit religionem, ſed vouit intrare, & in perpetua religione perſeuerare, ex hoc voto ſine ingreſſu amittit feudum ſecundũ Dd. Et probatur ratione, quia non poßet ſtare in Curia domini ſine dedecore, cùm ſit in peccato mortali, non implendo votum. Et licet aliqui velint, quòd hoc probet textus iſte, tamen non videtur loqui in caſu iſto, ſed quando intrauit religionẽ approbatam animo ibi permanendi. Sed an iſte textus procedit in clerico, qui ſuſcepit ordines minores, vt amittat feudũ, nec illud poßit amplius recuperare, ſi deſinat eſſe clericus. & gloſ. inf. eod. c. naturales. tenet, quòd perdit, nec recuperet. & idem Bal. hîc, ſi cum clericatu habuit beneficium eccleſiaſticum, aliàs ſecùs. Et Bal. hîc aßignat rationem, ne ſit in poteſtate agnatorum circumuenire adultum, habentem feudum, & ideo dimittendo clericatum poteſt recuperare & reintegrari ad feudum ope reſtitutionis. et Alua. tenet hanc opinionem in caſu huius ſuſpicionis, de quo etiam per Bald. in c. j. de benef. fœmi. Et nota ſecundum Dd. quòd per clericatum vel monachatum ſuperuenientem non amittit quis vſumfructũ, vel libellum,

lum, quem habebat in aliqua re, quia retinebit ſaltem donec viuit, quia in talibus non exigitur ſeruitiũ perſonale, ſed reale, quod à clerico vel monaſterio poterit æquè perſolui. & vide notata per Bal. in l. ſi quis presbyter. C. de epiſ. & cleri. Et in caſu iſto, ſi feudum erat nouum, feudum reuertitur ad dominum: ſi paternum, ad agnatos, ſecundum Bald. Et ſi dicatur iſte textus retrahit à Dei ſeruitio, quia videns, quòd amittit feudũ, retrahitur ab ingreſſu in religionem. Sed rei qualitas ſoluit contrarium ſecundum Bald.

§. Et ſi vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus non priuatur feudo, licet omni anno ſe domino non præſentet. Et ratio iſtius textus eſt, quia hoc non reperitur ſtatutum in vaſallo, neque in iuramento eius hoc continetur: igitur nec nos dicere debemus. l. ſi ſeruum. §. nõ dixit. ff. de acquiren. hære. Licet ſit ſecùs in Epiſcopo. c. ego. de iureiuran. Sufficit ergo, quòd vaſallus ſit paratus ſeruire domino petenti, licet ſe non præſentet.

§. Omnes filij.

Allegatur textus iſte, quòd omnes filij ſuperſtites ex vaſallo mortuo, retinentes feudum pro indiuiſo, debent iurare fidelitatem domino: ſi verò dictum feudum ex diuiſione ad vnum peruenit, ille ſolus iurabit. Habes ergo ex hoc textu, quòd feudũ poteſt pro indiuiſo ſimul teneri et poſſideri per filios vaſalli: quo caſu omnes debẽt iurare fidelitatem, quia cùm ſuccedant in locum vnius vaſalli,

vaſalli, reputantur pro vna ſingulari perſona. Habes etiam, quòd per diuiſionem bonorũ factam inter filios vaſalli defuncti poteſt feudũ ad vnum ſolum peruenire, & ille ſolus iurabit, quia ille ſolus cenſendus eſt vaſallus ſecundum gloſ. & Docto. hîc. Bene tamen ſecundum Docto. poteſt fieri diuiſio vnius feudi inter plures filios, vt quilibet habeat partem ſuam, & quilibet inſolidum iurabit pro parte ſua: hoc tamen non procedit in feudo, de quo inf. de prohibi. aliena. feudi per Federi. §. præterea. Et formatur hîc quæſtio per gloſ. & Docto. in qua effunduntur multa verba, ſi dominus deceſſit relictis multis hæredibus, vtrũ per vaſallum omnibus hæredibus eſt facienda fidelitas, an vni tantùm ſufficiat iurare & fidelitatem facere? Sed breuiter ſic concludas, quòd ſi feudum deuenit ad vnum tantùm ex hæredibus domini, tunc vni ſoli iurabitur: ſed ſi feudũ deuenit ad omnes filios, ſiue æqualiter, ſiue non, tunc omnibus eſt iurandum: poſſunt tamẽ eligere hæredes domini vnum, cui iuretur pro omnibus. & de iſta materia per Bart. in l. de pupillo. §. ſi plurium. ff. de ope. noui. nunti. & non obſtat textus in d. §. præterea. inf. de prohibi. alienatione feudi per Federic. vbi dicitur, quòd vaſallus non compellitur iurare, niſi vni, ne habeat pro vno feudo plures dominos: quia nos loquimur in caſu, quando fit diuiſio ex neceſſitate ſucceſſionis, & quia omnes hæredes loco vnius ſunt. Sed in. §. præterea. nulla ſubeſt eſt neceſſitas, ſed ex voluntate mera domini

alie-

alienantis partem feudi, meritò non poteſt ex hoc induci, vt vaſallus habeat plures dominos. Et nota gloſ. hîc, quòd ius patronatus eſt indiuiduum, cui adde glo. in l. ſub conditione. ff. de aßignan. liber. Et ex dictis habes, vtrum vaſallus volens alienare feudum, teneatur petere licentiam ab omnibus hæredibus domini, an ſufficiat ab vno tantùm. Sed quid ſi ex feudo vaſalli mortui debebatur certum ſeruitium, vt quia feudum erat conditionatum, ſecundum quod traditur in c. fina. de capitaneo qui Curiam vendidit. & dicas, quòd ſi ſeruitium eſt in dando, quilibet præſtabit pro parte ſua: ſi verò ſeruitium eſt indiuiduum, puta ire ad prælium cum domino, tunc dabunt vnum æquè idoneum de ſe, ſicut erat pater eorum, & ille ſeruiet pro omnibus, ſecundum Doctores, quia ſufficit domino habere vnum æquè idoneum, qui ſibi ſeruiat, ſicut erat prior vaſallus. & ſecundum veriorem opinionem ipſi habent eligere vnum ex ſe ipſis, non autem dominus habet eligere, nec dominus poterit eos grauare in plus, quàm fuerit conditio patris ipſorum, & iſti filij poßunt conſtituere Procuratorem ad iurandum fidelitatem. c. j. §. ſed vtrum. ſup. per quos fiat inueſtitura. Sed quæritur, qualiter vaſallus præſtabit ſeruitium pluribus hæredibus domini, qui dictum feudum pro parte tenent? Et dicas, quòd ſi ſeruitium eſt indiuiduum, vt ire ad prælium cum domino, & quilibet filiorum habet prædium in diuerſis locis,

locis, ita quòd non eſt poſſibile, quòd adiuuet omnes, tunc poteſt eligere vaſallus ipſe, quem ex dominis velit adiuuare.argu.l.ſi quis in graui.§.ſi cùm omnes.ff. ad Sil.Dicit tamen Bal.in l.j.ff.de rerũ diuiſione. in xxiij. q.quòd bene faciet, ſi gratificabitur digniori & ſeniori:ſi autem ſeruitiũ eſt in dando, tunc dabit vnicuique partem ſuam. Et ſubdit Bal.in dicto loco, quòd ſi iſti filij domini mortui cõmittunt inter ſe bellum, quòd vaſallus non tenetur aliquem iuuare vel gratificari: quia inuicem ſibi obſtant, & vaſalli poſſunt diuidi numero inter dominos, cùm ſint in bonis. Bal.in l.liberti.in vlti.col. C.de ope.liberto.

§. Adoptiuus.

Allegatur textus iſte, quòd filius effectus per adoptionem nõ ſuccedit in feudo. Et ſic nõ per omnia adoptiuus æquiparatur naturali. Et ratio huius textus eſt, quòd feudum datur amore vaſalli, & propter fidelitatẽ eius, ſed eadem fidelitas & amor reputatur eſſe in filijs eiuſdem ſanguinis.l. quiſquis.C.ad leg.Iul.maieſtatis. non ita in extraneis.& ideo dominus non cõpellitur habere vaſallum alterius ſanguinis, quàm voluerit à principio. Et nota ſecundum glo.& Dd.quòd iſte textus procedit etiã in filio arrogato, quia eſt eadem ratio: poſſet tamen concedi feudum lege appoſita, quòd ſuccedant etiã filij adoptiui, quia pacta ſeruanda ſunt, licet ſint contra cõmunem naturam feudorũ, vt inf.de feudo non habente propriam naturam feudi.c.j. poteſt tamen huic textui dero-

derogari per reſcriptum Principis, per ſtatutum, vel per contrariam conſuetudinem ſecundum Bald. & alios. Nec habet locum textus iſte, ſi pater emācipat filium, & poſtea illum adoptat ſecundum Docto. quia poterat ſuccedere etiam abſque adoptione, vt ſup. de his qui feu. dare poſſunt. §. penul. per Aluaro.

§. Mulier.

Allegatur textus iſte, quòd ex ſpeciali conſuetudine locali poteſt induci, vt in eo loco filij ſecundi matrimonij non ſuccedant matri cū filijs primi matrimonij, tam in feudo, quàm in cæteris bonis. Et ſic habes, quòd ſuper iure ſuccedendi poteſt prouideri per ſtatutum, vel conſuetudinem in loco: & licet videatur dura, tamē ſeruatur in loco, vbi viget: & de iure communi eſt ſecùs, quia pariter debent admitti ſecundum glo.

§. Naturalis.

Allegatur textus iſte, quòd filius naturalis tantùm, licet poſtea legitimus fiat, non ſuccedit in feudum, nec ſolus, nec cum alijs. Et ratio eſt, quia ſolùm agnati admittuntur ad feudum: iſti autem taliter nati non ſunt agnati, ſed cognati. l. hac parte. ff. vnde cogna. Et licet per legitimationem ſubſecutam videantur agnaſci, tamen Princeps ſimpliciter legitimando non videtur facere cum præiudicio alterius, licet poſſet facere de plenitudine poteſtatis, ſecundum glo. hîc communiter approbatam. & de clauſula, Non obſtante, quæ debet opponi in reſcripto Principis, vltra adducta per Alua. vide

quæ dixi in alphabeto in litera C, in verbo, Clauſula. & Bar. in l. ſi. C. ſi contra ius vel vtil. publ. voluit, quòd ſufficiat dicere, Nõ obſtante aliqua lege, quæ in cõtrarium loqueretur. tamen ad cautelam eſſet bonum exprimere legem ipſam ſpecificando, & in materia feudali conſulunt Dd. quòd cùm iſta non ſit gratia cõmunis, ſed exuperans, & ideo exuperans ſolennitas requiritur, vt dicatur, Non obſtante capit. naturales. titu. ſi de feudo fuerit controuerſia Quæritur, pater non habens niſi filium naturalem, fecit legitimari ad feudum, poſtea ſuſcepit filios legitimos ex vxore, an legitimatus ſuccedat in feudo cum cæteris filijs? Et conclude quòd ſic, de quo per Barto. in l. ex facto. ff. de vulga. & pupil. ſubſti. per Ioan. An. in reg. ſine culpa. in Mercurialibus. Nec textus iſte procedit in legitimato per ſubſequens matrimonium, per ea quæ habentur in c. tanta. qui filij ſint legitimi. Nec eſt neceſſe, quòd quoad ſuccedendum interueniat ſolennitas iuris ciuilis, ſcilicet inſtrumentum matrimonij atque dotis, licet aliqui velint contrarium. & vide Alexan. in l. ex facto. §. ſi quis rogatus. ff. ad Trel elli. Sed quid ſi inueſtitura diceret, Pro ſe, & hæredibus ſuis ex ſuo corpore legitimè deſcendentibus, an tunc legitimatus per ſubſequens matrimoniũ admittatur in feudum? In hoc eſt altercatio. Sed conclude, quòd aut tempore matrimonij filius erat iam natus, & tunc non admittetur: aut tempore matrimonij erat conceptus, ſed non natus, & tunc admittetur.

Et

Et cùm iſte textus loquatur indiſtinctè, habet etiam locum in feudo materno ſecundum Doct o. & licet ſit factus legitimus, non ſuccedet, niſi eo modo, quo ſuccederet in paterno. Quæritur, an natus ex clerico in minoribus conſtituto legitimetur per ſubſequens matrimonium? Et conclude quòd ſic, de quo per Ioan. An. in reg. ſine culpa. in Mercurialibus. per Bar. in l. in concubinatu. ff. de cōcubi. Et eſt mirandum, quòd Alua. argumentans pro cōtraria parte, quòd tēpore natiuitatis non tenuiſſet matrimonium, allegat textum in c. caue. xxviij. q. j. qui nihil facit. Item quia c. tanta. qui filij ſint legitimi, nō fingit ſuper impoſſibili. Impoſſibile autem fuiſſet, quòd ille clericus, dum eſt in ordinibus, quòd potuiſſet cōtrahere. Et ſic cōcludit, quòd pars iſta ſit verior, ſed neſcio videre quod ſit prohibitus clericus in minoribus contrahere matrimonium, vt eſt rubri. de cleri. coniuga. ergo tempore natiuitatis potuiſſet contrahere matrimonium, ergo procedit diſpoſitio. c. tanta. Et nota, quòd ſi ſtat ſtatutum, quòd primogenitus in feudo ſuccedat, & quis ſuſcepit filium ex concubina, & contrahit cum alia, & ſuſcepit prolem legitimam, & illa mortua, cōtrahit cum prima concubina, ſuccedet natus ex vxore. Io. An. in reg. ſine culpa & per Dd. in d. c. tanta. Et ſi in articulo mortis contrahit aliquis matrimonium cum concubina, ex qua habet filium, legitimatur ad ſucceſſionem feudi ſecundum Docto. de quo per Ioan. An. in dicta regu. ſine culpa. per Docto.

in d.c.tanta.per Bal.hic.& in l.eam quam.C. de fidei-com.Et ſi Papa diſpenſat in matrimonio,quod nō tenebat,filij iam nati non erunt legitimi, niſi de ipſis fiat mentio.per Cynum et Bal.in l.Paulus.ff.de ſtatu hominum. Et ſi dominus conceſſit feudum vaſallo pro ſe & filijs natis & naſcituris, & dominus ſciebat, quòd vaſallus habebat ſolùm filium naturalem,ſuccedit in feudo, quia quilibet poteſt inueſtiri, qui placet domino: ſcientia ergo domini facit hoc ſecundum Dd.Bald.in l. eam quam.C.de fideicommiſ.Nec Imperator poteſt legitimare,quantum ad feudum eccleſiaſticū, nec Papa quantum ad feudum temporale, per Bald. in d. l. eam quam.C.de fideicom.per Bart.in l.qua in prouincia.§. Diuus.ff.de ritu nuptia.in authent. ex complexu.C. de inceſt.nupti.Pe.de Ancho.conſilio cccxxj.Bald.in conſilio cccxj.iiij.lib.& in iſtis locis habetur, an Imperator poſſit legitimare in terris Eccleſiæ, & an Papa in terris imperij, de quo etiam per Dd.in c.per venerabilem.qui filij ſint legit.Et nota quod Bald hic vult,quòd ſpurius ſit turpis perſona, & infami æquiparetur, pro quo allega tu dictum notab. Azo. in ſumma. C. ex quibus cau.infa.irroga. & notata per Bart.in l.ſi ff. de his quibus vt indig. Dicit etiam Bald. quòd iſta exceptio, Tu es ſpurius,ideo non potes ſuccedere, non debet ante litem conteſtatam cognoſci, quia reſpicit merita cauſæ principalis. Et quæ ſint exceptiones impedientes litis ingreſſum, vide in meo alphabeto in litera E, quia allegaui

gaui multa. & Bald. hic allegat glo. in l. j. ff. de bo. poſſ. contra tabu. quòd naturales tantùm nõ poſſunt ex cauſa prateritionis teſtamentum paternum rumpere. Adde tu qua dixi in alphabeto in litera Q. Tangit etiam Bald. hic de baſtardis, vide qua latè ſcripſi in alphabeto in litera B. Et nota, quia Bald. hic allegat glo. in l. j. ff. ſoluto matri. propter quam feci ſemel quendam dubitare. Dixi enim, poteſt quilibet interficere ſpurios, quia Reipub. non expedit habere ſpurios, per Barto. in l. eum qui. ff. de iniur. tacuit ille, & ego allegaui iſtam gloſ. quòd imò intereſt Reipub. etiam habere ſpurios, & ideo ſi ſpurius occiditur, Reſpub. offenditur gl. allegat textũ in l. generaliter. §. ſpurios. ff. de Decurio. & Bal. allegat gloſ. quam dicit ſingularem in l. nemo. ff. pro lega. quòd ſpurij non poſſunt præſcribere. Nota etiam, quòd Bald. hic in fin. adducit Ioan. Mona. in c. j. de fil. presbyt. in 6. quòd ſtatutum de ſpurijs non promouendu licet confirmatum ſit per ſedem Apoſtolicam, tamen eodem modo tollitur, quo ius commune: quia non eſt nouum ſtatutũ, ſed iuris communis executiuum, quod eſt notabile ſecundum Bal.

§. Si minori.

Allegatur textus iſte, quòd impubes, cui datum eſt feudum, non tenetur iurare fidelitatem, donec non eſt pubes factus, tamen interim retinet feudum. Et ſic ſi talis impubes inueſtitus non iuraret infra annum & diem, nũ priuabitur feudo, & ſic textus in c. j. quo tem-

re miles, non habet locum in impubere. Et nota ſecundum Dd. quòd textus iſte procedit tam in feudo nouo iam acquiſito, vt probatur in textu in ver. datū. quàm in antiquo. ſi non petit renouationē inueſtituræ. & ſic habes caſum ſpecialem, in quo quis retinet feudū, licet iuramentū fidelitatis nō præſtet, et fidelitatē facere recuſet. & hoc eſt inductū fauore ætatis. Et an textus ille procedat in pupillo doli capace? & Aluaro. recitat aliquos tenere, quòd non, & ipſe tenet cōtrarium: pro quo videtur textus iſte, dum dicit, donec ad maiorē ætatem peruenerit: & ſic textus iſte figit pedes, quòd tantùm maior præſtet fidelitatem. ſed contra hoc facit quod voluit Bart. in authen. ſacramenta. C. ſi aduer. venditio. vbi dixit, quòd illa authentica procedat in pupillo doli capace, & tamē loquitur de pubere, vide quæ dixi quantum ad hoc in alphabeto in litera P, in verbo Pupillus. Volens tamen pupillus iurare admitteretur, vt probat textus iſte in verbo, Non cogitur. & hoc tenet Aluaro. qui dicit, ſecùs in infante, quia iuramentum requirit verba, & infans non poteſt proferre. Sed iſta ratio non videtur ſufficiens, quia ſequeretur, quòd mutus nō poſſet iurare, & tamen poteſt, de quo dixi in alphabeto in litera M. Sed ratio eſt, quia infantilis ætas neſcit quid agat. l. j. in fin. C. de fal. mone. & tutor etiàm poterit iurare pro pupillo, licet non cogatur ſecundum Dd.

§. Si quis deceſſerit.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus, in quem perue-

uene-

ueneritfeudum per ſucceſsionem,ſit impubes, nõ tenetur fidelitatem facere, neq; ſeruitiũ perſonale præſtare: ſi tamen quiſquam pro eo dictum ſeruitium facere voluerit, admittetur. Et iſte textus loquitur propriè de feudo paterno & antiquo, textus præcedens in feudo nouo. Et ſic nota caſum, in quo quis non cogitur iurare neque per ſe, neque per aliũ. Nota tamen ſecundũ gl. & Dd. quòd hodie ex cõſuetudine feudorũ non ſcripta impubes cogitur ſeruire, & per ſubſtitutũ: quod intellige quantũ ad compulſionẽ, non autẽ quantũ ad punitionẽ amiſsionis feudi, ſi nõ faciat. Et nota ſecundũ Dd. quòd vaſallus poteſt ſeruire per ſubſtitutum, ſi ſubſtituit acceptabilem domino. Et dicitur acceptabilis domino, ſi æquè bonum ſubſtituat, prout ipſe eſt. hoc tamen limita, niſi dominus in inueſtitura expreſſè dixiſſet, quòd deberet per ſe ſeruire, non per aliũ: quia tunc nullo modo poſſet ſeruire per ſubſtitutũ inuito domino, pro quo gl. in c. ex eo. de electio. in 6. in ver. perſonaliter. & textus in c. ſuper quæſtionũ. §. intentionis de offi. delega. & faciunt multa iura, quæ allegaui in alphabeto in litera I. Hoc tamen etiã limita, niſi quando vaſallus nõ eſſet habilis ad ſeruiendũ per ſeipſum, quia tunc poſſet per ſubſtitutum. l. quiſquis. C. de epiſc. & cle. & idem ſi dignitas eſſet aucta vaſallo, ita quòd non eſſet decens, quòd ſeruiret in propria perſona. l. interdum. ff. de ope. liber. & idem ſi eſſet alia neceſſaria cauſa impediens vaſallum. l. filius. in fin. cum l. ſequenti. ff. de procurat. Et

nota quod Bald. hîc vult, quòd officia ſolennia, ſicut eſt officiũ poteſtariæ, vel capitaneatus, per aliũ non poſſunt explicari, niſi in caſu neceſſitatis. l. j. §. huius rei. ff. de officio eius cui mãda. eſt iuriſdictio. et de iure ciuili mors & mẽbri mutilatio non poteſt cõmitti vicarijs: ſecùs de iure Canonico. c. in Archiepiſcopatu. de rapto. & tu allega gl. ſin. in l. ij. C. de officio eius q̃ vices alterius gerit.

§. Titius.

Allegatur textus iſte, licet intelligatur varijs modis, quòd feudum antiquum licitè alienatum per vaſallum, poteſt eo mortuo, ſi non reliquit filios, recuperari per eius proximiorem agnatum, etiam nullo precio reſtituto: ſi verò reliquit filios, tunc per prædictos filios nõ conſentientes alienationi, pòterit reuocari, dummodò precium reſtituant acquirenti: nec eſt opus iſto caſu expectare mortem alienantis. Et intellige textum de alienante, & quòd dicta alienatio fuit ſacta licitè, id eſt cum conſenſu domini & mediante precio, quæ alienatio tamen nõ habet præiudicare filijs & cæteris agnatis, ad quos feudum erat reuerſurum: quia poterunt reuocare, quoniam feudum erat antiquum, prout dicitur in textu. Et nota caſum notabilem hîc ſecundum gl. & Dd. quòd vbi vaſallus alienator habet filios, quòd etiam eo viuente reuocabitur alienatio: ſed ſi non habet filios, reuocabitur demùm eo mortuo. Et ratio diuerſitatis eſt, quia filijs debebatur feudum antiquum ex pacto & prouidentia priorum, & ipſe filius viuente patre eſt

quaſi

quaſi dominus, & ideo filius admittitur incontinenti, etiam eo viuo ad reuocandum: & quia emptor grauatur in hoc, vt incontinenti reſtituat, in alio releuatur, vt reſtituatur ſibi precium: ſed hoc non eſt in agnatis, quia ipſi nõ intelliguntur domini viuente ipſo alienante, ſed reuocabitur ſolùm poſt mortẽ: ſed quia grauantur in hoc in expectando mortẽ alienantis, alleuantur in alio, quia reuocant abſque precij reſtitutione, & donec viuit alienator, emptor interim lucratur fructus. & dicit Bal. quòd ſi facta alienatione nõ viueret vaſallus, niſi per vnum diem, nihilominus agnatus proximior reuocabit abſq; precio: quia ſic potuiſſet viuere per longa tempora in damnum ipſius agnati. Probat etiam textus iſte ſecundum glo. & Dd. quòd qui conſentit vaſallo alienanti, perdit ius ſuum, ſiue iſte cõſenſus ſit tacitus ſiue expreſſus, & per præſcriptionem annalem inducitur tacitus conſenſus, vt hîc: oportet ergo agnatos eſſe multùm ſagaces ſecundum Bald. ne patiantur labi tempus anni: & intellige quando ſit reuocatio ab alio agnato remotiore: ſecus ſi fieret ab extraneo, vt hîc eſt glo. nota. quæ voluit, quòd quando alienatio eſſet facta in extraneum, qui non eſt agnatus, non excluderetur anno, ſed exigerentur anni xxx. quod eſt notandũ pro limitatione iſtius textus, & intellige prædicta ſiue ſit filius, ſiue agnatus, qui velit reuocare.

§. Si facta.

Allegatur textus iſte, quòd dominus non poteſt re-

tractare inueſtituram feudi factam per eum. nec liberatur volendo præſtare intereſſe, ſed præciſe compellitur ad tradendum poſſeſſionem ipſius feudi. Et nota, quòd textus iſte intelligitur in feudo nouo, quia in veteri nulla traditur poſſeſſio, cùm vaſallus illam iam habeat: & ſic habes ex hoc textu, quòd per inueſtituram verbalem etiam cùm anulo factam non transfertur poſſeſſio, ſed dominus cogitur præciſe ad illam tradendam. Et ex hoc glo. hîc collige tres concluſiones. Prima eſt, quòd poſſeſſio, quæ debet tradi per dominum vaſallo, non debet eſſe occupata per alium, ſed vacua ab omni impedimento. Secunda eſt, quòd facta inueſtitura & præſtito iuramento, poſſunt partes à dicta obligatione de communi conſenſu recedere. Tertia concluſio, quòd ſi facta inueſtitura dominus differat tradere poſſeſſionem, dominus tenebitur vaſallo ad omnem vtilitatem, quam habuiſſet ſi ab initio ſibi fuiſſet tradita poſſeſſio. Nota etiam glo. hîc, quòd dominus inueſtiendo plures diuerſo tẽpore, ille præferri debet, qui prior poſſeſſionem adeptus eſt. l. quotiens. C. de rei vendicat. & tenebitur alteri ad intereſſe. Nota etiam, quia glo. vult hîc vnum, quod communiter non tenetur, quòd venditor non teneatur præciſe ad tradendum rem venditam: quia imo tenetur, ſi habet facultatem rei tradendæ, de quo in l. j. ff. de actio. emp. & ſi venditor nollet tradere, debet ſibi manu militari auferri: & ſi dolo ipſius non poſſit haberi res, iurabitur contra ipſum in litem. l. qui

reſtitue-

reſtituere.ff.de rei vendica. Et ſi dominus tradidit poſſeſſionem,& vaſallus cecidit à poſſeſſione,quæ peruenit ad dominū, tenetur ad illam tradere vaſallo ſecundum Dd.quod tamen limita,niſi dominus haberet aliquam exceptionē contra ipſum,quæ poſſet excludere ius ipſius ſecundum Alua. Et nota ſecundum Bal.pro declaratione eius quod dictum eſt,quando dominus diuerſo tempore plures inueſtit, quòd ille præfertur, cui priùs poſſeſſio tradita eſt:quòd ſi vterque probauit de traditione,& non conſtat de tempore, præſumitur res tradita priùs priori emptori tanquam iuſtiori. quod verum eſt, quādo vterque probat de numeratione precij,ſed ſi vnus probaret de numeratione, alter non, tunc præſumitur priùs tradita ei qui precium numerauit: & ita dicit ſe concluſiſſe.

§.Filij.

Allegatur textus iſte, quòd ex conſuetudine locali poteſt induci,vt valeat pactū appoſitum in cōtractu matrimonij, quòd filij nati ex eo matrimonio nō ſuccedāt: quo pacto appoſito prædicti filij excluſi nō ſuccedent etiā in feudo:& ſic,licet pactū de nō ſuccedendo improbetur de iure.l.pactū.C.de colla.tamen de conſuetudine ſpeciali admittitur in loco,in quo loco viget talis cōſuetudo. Et nota, quòd per glo.& Dd. intelligitur textus iſte,quando pactū fuit appoſitū ad excludendos filios ſecundi matrimonij:ſed quæritur, quid ſi pactū eſt appoſitum ad excludendum filios ex primo matrimonio,vel ſim-

ſimpliciter,an talis conſuetudo trahatur ad iſtum caſum.& Bal.videtur ſentire quòd ſic,& ponit exẽplum: Si Marchio, qui tenet feudum, ab Imperatore accipit in vxorẽ quandam filiam Regis,quæ ei non nuberet,niſi hoc pacto, quòd filij ſui ſuccedent in Marchionatu & non alij de alio matrimonio: item dicit Bald. vidiſſe de hoc magnas inconuenientias. pone, Accepi in vxorem quandam nobilem, quæ dedit mihi decem millia florenorum in dotem, quæ ſperabat filios mihi ſucceſſuros,& aliter mihi non fuiſſet nuptura:ſuſcepi,ex eo vnũ filium, & ex quadam meretrice habui plures ſpurios, quos feci legitimari ab Imperatore, ita quòd ſuccederent pro virili cum legitimo. nõ eſt hæc magna iniquitas et circumuentio nubentiũ? Non poteſt negari,quin Imperator hoc poſſit, tamen Imperator,qui hoc facit, videtur vnũ pecus,nec habet præ oculis iuſtitiam publicæ honeſtatis:nec cõſiderat, quòd per ſolas nuptias conſeruatur elegans genus humanum in authent. de nup. in princip.

§.Licet.

Allegatur textus iſte,quòd licet vaſallus nunquam domino ſeruiat, neque ſeruitium offerat, non amittit feudum:ſi tamen ſit ſemper paratus ſeruire domino petenti,niſi ſciens magnum periculum imminere domino,ipſum ſpontè nõ adiuuerit.Vbi verò pro domino impotente non ſoluat debitum, ad quod dominus tenebatur ſub pœna periurij,non amittit feudum. Et ſic vult textus

textus iſte, quòd quando quis non vult aliquid conſequi, ſed intendit ius ſuum iam quæſitum conſeruare, non neceſsitatur ad offerendum: quod intellige ſecundum Bal. niſi eſſet appoſita dies, quia tunc teneretur offerre, ne incideret in pœnam: ſi autem vult aliquis aliquid conſequi, ad quod conſequendum oblatio eſt neceſſaria, tunc debet offerri & non ſolùm verbo, ſed etiam realiter. l. ſi reſiduũ. C. de diſtractione pigno. l. acceptam. C. de vſuris. et vide quæ dixi in alphabet o in litera O. Habes etiã ex textu, quòd vaſallus nõ tenetur ſe offerre, niſi quando immineret periculum, quia tunc non debet expectare nuntium, aliàs priuatur feudo; exigitur tamẽ ſcientia vaſalli, vel quòd ſcire debuerit. l. quod te. ff. ſi certum petatur. Probat etiam textus iſte, quòd qui non poteſt adimplere promiſſa iurata propter paupertatem, incidit in periurium: quod eſt verum, ſi ei poteſt imputari culpa, aliàs ſecùs, vt quia caſu fortuito deuenit ad inopiam. & ſi à principio ſciebat ſe non eſſe ſoluendo, eſſet in culpa, ſecundum Bal. Et licet vaſallus per xxx annos non ſeruiuit domino, quia non fuit neceſſe, non propter hoc perdit feudum, ſed ſolùm quando recuſauit, ſecundum Dd. Quæritur, an vaſallus teneatur alimentare dominum, ſi deueniat ad inopiam? et conclude quòd non ſecundum Dd. quod tamen limita, niſi dominus pro facto vaſalli conſumpſiſſet ſua bona. Secundò limita, niſi infeudaſſet vniuerſa bona, vel maximum eſſet feudum. Eſt tamen conſilium bonum, quòd dominus in inueſti-

tura apponat pactum vt alimentetur, ſi deueniat ad inopiam:& ſi dominus eſt in carcere pro debito, an vaſallus teneatur illum redimere?& eſt altercatio inter Scribentes, ſed iſte textus facit quòd non:ſed poteſt diſtingui, prout dictum eſt ſup. de alimentis. Et ſi dominus interpellauit vaſallum, & recuſauit præſtare ſeruitium, & poſtea dominus ſuſcipiat ſeruitium præſtitum à vaſallo; an amittat feudum?& concluditur quòd non per Dd. niſi dominus ſuſcipiendo proteſtetur ius ſuum ſaluum eſſe, de quo vide dicta in c. j. ſup. quo tempore miles. Et nota textum in fin. quòd vaſallus non amittit feudum ex omni cauſa, per quam accepti beneficij videatur ingratus. §. illud. quæ fuit prima cauſa beneficij amittendi ſecundum Bal.

§. Si vaſallus.

Allegatur textus iſte varijs modis, ſed ſecundum Aluaro. ſic: feudum quo vaſallus priuatur ex ſua culpa per ipſum cõmiſſam in perſonam alterius quàm domini aperitur agnatis excluſo domino, ac deſcendentibus ipſius vaſalli. Et concordant omnes quod iſte textus loquitur in feudo antiquo, & delicto commiſſo in alium quàm dominum. Sed quidam alij voluerunt intelligere iſtum textum, quòd in tali feudo non admittantur agnati, niſi exiſtentes in quarto gradu, vel abinde ſupra, non autem infra quartum gradum, & mouentur per iſtum textum: item & ratione, quòd quemadmodum deſcendentes ex dicto ſanguine excluduntur, ita

& pa-

& pari ratione debeant excludi collaterales, vſque ad quartum gradum propter ſuſpicionem: quia ſæpe ſolet eſſe ſimilitudo & audacia argu. l. quiſquis. C. ad l. Iuliam maieſtatis. ſed Alua. intelligit textum, quòd nedum in quarto gradu admittuntur, ſed etiam ſi ſint infra quartum gradum, primo, ſecundo, & tertio, & etiam vltra in infinitum: & intellige iſtum textum de culpa proueniente ex delicto, non autem ex contractu: tu autem tene opinionem Iacobi de Beluiſo. & Bald. & per iſtum textum & per rationem eorum, quæ non eſt ſublata. nec gloſ. iſta videtur hoc probare, & eſt ſpeciale in hoc caſu per rationem aſſignatam.

§. In generali.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus alienando omnia bona ſua non intelligitur alienaſſe feudum, niſi de eo ſpecialem mentionem faciat. Et ſic in dubio non debemus præſumere, quòd voluerit vendere feudum, cùm ex illa venditione incideret in pœnam perdendo feudum. Et nota ſecundum Docto. quòd ſi dominus dat mihi in feudum totum caſtrum vel villam, intelligitur etiam dediſſe ius patronatus eccleſiæ, quæ erat in dicto caſtro vel villa: ſecùs ſi daret in feudum vnum fundum. Innocen. in c. cùm ſæculum. de iure patro. Nec feudum venit in generali reſtitutione fideicommiſſi. de quo vide per Bald. in l. cùm virum. C. de fideicommiſſ. Quærit Bald. hîc, quidam detine-

detinet debitorem meum, & per hoc nonpoteſt mihi ſatisfacere ex operis, an poſſum ab eo repetere iſtum debitorem? & Bald. quòd non. allegat Inno. in c. dilectus. de appel. quia nõ habeo in eo ius reale, ſicut habeo in vaſſallo & aſſcriptitio, & in omnibus qui tenentur ad numera. Poſſum tamen agere actione iniuriarũ, vel de dolo: ſi ſecùs detinet meum debitorem, dicit etiam Bald. quòd poſſum agere interdicto de Libero homine exhibendo, & præferor alijs propter ſingulare intereſſe.

§. Si vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd feudum venditum ignoranter à vaſallo tanquam proprium, eſt ſibi reſtituendum, ſed tenetur emptori ad intereſſe. Et ſi tu vis habere exemplum, quomodo vaſallus poteſt ignorans alienare feudum, dicas quòd forte ſucceſſit illi, qui multo tempore non ſeruiuit, quia non fuerat requiſitus à domino, non excuſatur tamen vaſallus ignorans ab intereſſe ipſius emptoris, vt hîc: & intellige quando emptor fuit ignorans, ſecùs ſi ſciens, quia ſcienti & volenti non fit iniuria, neque dolus. l. cùm donationis. C. de trãſact. Et per iſtum textum habes limitationem ad textũ qui ſolet reputari ſingularis in l. fina. §. fin. ff. de lega. ij. vbi ignorantia firmat alienationem, quæ aliàs nõ valeret, quia ille textus loquitur de re, quæ ſui natura erat alienabilis, hîc non. Et emptor ſecundum Bal. poterit retinere feudum, donec ſibi reſtituatur precium vaſallo agente, ſecùs ſi dominus ageret in cõtumaciam vaſalli.

Et

Et creditur vaſallo alleganti ignorantiā, quando ſucceſſit in ius alterius: ſecùs ſi haberet aliquas præſumptiones contrà, quia tunc ignorantia non eſſet tolerabilis, vt quia ipſe idem aliàs fuiſſet inueſtitus. Et nota ſecundum Bald. quòd ſi hæres emphyteota ignoranter vendidit fundum emphyteoticum, quòd nō cadit à iure ſuo, vnde dominus reuocare volens, habet probare ſcientiam, quod eſt notatu dignum ſecundùm Bal.

§. Vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus ſcienter negat feudū, amittit illud: vbi verò dubitatur, an ſit feudum, debet dubitanter reſpondere. Et intellige textū, quando dominus dicebat illum eſſe vaſallum, & tenere feudum ab eo, & ipſe negauit & conuincitur de mendacio, de quo in c. fin. de lege Corra. Et intellige ſecundum Dd. quòd totum feudum perdit, ſi totum negauit, et partem, ſi partem negauit. Ignorantia tamen excuſat vaſallum à pœna mēdacij, vt hîc. quod intellige, niſi eſſet craſſa & ſupina. Habes etiam hîc, quòd dubius poteſt dubitanter reſpondere: dabitur tamē ſibi terminus ad ſe informandum, & ſi non reſpondeat, poterit lis cōteſtari contra ipſum, ſecundum Docto. Et nota, quia Bald. hîc allegat vnam legem, quam dicit notabilem in l. alio iure. C. de in litē iuran. quòd licet hæredibus vſurariorum credatur, qui dicunt ſe non habere codices rationū, hoc verū niſi eſſet lis conteſtata cum defuncto.

Q §. Bene-

§.Beneficium.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus poteſt feudum ſuum alteri infeudare ſibi æquali, dummodò ſine fraude faciat. Et ſic habes, quòd vaſallus, qui non poteſt alienare feudum ſine domini voluntate, poteſt tamen infeudare, dummodò infeudet æquali ſub eadem lege & ſine fraude, ne ſub colore inueſtituræ illud vendat. & ideo debet infeudare abſque aliquo precio, & accepto precio præſumitur factum in fraudem ſecundum Dd. quia hoc non eſt damnum domino, qui habebit in vaſallum illum, cui dabitur, qui erit æqualis primo.

§.Si vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd illud, quod fit per vaſallum, de ſuo feudo ſiue per iudicium, ſiue per tranſactionem, debet haberi ratum per dominũ. & id, quod datur ſub nomine tranſactionis, non cenſetur feudum. Et probat textus iſte, quòd vaſallus habet legitimam perſonam comparendi in iudicio pro re feudali & in agendo, & defendendo. & tale iudicium erit validum, & proderit, & nocebit domino, ſiue ignoranti, ſiue ſcienti, dummodò non fiat fraudulenter. & ſi vaſallus potuit denuntiare domino, & non denuntiauit, tunc eo ipſo eſt commiſſa fraus ſecundum Bald. quod eſt notab. Aliqui tamen tenent, quòd ad hoc, vt præiudicet domino ignoranti, requiritur, quòd veniat ex perſona vaſalli: ſecùs ſi veniret ex perſona propria. Habes etiam ex

textu,

textu, quòd illud, quod nomine tranſactionis percipitur, non ſuccedit loco rei. quod intellige, quando percipitur aliquod extrinſecum: ſecùs ſi aliquod intrinſecum, puta pars ipſius feudi: quia tunc quod retinet, non intelligitur acquiri nouo titulo ſecundum Bald. Et quia contra iſtum textum facit, quòd ſententia lata in perſonam vaſalli non debeat nocere domino, per regulam, Res inter alios acta. & ideo pro intellgentia facias iſtas concluſiones ſecundum Doctores. Prima eſt ſecundum Bald. quòd vaſallus hîc denuntiauit domino, vel ſaltem fecit quod potuit, vt dominus ſciret, ita, quòd dominus ſciuit vel ſcire potuit. Secunda eſt concluſio, quòd ſi vaſallus agit contra alium vaſallum poßidentem feudum, & vterque dicit ad ſe ſpectare iure feudi, & ab eodem domino, cùm cauſa iſta ventiletur coram domino feudi, cùm non poßit prætendere ignorantiam dominus, in futurum volens agere ex perſona victi, repelleretur exceptiõe rei iudicatæ. Tertia eſt cõcluſio, ſi vaſallus agit ad rem quã dicit feudalem cõtra alium poßidentẽ, qui dicit illam rem eſſe ꝓpriam, tunc vaſallus agens habet probare duo. Primò, quòd ille, qui ſibi infeudauit, eſt dominus: item quod dedit ſibi in feudũ: quæ ſi non probat, abſoluetur poßeßor, et ſi iſto caſu vellet venire dominus ex perſona victi, dicens quòd erat vaſallus, et quòd deceßit ſine hærede, vel quod cõmiſit delictũ, ex quo feudum eſt ſibi deuolutum, repelletur exceptione rei iudicatæ, ſiue ſciuerit, ſiue ignorauerit

de primo proceſſu & iudicio, vt in iſto textu. Quarta eſt concluſio, ſi dominus vellet vendicare iure proprio, vt quia vellet vendicare rem illam tanquã propriam ſibi non praiudicaret: quia nunc agit de iure ſuo, quia non poßit prohibere vaſallum victum, quòd nõ deduceret ius ſuum: ergo non debet ſibi nocere, etiamſi fuiſſet ſciens. l. ſæpe. ff. de re iudica. Quinta eſt concluſio, ſi vaſallus poßidet, & ab alio conueniatur in iudicio, qui dicit di-ctam rem ſpectare ad ſe iure proprio, & tunc ſi agens obtineat, fiet præiudicium domino ſcienti: ſecùs ignoranti. & eſt ratio, quia iſta cauſa erat principaliter vaſalli: debebat enim dominus defendere cauſam, ſiue dominus veniat ex perſona propria, ſiue ex perſona vaſalli. & ſic ex prædictis teneas, quòd iſte textus habet locum, quando dominus ex perſona vaſalli victi vellet venire, quia ſiue ſciuerit, ſiue ignorauerit, iudicium agitatum ſemper erit firmum, etiam in præiudicium ipſius domini: quia vaſallus de ſuo iure agere potuit, nec potuit per dominum impediri. Et ex iſto textu habes limitationem ad iura, quæ dicunt quòd feudũ non poteſt alienari inuito domino: quia illud procedit in alienatione voluntaria: non autem in neceßaria, quæ fit per ſententiam, cùm iudiciũ reddatur in inuitum. l. inter ſtipulantem. §. Stichum. ff. de verb. obliga. Et dum textus loquitur de tranſactione, intelligitur quòd fit præiudicium domino, quando vaſallus denuntiauit domino, vel per ipſum nõ ſtetit, vel quòd præiudicat domino, quando vel-

do vellet venire ex perſona vaſalli: ſecùs ſi iure proprio. Et ſi tu vis ſcire, an talis ſententia præiudicet cæteris agnatis, ſicut præiudicat domino: & dicas, quòd ſi in ipſo iudicio fuit diſceptatum de iure omnium agnatorum, & ſcientibus ipſis agnatis, præiudicabit: aliàs non per d. l. ſæpe. & eſt differentia inter agnatos & dominum: quia ius, quod erat apud vaſallum, victum erat futurum apud alios agnatos ſequentes, & non diuerſum. meritò ſemper ſi veniunt, eſt neceſſe quòd veniant ex perſona propria, & non ex perſona victi: quod ſecùs eſt in perſona domini. ſed in caſu, quo agnati poſſunt venire ad reuocandum, an ſint excluſi viuente ipſo vaſallo, ita quòd ſit neceſſe expectare mortem ipſius vaſalli: & cōclude quòd ſic, per ea quæ notantur in. §. hoc quoque. ſup. de ſucceſſ. feu. & ibi per glo. tranſactio tamen non præiudicat alij agnatis etiam ſcientibus, ſecundum Dd.

§. Domino.

Allegatur textus iſte, quòd dominus ex culpa per eum commiſſa in perſonam vaſalli vel alterius, priuatur proprietate feudi, quæ applicari debet ipſi vaſallo, dummodò ex eadem culpa vaſallus amiſſurus fuiſſet feudum, ſi eam commiſiſſet: & ſic habes, quòd dominus eadem fide obligatus eſt vaſallo ſuo, qua vaſallus obligatus eſt ipſi domino. gl. in c. de forma. xxij. q. v. nam ſicut per delictum vaſalli in dominum commiſſum, conſolidatur vtile dominium vaſalli cum proprietate domini. §. fina. quæ fuit prima cauſa benefi. amitten. ita per delictum

domini commiſſum in vaſallum, conſolidabitur directum dominium ipſius domini cum vtili dominio ipſius vaſalli, vt hic. & potes intelligere iſtum textum, vt ſeruetur æqualitas in feudo nouo, quod ex delicto domini in alium commiſſo quàm in vaſallum ſemper reuertatur proprietas feudi in vaſallũ excluſis omnibus agnatis & deſcendentibus domini. ſimiliter in feudo antiquo, quoniã ſicut ex delicto cõmiſſo per vaſallum in alium quàm dominũ, feudum non debet tranſire in dominũ, ſed debet remanere apud proximos agnatos vaſalli, excluſis filijs: ita ex delicto cõmiſſo per dominum in alium quàm in vaſallũ, debet feudum, ſi eſt antiquum, remanere apud agnatos ipſius domini excluſis filijs, & nõ apud vaſallũ: & ita erit æqualitas. & iſte tex. dum dicit, In aliũ, poteſt intelligi ſimpliciter, & tunc loquitur in feudo nouo. vel poteſt intelligi, In aliũ, quòd iſtud delictum cõmiſſum tangat in conſequentiã ipſum vaſallum, vt quia verberauit famulũ vaſalli in opprobrium domini. Et ſi bona vaſalli debent cõfiſcari, non confiſcabitur feudum, ſed tranſibit aut ad dominum, aut ad agnatos, de quo per Bart. & modernos in l. ſi finita. §. ſi de vectigalibus. ff. de damno infecto.

§. Feudum.

Allegatur textus iſte, quòd feudum conceſſum eo pacto, vt inueſtitus & hæredes ſui tam maſculi quàm fœminæ, & cui dederint, habeant, retinet naturam feudi, donec eſt apud eos, & amittitur ex eiſdem culpis, quibus

bus & alia feuda: cùm verò fuerit alienatũ, deſinit eſſe feudum. Et nota hoc verbũ, Dederint. & ſic quoquo titulo poteſt res transferri nõ ſolùm iure feudi, ſed etiam iure donationis & venditionis, & cuiuſlibet alterius alienationis ſine voluntate domini. & poſtquam talis ꝓprietas eſt alienata, nunquam culpa ipſius vaſalli nocebit emptori. & eſt ratio, quia emptor non tam habet cauſam à vaſallo, quàm à domino, qui dedit ei hanc poteſtatem quod potuit. l. in re mandata. C. manda. & ſic per pactũ receditur à propria natura: tamẽ quouſq; eſt tale feudum apud vaſallum, ſi committit culpam, amittit illud, licet non habeat propriam naturam feudi: quia donec eſt apud eum, eſt ligatus vinculo fidelitatis, nec dominus poteſt reuocare talem inueſtituram per pœnitentiam ſecundum Dd. l. ſicut. C. de actio. & obliga. Et nota, quòd iſta clauſula, de qua in textu, eſt poſita cauſa ampliandi, & ideo debet aliquid operari, et ideo iſta verba important perſonam extraneam.

§. Titius.

Allegatur textus iſte, quòd pactum perſonale appoſitum de non petendo feudum à certis perſonis non extenditur ad perſonas nõ expreſſas. Nota ergo, quòd pactum factum de nõ petendo feudum à fratre fratri recipienti pro ſe & hæredibus ſuis, intelligitur de liberis hæredibus: nam in feudo appellatione hæredis non continentur extranei, etiamſi de hæredibus fiat mentio in modum liberationis, & ſic liberatio reſtringatur,

 quod

quod eſt notabile ſecundum Bald. & idem putat in renuntiatione:nam renuntiatio habet vim pacti perſonalis, quando fit contemplatione perſonæ.l.iubemus. C. ad Velleianum.

DE PACE TENENDA ET eius violatoribus.

TITVLVS XXVII.

Quia ſuprà tractatum eſt de contentione & controuerſia orta occaſione feudi:nunc verò ponit de compoſitione, ſcilicet de pace tenenda & componenda.

Friderichus.

Allegatur textus iſte, quòd pax tanquam neceſſaria ab omnibus eſt deſideranda, ſeruanda atque cuſtodienda. Quærit Bal.hîc, nunquid videatur rumpere pacem ille, qui propter nouam diſcordiam alterum offendit? et dicit, quòd Dd.communiter tenent quòd non. & tu allega Bal.in l.aut facta.§.cauſa.ff.de pœnis. Et nota pulchra verba Imperatoris ibi, Dignū eſt, vt cuius præcellimus munere, ita omninò pareamus in opere. Et nota textum in verbo, Declarabitur, quod proœmium per textum declaratur.

§.Si quis hominem.

Allegatur textus iſte, quòd ſi quis alium occiderit infra pacē, debet decapitari: ſecùs ſi ex neceſſitate cauſa ſe defendendi, & hoc per duellum probauerit. Et ſic habes hîc, quòd voluntarius homicida intra pacem debet decapitari. & ratio eſt, quia eſt perturbator pacis. l.fin.

l.fin.ff.de re militari. Probat etiam textus iſte, quòd ſuper manifeſto iudex nõ debet admittere friuolas probationes, nec immorari in ambagibus: & ideo dici ſolet, Quod patet expreſſe, non poteſt negari prodeſſe. l. ea quidem. C. de accuſat. Probat etiam textus iſte, quòd quis ſe defendendo poteſt alium occidere, de quo in l. vt vim. ff. de iuſti. & iure. in l. j. C. vnde vi. Et nota. ſecundum glo. & Dd. quòd illa, quæ ſtatuuntur hîc in violatore pacis, habent etiam locum in violatore treugæ. Et nota gl. hîc, quæ enumerat caſus, in quibus fit duellum, ſed hodie iſta ſunt prohibita de iure Communi, Canonico & Ciuili, de quo in c. j. de cleri. pugnan. in duello. in tit. de purga. vulga. & in tit. C. de gladiato. lib. xj. Nota etiam ſecundum glo. quòd iſte textus procedit, ſi aliquis occidiſſet propter tutelam filiorum vel coniunctorum vel bonorum ſuorum, quia aliter non poterat conſeruare, quòd excuſatur à pœna huius legis, de quo in d. l. vt vim. ff. de iuſti. & iure. in l. furem. ff. ad l. Cor. de ſica. Nota etiam ſecundum Dd. quòd iſte textus non habet locum, ſi aliquis commiſit homicidium extra fines imperij, & poſito, dum eſſet in terris imperij accuſatur, quia debet puniri pœna, quæ erat ſtatuta in loco delicti, de quo per Bar. in l. cunctos populos. C. de ſumma trini. Et nota ſecundum Bald. hîc, in verbo, Voluntariè, quòd hoc in dubio præſumitur.

§. Si verò violator pacis.

Allegatur textus iſte, quòd ſi committens homici-

dium intra pacem, & fugiat, bona eius mobilia publicantur: immobilia verò hæredibus relinquuntur, præſtito ab eis iuramẽto, quòd nullũ inde præſtabunt emolumentum homicidæ: quòd ſi cõtra fecerint, priuantur dictis bonis, & fiſco applicantur: quibus cõfiſcatis, Princeps dabit, cui voluerit. Nota hîc textum ſingularẽ ſecundũ Bal. quòd bona mobilia cenſentur eſſe de eius territorio, vbi reperiuntur: quia illi populo vel fiſco illius loci confiſcantur. Eſt etiam textus hîc nota. quòd propter contumaciam delinquentis bona immobilia hodie non applicantur fiſco, ſed reſeruantur proximis. Probat etiã textus iſte, quòd filius non poteſt alimentare patrem bannitum vel hoſtem: quod ſi fecerit, punitur in amiſſione bonorum, quæ ſibi erant conceſſa, ne patrem aleret: & ſic quis priuatur debito iure naturæ propter bannum. Sed vt dixi in repetitione c. inter alia. de immu. eccleſ. non videtur mihi, quòd textus iſte probat hoc. & Aluaro. hîc allegat Barto. in l. ſi quis à liberis. §. vtrum. ff. de libe. agnoſcen. ſed Barto. ibi non dicit aliquid de patre bannito. Et quia hîc fit differentia inter bona mobilia & immobilia, quæritur quid de fructibus: & dicas ſecundum Docto. quòd ſi ſunt ſeparati, iudicantur inter mobilia: ſecùs ſi ſunt pendentes. l. defuncta. ff. de vſufruct. l. fructus pendentes. ff. de rei vendica. Quæritur etiam, quid de penſionibus: & dicas, quòd iudicantur inter mobilia, ſi iam ceſſit dies penſionis: aliàs ſecùs. & annuæ præſtationes ad longum

tempus

tempus computantur inter immobilia. Et ſi iudex habeat generale arbitrium, non poteſt omnia bona publicare. Et quia Aluarot. hîc tangit, an in confiſcatione veniant iura conditionalia, vide quæ dixi in alphabeto in verbo, Bannitus. Nota etiam iſtum textum ſecundum Bald. in verbo, Tali conditione, quòd in ſententia poteſt apponi modus, & quòd ille debet ſeruari, ſicut conditio. l. cùm eorum. l. cùm iudex. C. de ſenten. & int. om. iud.

§. Si quis alium.

Allegatur textus iſte, quòd vulnerans aliquem voluntariè intra tempus pacis, amittit manum: ſecùs ſi probauerit per duellum hoc feciſſe neceſſariò ad ſui defenſionem. Vbi verò talis vulnerans aufugit, tunc contra ipſum procedetur ſecundum formam. §. præcedentis. Non poteſt ergo aliquis alium impunè vulnerare, niſi faciat neceſſariò animo ſe defendendi, & pro tali vulnere illato tempore pacis, imponitur pœna manus. Et nota pro declaratione textus in l. j. §. Diuus. ff. ad l. Cor. de ſica. quòd ſi aliquis habet animum occidendi, ſed tantùm vulnerauerit, & tunc punitur tanquan homicida, vt ibi: ſi autem quis habet tantùm propoſitum vulnerandi, & non occidendi, & tunc tantùm punitur de vulnere, vt hîc. Et vide quæ poſui in alphabeto, in verbo, Homicidium: quia legibus punientibus conatum eſt derogatum hodie per generalem conſuetudinem, per ibi deducta.

Et

Et nota, quòd illa manus debet amputari ſecundum Dd. cum qua delictum perpetrauit: ſi autem dubitatur, cum qua vulnerauit, tunc recurre ad ea, quæ habentur per Dd. & glo. in authen. ſed nouo iure. C. de ſer. fugi. Et nota ſecundum Dd. quòd ſi violator pacis homicida decapitetur, & vulneranti manus amputetur, non confiſcantur bona. Nota etiam ſecundum Dd. quòd pœna, quæ imponitur hîc, & in. §. præcedenti, habet locum contra turbatores pacis ſingularium perſonarum, vt quando duo inimici fecerunt pacem, & dederunt ſibi fidem faciendo ſaluum conductum.

§. Si quis aliquem.

Allegatur textus iſte, quòd ſi quis percutiat alium intra pacem ſine ſanguinis effuſione, ſiue cum fuſtibus, ſiue barbam vel crines pilando, vel aliter manu percutiendo, punitur pecuniariter pœna hîc deſcripta: quam pœnam ſi non ſoluat, vel pignus pro dicta pœna traditum non luat, procedetur contra eum modo & forma hîc deſcriptis. Et ꝓbat tex. iſte, quòd eſt maior iniuria, quòd quãdo quis barba aut crinibus expilatur, quàm quando pugnis ſeu manu percutitur: quia imponitur maior pœna, vt hîc: & ideo pecuniariæ creſcũt et decreſcũt ſecundum qualitatẽ delictorum. in l. fi. C. de modo mulcta. Et ſolet dubitari, an illæ condemnationes, quæ ſunt taxatæ à lege vel ſtatuto in forma librarũ, vt hîc, debeant ſolui ſecundum tempus legis conditæ, an ſecundum tempus hodiernum? & videtur concludi per Dd. quòd

quòd ſecundum tempus hodiernum, de quo per Bald. in l. illud. C. de ſacroſan. eccle. Probat etiam textus iſte, ex eodem delicto condemnatur quis parti læſæ & Reipub. tu allega optimum textum in l. locatio. §. quod illicitè. ff. de publica. Probat etiam textus iſte, quòd condemnationes pecuniariæ, quæ fiunt in terra alicuius Comitis vel Baronis, ſpectant ad eum, non ad Principem: ſecùs ſi confiſcantur bona, quia illa ſpectant ad fiſcum Principis, non autem ad ipſum Comitem vel Baronem, vt in iſto textu. Limita tamen hoc tribus modis. Primo, vt nõ procedat in bonis feudalibus delinquentis, quæ erant de menſà Comitis vel Baronis: quia tunc talia bona redeunt ad ipſum Comitem, non ad Principem. §. illud. inf. de prohibita aliena. feudi. per Federi. Secundo limita hoc, niſi vaſallus delinquens haberet agnatos, tunc ſi eſſet antiquum, rediret ad agnatos, vt dictum eſt ſup. in. §. denique. quæ ſit prima cauſa benefi. amitten. Tertio limita, quod dictum eſt ſup. niſi ex cõſuetudine approbata per Principem bona confiſcata ſpectarent ad Comitem, quia tunc filius Principis ſe non impediret, inf. de pace Conſtanti. in princ. Et vide quæ dixi in meo alphabeto in litera M, in verbo, Mulcta. Bald. hîc adducit multa circa materiam authen. bon. è damnorum. C. de bonis proſcrip. & inter alia dicit: Pone, quòd iudex expreſſè dicit in ſententia, quòd confiſcantur bona, à qua ſententia filij vel parentes nõ appellauerunt, nunquid talis ſententia tranſeat in rem iudicatam? & tenet

net

net quòd non, per textum in d. authenti. quia iudici eſt abrepta à lege iuriſdictio in hoc. Item allegat Bald. glo. quam dicit ordinariam, in c. ſi iudex laicus. de ſenten. excommu. in 6. quòd ille, qui detinetur in carcere, ita vt detineri non poßit, non debet banniri. Et nota ſecundum Bal. quòd bannire eſt extra protectionem ciuitatis ponere. Nota etiam, quod Bald. hic tractat de duello, et dicit, quòd ille, qui prouocat alium ad duellum impingens ei crimina, tenetur probare per indicia et coniecturas: quia pugna æquiparatur torturæ, quæ non debet fieri nullis indicijs præcedentibus: quæ autem indicia ſufficiant, cōmittitur arbitrio eius, qui habet publicam auctoritatem ſuper hoc, alioquin quilibet deſperatus aliū ad pugnam prouocaret ſine cauſa, quod eſt abſurdum ſecundum Bal. Et nota hoc, quia in Italia ſæpe contingit, quòd duo contendunt armis, maximè lenones propter aliquam meretricem, quam quilibet eorū dicit eſſe ſuam, & datur quandoque eis campus. Quærit etiam Bal. nunquid ille, qui moritur in pugna, moriatur ſeruus pœnæ? & concludit quòd non, quia eſt ſimilis illi, qui moritur in tormentis, qui adhuc nō eſt damnatus: ex quo ſequitur, quòd ſuum teſtamentum nō rumpetur. Quærit etiam Bald. nunquid, poſtquam ſunt in campo poſiti, de communi conſenſu poßint pœnitere? & reſpondet quòd non, niſi abolitio concedatur à ſuperiore. Quærit etiam, ſi die aßignata duelli vnus alium ſuperare non potuit, tam diu ſit bellandum, donec vnus victor

victor, alter victus appareat? & reſpondet, quòd is, qui ſe probaturum iactauit, niſi die aſsignata probet, non eſt vlterius audiendus.

§. Si clericus.

Allegatur textus iſte, quòd clericus in iudicio conuictus de pace violata, vel quòd violatorem receptauit, punitur pecuniariter in decem libris perſoluendis præſidenti laico, Epiſcopo verò ſecundum ſua ſtatuta: ſi verò contumax & inobediens extiterit, tunc acrius puniri debet. Et ſic violator pacis, & receptor violatoris pacis pari pœna puniuntur, vt hîc & in l. j. ff. de receptat. Et intellige deſcienter receptante. Et dicitur receptare vel per cohabitationem, vel per contubernium, ſodalitium: punitur tamen mitiùs, quando fuiſset receptatus coniunctus ſanguine, vt in l. ij. ff. eod. tit. Sed hodie iſta deciſio nihil valet, quia Imperator non habet poteſtatem ſtatuendi de clericis, ſecundum Docto. per ea quæ habentur in c. at ſi clerici. in c. cùm non ab homine. de iudi. c. j. de cleri. coniuga. in 6. Sed hoc non placet Aluaro. quia videtur ſibi abſonum dicere, quòd Imperator voluit ſtatuere contra prædicta iura ſine aliquo colore, cùm in principio huius legis dicat, quòd vult leges tam diuinas quàm humanas manere in ſuo vigore. Et ſciebat, quòd etiam de iure ciuili laici non poſſunt ſtatuere contra clericos. authent. ſtatuimus. C. de epiſc. & cle. Et ideo dicit ipſe, quòd poteſt dici, quòd hic Imperator nõ ſtatuit aliquid de nouo, ſed recitat ſacras

regu-

regulas & canonica ſtatuta, quæ hoc dictabãt. Sed vellem ſcire ego, vbi ſunt iſtæ ſacræ regulæ: vel dicit ipſe, hoc facit Imperator pro ſalute vniuerſali de licẽtia Papæ: ſed mirum eſt, quòd non fiat mentio Papæ. Et tamẽ Imperatores fecerunt etiam multa iura de eccleſijs & clericis, quæ non tenent hodie, vt in titu. de ſacroſan eccle. & de epiſco. & cle. Et dicit Bald. hîc, quòd Imperatori diſplicebant priuilegiata maleficia. Et nota vnam glo. notabilem, quam allegat Bal. hîc, quòd ipſo iure eſt nullum, ſi legitima citatio facta non fuerit, quicquid ſecutum eſt ex ea in l. ſi accuſatoribus. C. de accuſa. in vltima glo. Et ſi de crimine clerici fuit lata ſententia per ſuum Prælatum, ex quo crimine veniret feudo priuandus dominus feudi, qui eſt laicus, poſſet ſibi feudum auferre, & ſi fuiſſet abſolutus de dicto crimine, non poterit amplius ex dicto crimine ſibi auferre, de quo per Cardi. in c. verùm. de foro comp. in v. q. & per Alua. hîc.

§. Si iudex.

Allegatur textus iſte, quòd dominus caſtri, in quod violator pacis aufugit, debet illum, ſi ibi nõ habet manſionem, ad inſtantiam iudicis ducere pro facienda iuſtitia: ſecùs ſi ibi manſionem habeat, quia tunc ipſum adducere non compellitur, ſed ſolùm omnia bona mobilia ipſius præſentare, de cætero tamen ipſum in domo ſua non recipiat. Et ſic domini in terris ſuis non debent protegere malefactores, facit quod habetur in l. congruit. ff. de offi. Præſi. Probat etiam textus iſte, quòd eſt

magis priuilegiatus habens habitationē in loco, quàm non habens. Et ratio eſt, quia iſte, qui habet habitationem, non poteſt dici profugus, ſed eſt reuerſus ad domū ſuam, quæ debet eſſe ſibi tutiſſimum refugium. l. plerique. ff. de in ius vocan. Et intellige iſtum textū, quando malefactor eſt deprehenſus in flagranti crimine, & tunc quocunque vadat, eſt inſequendus, vt hîc: ſed tamen dominus loci, in quo habet habitationem malefactor, non tenetur tradere petenti, debet tamen illum expellere à ſe de terra ſua, nec dare ſibi receptaculum d. l. congruit. Et ſi diceretur, iſte delinquens poterit puniri in loco ſui domicilij. in l. j. C. vbi de cri. agi opor. reſpondetur, quòd hîc hoc non petebatur, ſed petebatur quòd remitteretur ad locum delicti. Et debet remitti iſte fugitiuus ad iudicem expenſis illius, qui pro ſuo intereſſe petit illum remitti. gl. eſt ſingularis in l. ſi C. de eroga. mili. anno. lib. xij. ſi autem iudex ex officio petit, tunc expenſis publicis illius loci, ad quem remittitur ſecundum Bald.

§. Si duo.

Allegatur textus iſte, quòd vbi inter plures vendicantes feudum oritur contentio, quis eorū debeat præferri, ſi vnus legitimè probauerit ſe legitimè inueſtitū ſine aliqua violentia, debet obtinere: ſi verò eſſet conuictus de violentia, debet ſuccumbere: ſed ſi de nouo poſtea inueſtituram acquirat, poterit de nouo ad dictum feudum agere. Nota ergo iſtum textū, quòd vbi ſunt plu-

res competitores inuicem ſe impedire volentes, ille primò debet admitti ad probandum, qui maiores habet pro ſe præſumptiones. quæ præſumptiones & informationes poßunt ſumi etiam à teſte noniurato, vt voluit hîc glo. quæ eſt ſingularis ſecundum Bal. Probat etiam textus iſte, quòd vnus ex competitoribus poteſt infringere competitorem ſuum ex delicto in ſe commiſſo: qui delinquens punietur, ex quo delicto ſuccumbere etiam debet in cauſa: & per inuaſionem amittit ius quod habebat in feudo, vt hîc. & l. ſi quis in tantam. C. vnde vi. Et ſcias, quòd verus intellectus iſtius textus eſt, quòd iſti duo contendentes de eodem beneficio agebant contra tertium poßidentem feudum, ita quòd quilibet pro iure ſuo volebat vendicare dictum feudum, & confundebant ſe vicißim, aßerentes quilibet eorum dictũ feudum ad ſe ſpectare: ex qua cauſa eſt quæſtio inter eos agentes, quis eorum debeat præferri in illo iudicio ad vendicandũ dictum feudum. Intelligas etiam textum, ne obſtet. l. ſi quis in tantam. C. vnde vi. quòd tempore, quo inuaſit & violentiam commiſit, nondum habebat ius & dominium in feudo: quia nunquam fuerat inueſtitus: vnde ſi agendo ſuccumbat, & ſoluat duplum propter illam inuaſionem, & poſtea de nouo acquirat ius in dicto feudo, quia ſit inueſtitus à vero domino, poterit de nouo agere, & illud vendicare iuſtitia mediante, nec obſtabit ſibi exceptio rei iudicatæ: quia ex noua cauſa habet dominium. l. ſi mater. §. eandem. ff. de exc

cept.

cept. rei iudicatæ. Et nota, quòd licet iſte produxerit inueſtitorem, & ſic videatur, quòd probauerit ſe inueſtitum, & quòd non haberet vlterius probare ſe acquiſiuiſſe illud abſque rapina: quia probando ſe inueſtitum, videtur ſufficere. tamen quia dictum inueſtitoris non fuit deductum ad probationem principalem, ſed ſolùm ad informationem Comitis, vt tolleretur diſcordia inter ipſos competitores, videlicet quis eorum deberet priùs admitti ad probandum: præterea iſte dominus inueſtitor non poteſt eſſe ſufficiens teſtis de per ſe, tum quia inueſtitura debet probari per Pares Curiæ, ſi eſt feudum nouum, tum quia ſi eſſet antiquum adhuc, quia teneretur de euictione, non videretur eſſe ſufficiens. l. omnibus. C. de teſti. & ideo neceſſe habet probare ſe acquiſiuiſſe illud abſque rapina.

§. Si tres.

Allegatur textus iſte, quòd quando plures allegant diuerſos inueſtitores, oritur contentio ſuper eodem feudo, quis eorum poſſideat, ille debet obtinere & poſſidere, qui fuerit probatus pacificus poſſeſſor ſine violentia per duos teſtes eiuſdem prouinciæ, reſeruato iure aduerſæ parti in petitorio. Collige ex hoc textu, quòd in probanda poſſeſſione ſufficiunt duo teſtes, nec requiritur, quòd iſti duo teſtes ſint de Paribus Curiæ, cùm indiſtinctè loquatur, & iſtud eſt regulare. l. vbi. ff. de teſti. & quòd probatio poſſeſſionis fit melius per eos, qui

ſunt de regione, quàm per alios: quia melius præſumuntur ſcire quàm remoti, facit quod habetur in l. ſi vicinis. C. de nup. Et in iſto caſu iudex ordinarius eſt competens iudex: quia non conſtabat apertè de domino, quia dicti vaſalli producebant diuerſos inueſtitores: ſecùs vbi litigantes producerent eundem inueſtitorem, & ſic conſtaret apertè de domino. Et iſti teſtes duo non reperiuntur in eadem prouincia, ſed in alia, poterunt recipi & examinari extra prouinciam ſecundum formam. l. iudices. cum authen. ibi poſita. C. de fide inſtrumen. Et intelligas textum, quòd iſti teſtes producantur à parte, & in forma iudicij debent examinari poſt litē conteſtatā, prout eſt regulare, vt in tit. vt lite non conteſta. per totum. licet aliqui velint, quòd iudex ex officio ſuo poſſit hoc facere, pro inquirenda veritate.

§. Si ruſticus.

Allegatur textus iſte ſecundum vnam lecturam, quæ magis cōgruit litera, quòd ſi ruſticus accuſat militem de pace violata, iurando, quòd non facit animo calumniandi, debet dictus miles ſe purgare per ſuū iuramentum, & per ſacramentum aliorū quatuor teſtium hoc idem affirmantium. Habes ergo ex textu, quòd ruſticus non accuſet militem, niſi iuret, quòd non facit per calumniam, & de purgatione, de qua in textu per glo. & Dd. in c. inter. de purg. cano. Et intelligas iſtum textū, quando accuſabatur de pace violata ſinè ſanguinis effuſione: quo caſu eſt pœna pecuniaria, & fit purgatio per teſtes:

teſtes:ſecùs ſi pax violatur per ſanguinis effuſionẽ: quia tunc eſt pœna corporalis, & ſit purgatio per pugnam. ſup.eo.§.j.et.§.ſi quis aliũ. Et ſi ruſticus accuſaret militem de pace violata cum ſanguinis effuſione, tunc poſſet indicere pugnam militi. & non obſtabit textus.inf.eo. §.ſi miles.vbi ignobilis non poteſt indicere bellum militi:quia intelligitur textus, vt ipſe miles teneatur pugnare perſonaliter, ſed dabit campionem pro ſe æquè idoneum ad pugnandum cum ruſtico, vt hîc:fiet ergo pugna ex parte militis per campionem.

§.Si miles.

Allegatur textus iſte, quòd ſi ruſticus eſt accuſatus per militem de pace violata, ſe purgare tenetur aut diuino, aut humano iudicio, vel ſeptem teſtibus legitimis eligendum per iudicem. Et quia in textu ſit mentio de purgatione, quæ ſit humano iudicio aut diuino, habe exemplum de diuino: quia diffamatus de crimine portabat ferrum ignitum in manu de loco ad locum, & ſi remanebat aduſtio, puniebatur:ſi non remanebat, abſoluebatur, tanquam diuinitùs eſſet probatum. De humano iudicio habe exemplum de pugna & duello: quoniam putabant antiqui, quòd pugnans vinceret, ſi diceret verum, aliàs ſuccumberet. iſta omnia ſunt reprobata hodie, vt in titu.de purga.vul.in titu. de cleri.pugnan.in duel. De purgatione autem canonica habetur in tit.de purgat.cano.per totum. & probat textus iſte, quòd magis creditur militi, quàm ruſtico conuicto.§.

præcedenti. quia ruſticus in expurgando ſe debet habere ſeptem teſtes, ſed in milite exiguntur ſolùm quatuor.

§.Si miles aduerſus militem.

Allegatur textus iſte, quòd miles non poteſt interpellare alium militem ad pugnam, niſi primò doceat ſe cum parentibus ſuis ex genere militari deſcendiſſe. Vult ergo textus iſte, quòd ignobilis nō poteſt prouocare nobilem ad pugnam: quia pugna debet eſſe inter æquales. & quòd ex antiquitate generis quis iudicandus eſt nobilis, & quòd qui nobilitatem allegat illam debet probare, pro hoc facit quod notat glo. ſingularis. in l. ſi verò. §. qui pro rei. ff. qui ſatiſda. cogantur. Et intellige textum, dum dicit, Aliqua capitali, ſubaudiendo, ex qua pugna poſſit offerri: quoniam non ex qualibet cauſa offertur pugna, de quo per gloſ. hîc. Et quia dictum eſt, quòd ſi miles eſt interpellatus ab ignobili non tenetur pugnare, ſed poteſt dare campionem æqualem, quæritur, quid ſi miles vult renuntiare priuilegio, & perſonaliter pugnare, an admittatur? Et conclude quòd ſic, per regulam generalem. l. ſi quis in conſcribendo. C. de pactis.

§.Poſt natalem.

Allegatur textus iſte, quòd poſt feſtum natiuitatis ſanctæ Mariæ debet fieri prouiſio in qualibet terra ſuper valore victualium, & qui contra dictam prouiſio-

uiſionem fecerit, debet puniri tanquam violator pacis, ſecundum formam hîc deſcriptam. Probat ergo textus iſte, quòd quolibet anno debent taxari victualia, vt debito precio vendantur pro tuitione populorum & publici ſtatus. l. j. §. cura carnis. ff. de offi. Præfect. vrbis. & ſic propter fauorem publicum poteſt de publico poni precium rebus alienis: quia in rebus neceſſarijs ad quotidianum victum poteſt taxari precium, de quo in l. j. C. de episc. audi. Probat etiam textus iſte, quòd gubernator pacis debet ſagaciter prouidere circa vtilitatem ciuitatis cum conſilio ciuium, qui ſciunt conditiones locorum. Et nota, quòd ille, qui non facit contra regulam in precio taxato, ſed fraudat menſuram, quòd debet puniri tanquam turbator pacis, per iſtum textum ſecundum Dd. Et nota ſecundum Bald. quòd non ſeruantes bona & æqua ſtatuta, puniri debent.

§. Si quis ruſticus.

Allegatur textus, quòd ruſticus deferens arma, punitur ad arbitrium iudicis aut in amiſſione armorum, aut in viginti ſolidis pro delatione. Et ſic nota, quòd ruſtico eſt interdicta delatio armorũ, tamen extendas etiã ad alios hodie. l. j. C. vt armor. vſus. lib. xj. ſed ideo fecit mentionem de ruſticis, quia ipſi erant magis ſoliti portare. Et nota, vt habetur in. §. ſeq. quòd eſt ſtatutũ, quòd itinerantibus liceat portare arma debito modo ad ſe defendendum à latronibus, non autem ad nocendum.

& vide per Bart. in l.pen.ff. ad l. Iuliam de vi publica. Et quærit Alua.an forenſis teneatur pœna ſtatuti ſuper delatione armorum? & vltra adducta per ipſum adde Bart.in l.interdũ.§.licet.ff.de publica.qui tenet, quòd forenſis non excuſetur. Et quid veniat hîc appellatione armorum, erit in arbitrio iudicis, in conſiderando,an cum illis poſſit violari pax. Et nota ſecundũ glo. & Bal. quòd ille, qui portat arma, præſumitur habere malum-animum, niſi portet ea ligata. quæ tamen glo. eſt in.§. ſequenti.intellige tamen iſtam glo.quando deferens nõ haberet cauſam vel licentiam deferendi, aliàs ſecùs.

§.Mercator.

Allegatur textus iſte, quòd mercatores itinerantes cauſa mercandi,portare poſſunt enſem, dummodo non cinctum, ſed alligatum ſellæ,ſi eſt equeſter: vel vehiculo,ſi eſt in curru. Et nota, quòd licet textus loquatur de mercatore,tamen idem dicas in viatore:quia eſt eadem ratio.l.illud.ff.ad l.Aquil.

§.Nemo retia.

Allegatur textus iſte ſecundum vnum intellectum & clarũ,quòd nemo venetur in agro alieno, niſi apros, vrſos,lupos. Et ex identitate rationis intelligas etiam de alijs animalibus periculoſis ſecundum diuerſitatem regionum:& ſic nemo poteſt venari in agris alienis inuitis dominis,niſi prout dicitur hîc.l. Diuus.ff. de ſerui. ruſtico.prædio.

§.Ad

§.Ad palatium.

Allegatur textus iſte, quòd milites ſeu vaſalli accedentes Curiam domini, non debent portare arma, niſi cum licentia domini. Dicas tamē, quòd nec etiam alibi, vt viſum eſt ſuprà, ſed voluit facere mentionem de palatio domini, tanquam de loco magis priuilegiato. Et ratio, quare in palatijs Principum, vel etiam communitatum non licet portare arma, eſt, vt tollatur omnis occaſio, ne vbi iuſtitia & quies Reipub. gubernatur, poſſit mediantibus armis diſturbari. & Bal. facit mentionem de palatio Florentinorum, quod eſt pulchrum in Italia.

§.Publici latrones.

Allegatur textus iſte, quòd publici latrones furca ſuſpenduntur ſecundum formam legis antiquæ. Et nota, quòd ſufficit malefactorem eſſe conuictum, licet non cōfiteatur, de quo etiam in l. qui ſententiam. C. de pœnis. & ſic vnum ſufficit. verum eſt, quòd propter appellationem tollendam requiritur vtrumque, de quo in l. ij. C. quor. appel. non recipian.

§.Quicunque.

Allegatur textus iſte, quòd malè tractans officium ſuum, ſi monitus ſe nō emendauerit, priuari debet dicto officio & beneficio: & ſi poſt dictam priuationem propria auctoritate ſe in eo intromittat, puniri debet, tanquam violator pacis. Et varijs modis intelligitur textus iſte, tu potes intelligere, quòd erat aduocatus fiſci, &

 huic

huic aduocationi erat annexum feudum. Et idem dicas de ſimilibus. & ſic ſi vaſallus legitimè non exequitur id pro quo datum eſt feudum, priuatur ea feudo, & dignitate feudali. Et probat notabiliter textus iſte ſecundũ lecturã Bal. quòd ille, qui malè vtitur feudo, deteriorando rem feudalẽ, perdere debet illam. facit l. ædem. C. de locat. Ex qua lectura infert, quòd habens caſtrum in feudum, & malè tractet homines dicti caſtri ſubditos ſuos, quòd dominus poteſt illum admonere, vt eos debito modo tractet, aliàs Curia domini poſſet ſibi auferre caſtrum, quod eſt notab. Probat etiam textus, quòd dominus non poteſt priuare vaſallum feudo de abſoluta potentia, ſed requiritur ordo iudiciarius & ſententia. glo. in. §. callidis. inf. de prohibi. alie. feu. per Federi. & dicit Bal. hoc eſſe memoriæ commendandum.

§. Si quis quinque.

Allegatur textus iſte, quòd pro furto valoris quinq; ſolidorũ, vel vltra, quis ſuſpenditur: pro furto verò infra dictam ſummam verberatur & tondetur. Et intellige textum, ſiue ſit furatus quinque ſolidos in pecunia, ſiue rem valentem quinque ſolidos ſecundum Aluarot. licet aliqui tenuerint contrarium, & forte non malè per textum in l. interpretationem. ff. de pœnis. Et nota hîc textum pro conſuetudine, quæ eſt in Alemania, quòd fiat fuſtigatio cum ſcopis: quia hîc textus facit mentionem de ſcopis. Et ſic nota, quòd pro modico exceſſu aliquis grauiter punitur. Et Imperator hîc conſiderauit

perium

potius qualitatem & cauſam delicti, quàm quantitatem exceſſus, vt quoquo modo conſeruetur pax per eum promulgata per iſtam legẽ. & ſic eſt caſus ſpecialis. Sed dic, quòd textus iſte eſt abrogatus per contrariam conſuetudinem, & etiam ſecundum aliquos, quòd Imperator Federicus correxit iſtum textum. c. j. §. iniuria. de pace iura. firman. Et ideo de hoc textu non eſt curandũ hodie ſecundum Dd. de quo per Bar. in authen. ſed nouo iure. C. de ſeruis fugiti. in l. capitalium. §. famoſos. ff. de pœnis. & per iſtum textum dicit Bald. quòd ſi duo fecerunt pacem adinuicem, & vnus faciat furtum alteri, quòd videtur frangere pacem. ſed contrarium tenet Barto. in l. verum. ff. de furtis. quem nec Bald. nec Aluaro. allegant.

§. Si miniſteriales.

Allegatur textus iſte, quòd familiares dominorum inter ſe rixantes ſunt per iudicem ſedandi & corrigendi ſecundum formam iuris. Et probat textus iſte, quòd familiares Principum & dominorum ſunt ſubiecti iuriſdictioni ordinarij illius loci, vbi delictum commiſerunt, vt hîc, & authenti. quà in prouincia. C. vbi de crimi. agi opor. Item quodad officium iudicis ſpectat ſedare diſcordias ſubditorum, & compellere eos ad pacem, ne deueniant ad arma. Et ſic ante factum, de quo in l. æquiſſimum. ff. de vſufruct. & poſt factum debet punire, & vide quæ dixi in alphabeto in litera R.

§. Qui-

§.Quicunque.

Allegatur textus iſte, quòd quicunque tranſitum facit cum equo per terram aliquã, poteſt equum ſuum pabulo reficere iuxta viam, & poteſt etiã vti herba & viridi ſylua ſine vaſtatione & damno alicuius. Et intellige iſtum textũ, quòd equitans paſcebat equum ſuum in agro iuxta viã, quod licet. Et ratio eſt: tum quia ſibi prodeſt & alij non nocet: item quia hoc facit ex neceſſitate: item quia iuſtè credebat dominum permiſſurum, ſi hoc ſciret, vnde non videtur delinquere. Et etiã ſi iſte pabulans eſſet diues, qui fecit non ex paupertate, ſed ex neceſſitate, quæ facit rem eſſe communem, non tenetur ſoluere precium ſecundum Aluaro. qui allegat Bald. in ſimili. l. ij. C. de ope. liber. Sed hoc dictum mihi non placet per ea quæ notant Dd. in c. ſi quis propter. de ſortile. vbi concluditur, quòd ſi aliquis tempore neceſſitatis etiam maximè furatus eſt, tenetur reſtituere. ſi peruenerit ad pinguiorem fortunam. Et multo magis dicendum eſt in iſto, qui pabulauit equum propter neceſſitatem, & non propter paupertatem.

HIC FINITVR LEX, DEINDE conſuetudines regni incipiunt.

TITVLVS XXVIII.

Quia lex Imperatoris Federici, de qua in titu. proximo, durauit hucuſque, & nunc finita eſt, ideo dicitur, hic finitur lex, cùm non ſit amplius. Sed incipiunt modò quædam conſtitutiones, quæ conſuetudines regni appellantur, & pro conſuetudinibus obſeruan-

uantur Ideo ſubiungitur in rubrica, Deinde incipiunt &c. Et ſi opponitur contra rubricam in eo, quod dicit, quòd hic incipiunt conſuetudines: quia imo non incipiunt hic, cùm à principio libri huuſque tractauerit de cõſuetudinibus: ideo dicas, quòd propriè non incipiunt, ſed reaſſumuntur, quia dicta lex precedens fuit quædam interpoſitio.

Domino guerram faciente.

Allegatur textus iſte, quòd quando dominus facit guerram iuſtam, tenetur vaſallus eum iuuare in offendendo & defendendo: idem dicendum eſt, ſi dubitatur an facit guerram iuſtam vel non. Quando verò facit guerram iniuſtam, tunc tenetur eum adiuuare in defendendo, nõ autem in offendendo. Nec propter hoc perdit feudum, ſi ipſe nõ adiuuat: quemadmodum dicimus, ſi dominus eſſet excommunicatus vel bannitus: quo caſu durante excõmunicatione vel banno, eſt interim vaſallus liberatus à ſacramento fidelitatis. Et ſic ex hoc textu habes tres caſus, in quibus neceſſitatur vaſallus ad adiuuandum dominum ſuum in guerra. Primus eſt, quando ius eſt pro domino. Secundus, quando dubitatur, quia determinatio iſtius dubij non pertinet ad vaſallum. Tertius eſt, vt indiſtinctè ad eius defenſionẽ teneatur, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè ſe defendat. Habes etiam ex hoc textu, quòd hodie domini prouinciarum poſſunt ex iuſta cauſa indicere bellũ, licet olim ſecùs: quia erat vna monarchia. Sed vide quantum ad hoc notata per Bar. in l. hoſtes. ff. de capti. Habes etiam ex hoc textu, quòd propter excommunicationem domini liberatur

vaſallus

vaſallus à debito fidelitatis, de quo xv.q.vj. c. nos ſanctorum. Et idem dicas de banno domini, vt hic. Et quia Alua.allegat glo.quam dicit ſingularem in.§.relegati. Inſtitu.quibus mod.ius pat.pot.ſol. dicas quòd illa glo. eſt communiter reprobata, de quo multa allegaui in alphabeto in litera B. Et probat etiam textus iſte, quòd dominus bannitus vel excommunicatus, ſi reſtituatur, quòd omnia bona ſua & iura vaſallorum videntur ſibi reſtituta. Et nota glo. hic, quòd in rebus banniti quilibet poteſt dare damnum impunè. Eſt & alia gloſ. ſup. de milite vaſallo, qui contumax eſt, in fin. Intellige tamen iſtam gloſ. in banno imperiali ſeu legali ita diſponente: aliàs autem gloſ. eſſet falſa ſecundum Dd. Nota etiam glo. quòd bannum ſiue excommunicatio non tollit obligationem, qua vaſallus eſt domino obligatus, ſed tollit tantùm obligationis effectum, durante ipſo banno vel excommunicatione. Hoc tamen intellige ſecundum Dd. niſi bona eſſent annotata per titu. de requiren.reis. Quia tunc dominus amitteret dominium. Nota etiam glo. quòd vaſallus pendente banno domini vel excommunicatione, non poteſt vendere ius feudi. Et eſt ratio, quia non eſt extincta fidelitas, ſed ſuſpenſa, donec dominus reſtituatur, & ſi venderet, incideret in pœnam. Et nota ſecundum glo. & Dd. quòd iſte textus procedit non ſolùm in bannito à Rege, ſed in bannito à rectore alicuius ciuitatis, qui habet merum imperium. Et quia dicit Bal. quòd ex quo eſt affecta perſona, ſunt

etiam

etiam affecta bona, quæ ſunt ſub iuriſdictione illius ciuitatis, intellige, quando dictum bannum proceſſit ex aliquo crimine, ex quo perduntur bona, aliàs bannitus eſſet loco relegati. glo. in. §. relegati. Inſti. quibus mod. ius pat. po. ſol. Et nota ſecundum Dd. per iſtum textũ, quòd vaſallus poteſt, ſi vult, iuuare dominum iniuſtè alium offendentẽ, licet non neceſſitetur ex vi promiſſionis. Dicit tamen Bal. quòd nõ debet facere, nec excuſabitur vaſallus à parte aduerſa, cui infert nocumentum, Inno. in c. ſi. quod metus cauſa. Et quia textus iſte vult, quòd licet vaſallo iuuare dominum iniuſtè ſe defendentem, & Docto. adducunt multa contra hoc, & ideo conclude, quòd iſte textus procedit de conſuetudine feudorum: quia difficile eſt ipſi vaſallo cognoſcere de tali iuſtitia vel iniuſtitia, vnde in defendendo debet obedire domino ſuo: ſed de iure diuino hoc non eſt licitum, cùm Apoſtolus dicat, dignos morte eos, qui peccantibus conſentiunt. Multa enim ſecundum leges humanas impunita relinquuntur, quæ ſecundũ diuinum iudicium ſunt peccata. Et idem dicendũ eſt de iure cano. quòd non ſit licitum. Quærit Bald. Rex condemnauit quendam ad mortem, & dum duceretur ad ſupplicium, fecit ſibi gratiam, an recuperet feudum? Et reſpondet, quòd ſi feudum erat apertum Regi, recuperat: ſecùs ſi alij. Et ad cognoſcendum, an aliquod bellum ſit iuſtum tria requiruntur, auctoritas Principis, cauſa iuſta, & recta intentio bellantium, de

qua

qua per Bar. in l. hoſtes. ff. de capti. Et vide gl. xxiij. q. ij. in ſumma. Et ſi quæratur, quando dicatur dubium, an bellum ſit licitū, vel non, vt tunc vaſallus teneatur obedire domino, ne ſit in poteſtate domini per negationem facere dubiam: reſpondetur, quòd quando in tali dubio dominus habuit conſiliū à ſuis conſiliarijs de bello ſuſcipiendo: quia non debet inniti ſua prudentiæ c. ne innitaris. de conſti. Alij dicunt, quòd etiamſi ſolus Princeps hoc diceret, debet ei credi: quia iura dederunt ei auctoritatē belli indicendi: quia præſumitur quòd cauſa exigente illud indicat. Sed hoc intelligerē in ſupremo Principe. Et quia textus facit mentionē hic de banno, quæritur, de quo banno loquatur textus iſte: & dicas, quòd capitur hic bannum pro exilio: vnde exules dicuntur banniti, vt notatur in l. ad cognitionē. ff. ex quib. cau. in poſſ. ea. Et ſunt propriè banniti illi, quibus ius propriū ciuitatis non patrocinatur, & ſunt extra protectionē communis, qui tales banniti non poſſunt impunè offendi: ſecundum Bald. niſi etiam eſſent diffidati, quia tunc cenſentur tanquam hoſtes, & videtur ciuitas illis bellum indixiſſe. Et de materia bannitorum multa dixi in alphabeto in litera B. Nota ſecundum Bald. quòd excommunicatio probatur per famam ad hunc effectum, vt repellatur, niſi ſe purget, vel famam cōtrariam probet, vel indicia, vt quia in ſuo Epiſcopo non vitatur. allegat Ioannem. Andreæ in c. prudentiam. de offi. deleg. & quòd ſententia ab excommunicato lata ratificari

non

non poteſt.allegat Ioan.An.in c.aduerſus.de immu.eccle.& quòd bannitum & excommunicatũm debet iudex repellere nemine excipiente. Et Bald.hîc allegat legem,quã dicit notabilem in l.mulier.ff.de capti.quòd ſi cepi bannitum, & expendi de meo, quòd fiſcus tenetur reſtituere expenſas.Item Bal.allegat glo.in l.amiſſione.§.qui deficiunt.ff.de cap.mi.quòd ipſo facto poteſt aliquem bannire vel ad mortem damnare. Quærit etiam Bal. quomodo poteſt fieri defenſio ſine offenſione?& reſpondet,quòd ius nõ conſiderat,quod ſit conſecutiuè,ſed quod ſit principaliter. Allegat textũ notabil. in l.fin.ff. quod quiſque iu. Nota etiam, quod hîc dicit textus ad textum ſingularem, quòd vaſalli bona non cõfiſcantur propter delictũ domini,imo feuda conceſſa firma remanent, & ipſe efficitur Francus. Dicit etiam Bal.hîc,quòd ſi legitimatus reſtituitur ad bona, quòd agnati, qui medio tempore pona poſſideꝛunt, non tenentur ad fructuum perceptorum reſtitutionem. allegat textum notabilem in auth. idem Neſtorianis.C. de hæreticis. Probat etiam textus iſte ſecundum Bald. quòd abſolutio ab excommunicatione dicitur in integrum reſtitutio.

§.Ad hoc.

Allegatur textus iſte,quòd licet vaſallus multo tempore non ſeruierit domino ſuo,nõ propterea perdit feudum. Sed iſta regula fallit in quatuor caſibus. Primus eſt,quando vaſallus expreſſè recuſauit velle ſeruire. Secundus

cundus eſt, quando requiſitus à domino ceſſauit ſeruire. Tertius & quartus eſt, quando ſciuit dominum obſideri, vel ei periculum mortis imminere, & cùm potuerit, nõ iuuit ipſum. Et iſta omnia relinquuntur arbitrio iudicis, qui variè ex cauſis & perſonis iudicabit. Probat ergo textus iſte, quòd in feudo recto tempus ſuo naturali curſu non interpellat vaſallum ad præſtationem ſeruitiorum, ſed requiritur interpellatio hominis, vt hîc. Quod limita non procedere in feudo conditionato: quia præſtabat certum ſeruitium, & habet diem certam limitatũ, tunc tempus diei certa interpellat abſque alia monitione hominis. l. magnam. C. de contrah. & commit. ſtip. Sed ſi non eſt expreſſum certum tempus, ſed incertum, verbi gratia, ſi ſit actum, quòd debeat dominum iuuare mota guerra, tunc detur congruum tempus arbitrio iudicis. Et poſtquam vaſallus eſt interpellatus ab homine, vel à lege, adhuc habet tempus congruum arbitrio iudicis declarandũ. l. quod dicimus. ff. de ſolut. & hîc. Et facit ſecundum Bald. ad contractus, qui quotidie fiunt inter ciuitates confœderantes, quæ ſibi viciſſim promittunt auxilium, de quibus confœderationibus per Barto. in l. fina. ff. de colle. illi. Probat etiam textus iſte, quòd interpellatio legalis non arctat vaſallum, niſi à tempore ſcientiæ. quod tamen intellige, niſi ſua ignorantia eſſet craſſa & ſupina: quia tunc nihilominus puniretur, cùm tunc habeatur pro ſciente, de quo in l. fina. ff. de decre. ab ordi. faci. nec impoſſibilitas

tas arctat vaſallum, vt hîc. Habes etiam ex hoc textu regulam, quod in dubijs iudex debet eſſe magis promptus ad abſoluendum, quàm ad condemnandum: quia in deciſione cauſæ debet eſſe fauorabilior reo, quàm actori. l. fauorabiliores. ff. de reg. iur. Hoc tamen fallit ſecundum gl. & Dd. fauore libertatis. Fallit etiã in quacunque cauſa priuilegiata, de quo in l. inter pares. ff. de re iudi. Et nota ſecundum Bald. quòd ſi reperitur, quòd regula fallat in ſententijs, eodem modo fallit in probationibus, textus eſt ſingularis in l. lege Iunia. ff. de manu. Et nota dictum Bald. quòd ſi quis promittit facere & curare, tunc non requiritur interpellatio, ſed ſola ſcientia ſufficit. Et adde ea quæ dixi in alphabeto in litera M, dum tractaui de mora.

§. Si vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd dominus, ad quem feudum reuertitur per defectum generationis vaſalli, tenetur ad expenſas meliorationis factæ in feudo, ſiue ſint circa fabricam, ſiue circa ſeruitututem feudo acquiſitam, aliàs patiatur auferri. Eſt ergo in electione domini, vel pati auferri, vel ſoluere æſtimationem: & interim eſt permiſſa retentio feudi, & dominus repellitur à vendicatione feudi per exceptionem doli. Non procedit tamen textus in modica impenſa ſecundum gloſ. & Dd. quia vaſallus hanc modicam impenſam facere tenetur in reficiẽdo. Et vide quod habetur in l. vij. §. hactenus. ff. de vſufruct. Intelligitur ergo textus iſte

de expenſa magna, quam facere non tenebatur ad perpetuam vtilitatem, nec cauſa colligendorum fructuum. Et ex iſto textu habes declarationem ad iura, quæ dicunt, quòd expendens ſcienter in re aliena, perdit expenſam. Inſtitu. de re. diui. §. cùm autem. Et ſic vaſallus ſciebat vel ſcire debebat feudum ad dominum reuerſurum: quia illa iura loquuntur de re prorſus aliena: ſed vaſallus habet vtile dominiũ, vt hîc. Limita etiam textũ iſtum ſecundum Dd. vt non procedat, quando feudum redit ad dominum ex delicto vaſalli: quia talis melioratio non poteſt repeti. l. ij. C. de iure emphyteu. Et iſte textus loquitur, quando per defectũ generationis amittitur feudum. & ſicut amittitur principale, amittitur etiam acceſſorium. Et vide ea quæ adduxi in litera E, dum tracto de emphyteoſi.

§. His conſequenter.

Allegatur textus iſte duobus modis, nam communiter Dd. intelligunt ipſum, prout ſonat litera, quòd ſi vaſallus moritur ante Calendas Martij, quòd omnes fructus ipſius anni ſunt domini: ſi verò moritur poſt Calendas Martij vſque ad Auguſtum, tunc ſunt hæredis vaſalli: ſi verò moriatur poſt Auguſtũ, tunc omnes fructus ſunt domini. Sed Andre. de Iſer. & Alpha. intelligunt aliter iſtum textum: nam ipſi incipiunt annum in menſe Septembris, quòd ſi feudũ deuoluatur ad dominum per mortem vaſalli à menſe Septembris incluſiuè vſque ad principiũ Martij ſequentis, omnes fructus illius anni

anni erunt domini: ſi verò poſt principium Martij vſq; in finem anni, tunc ſpectabunt ad hæredes vaſalli, dummodò ad annum ſequentem futurum ſe in aliquo non extendant, cùm dominus omnes fructus dicti anni futuri percipere debeat. Et ſic ſecundũ eos, dũ dicit textus, Eius anni, dicas, qui inchoauit de menſe Septembri præterito, & finiri debet in menſe Auguſti futuro incluſiuè. Et ſic annus incipit in menſe Septembri reſpectu fructuum futurorum colligendorum. Et eſt ratio, quia tunc homines regulariter incipiunt ſemina proijcere in terrã. Nam poteſt dici, quòd duplex eſt annus. Vnus legalis & magiſtralis, qui eſt ccc ſexagintaquinque dierum. l. cùm hæres. §. Stichus. ff. de ſtatulib. & hoc modo loquendo quicquid eſt factũ intra hos dies, poteſt dici factũ hoc anno, et poteſt incipere talis annus quandocunque. Et de iſto anno intelligitur textus iſte ſecundum iſtos. Sed eſt alius annus, qui appellatur communis & vulgaris, qui denominatur ſecundum nos à Natiuitate domini. Et de iſto non loquitur textus iſte. Et nota glo. hîc, quæ eſt memoriæ commendanda, circa diuiſionem fructuum. Sed tu aduerte ad tres caſus. Primus eſt in vſufructuario, qui non tranſmittit niſi fructus perceptos, quocunq; tẽpore moriatur. l. defuncta. ff. de vſufr. Secundus caſus eſt, quia inter maritum & vxorem ſeu hæredes eius diuiduntur pro rata temporis, quo maritus ſuſtinuit onera matrimonij. l. diuortio. ff. ſoluto matri. Tertius caſus eſt in feudatario, de quo in iſto textu, qui

S 3 ſeu-

feudatarius habet pinguius ius, quàm vſufructuarius: quia habet vtile dominium, & ius vtendi & fruendi nõ tranſmittitur ad hæredes. §. finitur. Inſtitu. de vſufruct. Sed ius vaſalli ſic. ſup. in quibus cauſ. feu. amit. §. in primis. Sed quæritur, an textus iſte habeat locum in penſionibus, ſi feudatarius locauerat feudum? & Bal. quòd ſic. Quod intellige, quando in fine anni ſoluatur quod regulariter debet, niſi aliter conuenit, vt notatur l. iij. C. de loca. Secùs autẽ ſi quolibet menſe ſolueretur penſio, vel per certa tempora ſtatuta per cõſuetudinẽ: quia ſi tunc vaſallus decederet elapſo iam tempore, quo debeat, tunc hæres habebit: quia iam ceſſit & venit dies, quo potuit illam petere. l. cedere diem. ff. de verbo. ſigni. aliàs ſint domini: quia non ceſſit nec venit dies ſecundum alios Dd. Et nota ſecundũ Dd. quòd iſte textus non ꝓcedit in fructibus naturalibus, ſed induſtrialibus: quia in illis debet obſeruari, ſicut in vſufructuario. §. is verò ad quem. Inſti. de re. diui. Et qui dicantur fructus naturales, & qui induſtriales per Barto. in l. fructus. ff. de rei ven. Nota etiã, quòd ſi vaſallus decedat ante Martium, ita quòd feudũ cum fructibus reuertatur ad dominum, tamen hæredes poterunt deducere, & habere expenſas factas pro dictis fructibus. l. fructus. ff. ſoluto matrimo. & ibi per Barto. & per Dd. hîc. Et ſi quis concedit fundum in feudum, videtur etiam concedere fructus pendentes ſecundum Bald. l. j. ff. de re. diuiſi. q. xiiij. l. fin. §. penult. ff. de his quæ in frau. cre.

§. Con-

§.Contra omnes.

Allegatur textus iſte cum ſua gl. vaſallus tenetur adiuuare dominũ ſuum contra omnes, etiam de ſanguine ſuo, excepto alio domino antiquiore: hoc in textu: & ſeipſo vaſallo & Imperatore: hoc in gl. Et ſic habes hîc caſum, in quo non conſideratur ratio & affectio ſanguinis: quia vaſallus tenetur iuuare dominum contra patrem & filium, & fratrem. Ex quo habes, quòd vaſallus eſt magis obligatus domino, quàm patri & filio. quod videtur eſſe mirabile. Sed dicas, quòd vaſallus eſt obligatus patri & filio vinculo naturali: ſed eſt obligatus domino vinculo iuramenti, quod eſt fortius. glo. in c. de forma. xxij. q. v. Et nota hîc gloſ. notabilem, de qua ſuprà eſt facta mentio, quòd in iuramento præſtito domino, de adiuuando contra omnes, non tenetur iuuare contra ſeipſum vaſallum, per rationes poſitas in gloſ. de quo in c. petitio. de iureiur. Sed quid, ſi vaſallus debeat dare domiuo ſuo in omni guerra vnum militem, an ſi vaſallus habeat guerram cum domino, debeat dare ſibi militem? Hanc quæſtionẽ ponit Bald. in l. j. ff. de rer. diui. q. xxiiij. qui multa dicit, tamen videtur quòd iſta quæſtio decidatur per iſtum tex. Nota etiã ſingulariter glo. hîc, quòd ſi vaſallus habet guerrã iuſtam, dominus tenetur ipſum adiuuare cõtra omnes, etiam patrẽ, filium, & fratrẽ: quòd ſi non facit, priuatur proprietate, quæ proprietas conſolidatur cũ vtili dominio. Iſta eſt prima terribilis deciſio, & ſequuntur Dd. Sed non videtur

tur vera, quantum ad patrem, filium, & fratrem: quia dominus non eſt aſtrictus iuramento vaſallo, ſicut vaſallus domino. Et tamen ratio iſtius textus eſt religio iuramenti, quæ religio præfertur vinculo naturali, vt dictum eſt ſuprà. Nec obſtat ratio, quòd correlatiuorum & mutuæ obligationis eadem eſt ratio: quia hîc eſt dare rationem diuerſitatis, vt notatur. in l. fina. C. de indict. vidu. toll. in l. fina. ff. de accep. Nota etiam gloſ. quòd in iuramento fidelitatis, ſicut excipitur nominatim Imperator, inf. de prohibi. aliena. feu. per Federic. in fin. ita etiam prior dominus, vel ſaltem debet apponi hæc clauſula, Saluo iure prioris domini, cui eſſem obligatus, ſecundum gloſ. Et ſcias etiam ſecundum Doctores, quòd ſemper intelligitur etiam excepta auctoritas Papæ. c. venientes. de iureiuran. etiamſi non dicatur. glo. in c. conſtitutus. de reſcrip. non debet tamen vaſallus, quando iurat, excipere perſonam ſuam. glo. in. §. fina. inf. de prohibi. alie. ſeu. per Federic. Et ſecundum Docto. vaſallus tenetur iuuare priorem dominum contra poſtremum. Nec tenetur vaſallus iuuare dominum contra patrimonium proprium, ſecundum Docto. De quo vide dicta in c. j. de noua forma fideli.

DE FILIIS NATIS EX MAtrimonio ad morganaticam contracto.

TITVLVS XXIX.

In iſto titulo proſequitur de materia iam dicta, videlicet de contrac

contrac

controuerſiis, quæ poſſunt oriri inter partes ratione ipſorum feudorum ſecundum occurrentiam caſuum.

Quidam habens filium.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus contraxit matrimonium cum nobili vxore, ex quo matrimonio habuit vnum filium: & mortua eius vxore, transduxit ſibi in concubinam aliam mulierem non ita nobilem, & dictam ſuam concubinã deſponſauit cum pacto, vt neque ipſa, neque filij ſui poſſint capere de bonis ſuis vltra decem, vel ſecundum quod in pacto poſitum eſt. Et declaratur qualiter nuncupetur tale matrimonium. Et moritur vaſallus relictis filijs ex hac ſecunda vxore olim concubina, & relictis etiam filijs ex prima vxore nobili. Declaratur hic, quòd iſti ſecundi filij nõ ſuccedunt in proprijs bonis patris, neque in bonis feudalibus extantibus filijs prioribus. Et ſi vaſallus moriatur non relictis filijs ex prima vxore nobili, ſed ſolùm ex hac ſecunda vxore, quòd iſti tales filij nõ ſuccedunt dicto vaſallo eorum patri in feudo, ſed in alijs bonis paternis bene ſuccedunt. Et ſi filij ex primo matrimonio, qui iam excluſerunt iſtos filios ex ſecundo matrimonio, poſtea moriantur ſine ſobole, filij ex ſecundo matrimonio poſſunt ei ſuccedere in bonis proprijs paternis, non in feudo, ſecundum conſuetudinem Mediolani. Et dicas, quòd iſta conſuetudo nõ extenditur ad alia loca, ſed ſolùm ſeruatur in loco, in quo viget. Et dum dicitur ad morganaticam, intellige, id eſt ſecundum eam ſolennitatẽ & conſuetu-

ſuetudinem, quæ ibi vigebat, quæ appellatur morganatica, quod interpretatur promiſſio, quæ fit in contractu ſponſaliorum. & eſt vulgare Longobardicum. Et dum dicitur in textu de lege Salica, dicas, quod dicitur ſic ratione loci & terræ, quæ appellatur terra Salica. Et nota ſecundum Bal. hîc in fi. argu. ad ſignũ Siciliæ, quod ex pacto defertur primogenito: quia ſecundogenitus non ſuccedit, etiam primo mortuo ſine hærede: quia de primogenito loquitur pactum, non de ſecundogenito. Et ſic ad Papã liberè redit diſpoſitio regni.

DE BENEFICIO FOEMINAE.

TITVLVS XXX.

Quia in feudo fœmineo ſæpe oriebatur controuerſia, iccirco, vt dictam materiam declaret, ponitur iſte titulus.

Si fœmina.

Allegatur textus iſte, quòd in feudo fœmineo ſuccedunt fœminæ deſcendentes, non extantibus maſculis: etiam dato, quòd in inueſtitura non fuerit hoc ſpecialiter expreſſum. Et ſic habes hîc, quòd in feudo fœmineo non ſuccedunt pariter fœminæ cum maſculis, & hoc propter naturam rei, de qua agitur. Et ſic quando fœmina acquirit feudum, intelligitur acquirere priùs ſuis maſculis deſcendentibus, quàm fœminis, licet illud feudum ſit maternum, non paternum. Nota tamen pro intelligentia textus, quòd ſi filiæ ſemel habuiſſent obſtaculum, quia propter maſculum fuerunt excluſæ, quanquam

quam poſtea maſculus moriatur, non tamen fœminæ admittuntur ad feudum: quia ſemel fuerunt excluſæ, vnde in perpetuum intelliguntur excluſæ.c.j.§.quin etiam.ſup. Epiſcopum vel Abba.

§.Ex hoc.

Allegatur textus iſte, quòd clericus non eſt capax feudi ſiue in acquirendo de nouo, ſiue in retinendo iam quæſitum, etiamſi habitum deponat: & ſic feudum non cadit in clericum, ſiue clericus ſit ſæcularis, ſiue religioſus. Et nota, quòd in caſu iſto, ſi feudum eſt nouum, reuertitur ad dominum: ſi antiquum, ad agnatos, ſecundum Doctores. Et nota gloſ. hîc, quòd quando vaſallus alienat feudum ſine voluntate domini, illud perdit, & ad dominum reuertitur, nec rehabebit, quanquam ab emptore recuperat. Nota etiam gloſ. hîc, quòd clericus non poteſt de nouo inueſtiri de feudo, et ſi inueſtiatur, quòd illud amittere debet. Quod intellige verum, quando inueſtiens ignorabat ipſum eſſe clericum, secùs ſi ſciuiſſet: quia tunc poteſt inueſtiri, & retinere feudum. Intellige etiã in tali feudo continente ſeruitiũ, quod æquè poſſit præſtari per clericum, vel monaſteriũ, ſicut per vaſallũ, aliàs ſecùs: vt ſi eſſet feudũ, quod datur propter militiam ſæcularem ad pugnandum: quia tunc nullo modo clericus eſſet capax, & incontinenti perderet. Et dixit Bald. hîc, quòd ſi feudũ eſſet apertũ alicui, ita quòd poterat in eo ſuccedere, et faciat ſe promoueri ad ſacerdotium, quòd videtur tacitè renuntiaſſe feudo,

Neq;

Nec iſto caſu poterit per ſubſtitutum ſeruire: ſecùs ſi ſibi fuit apertũ, poſtquam fuit ſacerdos: quia tunc bene poterit ſeruire per ſubſtitutum, nec videtur tacitè renuntiaſſe. Et vide Docto. in c. qui clericus. ſup. ſi de feudo fuerit controuerſia.

SI VASALLVS FEVDO PRIuetur, cui deferatur.

TITVLVS XXXI.

In iſto titulo declaratur, ad quos deuoluitur feudum ex delicto ipſius vaſalli.

Vaſalli feudum delinquentis.

Allegatur textus iſte, in feudo antiquo vaſalli delinquentis in perſonam alterius, quàm domini, admittuntur agnati collaterales maſculi, vſque in infinitũ, dummodò deſcendant ex linea maſculina à primo acquirente, excluſis filijs delinquentis: qui filij nullo modo ad id feudũ aſpirare poſſunt, niſi dominus ex gratia eiſdem de nouo concederet in defectum agnatorum collateralium. Ex iſto textu habes tres concluſiones. Prima eſt, quòd vaſallus delinquendo præiudicat ſibi & filijs ſuis, & ſic repelluntur filij, & vlteriores agnati admittuntur. Et ratio eſt, quia pater et filius eadem perſona cenſentur: & viuo patre cenſentur filij quaſi domini, vnde & viuo patre priuari poſſunt. quæ ratio ceſſat in agnatis. Secunda eſt concluſio, dominus non poteſt facere gratiam de feudo alicui etiam filijs vaſalli in præiudicium

cium eorum, quibus iam erat feudum apertum. Tertia eſt concluſio, ad hoc vt agnatus admittatur ad acquiſitionem feudi antiqui, eſt neceſſe, quòd deſcendat ab eo ſtipite primi acquirentis, ex quo deſcendebat vaſallus, qui de nouo à dicto feudo excluſus eſt, vt hîc in fi. Et nota ſecundum gl. & Dd. quòd ſi vaſallus delinquit in dominũ, tunc dominus præfertur quibuſcunq; & deſcendentibus & agnatis, ſiue feudum ſit nouum, ſiue antiquum, vt ſup. quæ ſit prima cau. ben. amitten. §. denique. Si verò vaſallus delinquit in alium, quàm dominũ, & tunc ſi feudum eſt nouum, reuertitur ad dominum, vt in eodem textu. ſed ſi feudum eſt antiquum, tunc nõ pertinet ad dominum, ſed ad agnatos, excluſis omnibus deſcendentibus, vt in iſto textu, qui ita debet intelligi. Et quia tangitur hîc per glo. an delictum patris noceat filio: & in hac materia feudali facies duas concluſiones ex intentione Dd. Prima eſt, ſi pater habebat feudum iam acquiſitum & deliquit, tunc delictum patris nocet, vt hîc. Secunda eſt concluſio, ſi loquimur de patre delinquente, qui nondum habebat feudum acquiſitum, ſed ſperabat habere, vt quia adhuc habebat patrẽ, qui illud tenebat, qui erat auus filiorum ipſius delinquentis, & tunc delictũ huius patris non nocet filijs ſuis, qui ſunt nepotes aui ſui. Et dicit Bald. quòd ſi in forma inueſtituræ dicatur, Concedo caſtrum in feudum Titio et ſuis hæredibus, de vno in alterum reuertendo: vel, Concedo omnibus pariter, tunc non nocet culpa vnius alteri

ſecun-

ſecundum Bal. de quo hîc latè per eum, qui etiam dicit, quòd aliquando eſt tale feudum, quod nulla ex cauſa vel ingratitudine eſt amiſsibile, vt quia datum ſit eo, quòd à morte dantem liberauit, vel ab hoſtibus, vel à latrunculis eripuerat. l. ſi pater: §. j. ff. de dona. Et an & quando vnus poſsit puniri ex delicto alterius, vide per glo. notabilem j. q. iiij. in ſumma. & quæ allegaui in alphabeto in litera S, in verbo, ſtatutum.

QVI TESTES SVNT NEceſſarij ad nouam inueſtituram probandam.

TITVLVS XXXII.

Quia multotiens controuerſia oritur ſuper inueſtitura noui feudi, & in hac variæ fuerunt opiniones, ideirco auctor, vt ſopiret iſtam controuerſiam & opiniones, poſuit iſtam rubricam.

Siue clericus.

Allegatur textus iſte ad multa, quòd vbi agitur de noua inueſtitura, & dominus habet Pares, debet vaſallus probare inueſtiturã, vel per teſtes, qui ſint Pares, vel per publicum inſtrumentũ corroboratum per Pares, licet ſecundũ Mediolanẽſes ſufficeret inſtrumentũ publicum, etiã per quoſcunq; extraneos teſtes cõfirmatum. Item allegatur, quòd dicitur inueſtitura noua, quando feudũ acquiritur de nouo: ſimiliter antiquum dicitur, quod fuit ab anteceſſoribus acquiſitũ. Et vide dicta ſup. in præludijs. Item allegatur, quòd lex ſeu cõſuetudo poteſt præfigere modum & qualitatẽ in probando. Et nota ſecundum veriorẽ opinionem, quòd nõ valet inueſtitura,

tura, quando dominus confitetur inueſtiturã, ſed negat ſolennitatẽ: quo caſu defectus ſolennitatis habet vitiare actum. Et pro clariori intelligentia cõclude, quòd ſi loquimur de inueſtitura antiqua, indiſtinctè ſufficiunt teſtes Pares & extranei, vt in hoc c. in fin. ſi verò loquimur de inueſtitura noua, & tunc ſi dominus habet Pares, debet fieri inueſtitura coram eis ſaltem duobus, vel publico inſtrumento interueniente, roborato à Paribus ſecundum veram opinionẽ, licet Mediolanenſes ſeruant contrariũ, vt in hoc textu: aliàs inueſtitura facta non valet, et iamſi eſſent abſentes, quia debent expectari. Si autem dominus non habet Pares, debent admitti extranei, dummodò ſint idonei, vel per publicum inſtrumentũ, vt in ti. quid ſit inueſt. §. ſi verò. Et ſi de rebus eccleſiæ fiat inueſtitura, eſt regula, quòd pariter admittantur Pares & extranei: ſi verò ſit de rebus proprijs, idem eſt quod in laicis. & in caſu ſupradicto breue teſtatũ poterit proripere ſigillum domini ſecundũ Dd. c. inter dilectos. de fi. inſtru. & vltra adducta per Alu. hîc de ſigillo, adde quæ dixi in alphabeto, in verbo, Sigillũ. Et ſi eſſent plures cõſortes domini, ſufficeret, quòd ſigillaret ille, qui tenet ſigillũ, de quo per Dd. in d. c. inter. & ſi noua inueſtitura fuit facta per publicũ inſtrumentũ à Paribus confirmatũ. Sed poſtquam inſtrumentum amiſſum eſt incẽdio, ita quòd nõ extat, caſus poterit ꝓbari per alios, quàm per Pares, ſecundũ Bal. l. ſicut iniquũ. C. de fide inſtrumen. Sed quid ſi interuenerunt teſtes neceſſarij,

qui

qui nunc ſunt mortui, an poterit fieri probatio per vaſallum? & Bald. hîc quòd non, quia debebat facere examinari ad æternam rei memoriam. l. fina. C. de vſuris pupil. Sed putat Aluaro. quòd ſi poßit probari eos teſtes Pares interceßiſſe in inueſtitura, quòd deberet audiri vaſallus, & remittit ad dicenda in. §. ſacramentū. inf. tit. ſeq. & ibi Bald. Et ſi teſtes erant Pares tempore inueſtituræ, & tempore probationis nō ſunt amplius Pares, tamen probant ſecundum Dd. l. ad teſtium. §. conditionem. ff. de teſta. Et notat Bal. hîc inſi. iſtum textū, quòd in feudis fœminarū teſtimonium nō admittitur.

DE CONSVETVDINE rećti feudi.

TITVLVS XXXIII.

Quia pluribus modis acquiritur feudum, quàm per inueſtituram, ideo factus eſt iſte titulus. Declaratur etiam hic, cùm inueſtitura probari debeat per Pares, quid ſi dominus non habeat Pares: & ſcias quòd feudum rectum capitur in hoc titulo pro feudo, in quo vaſallus adeptus eſt poſſeßionem recto modo cum voluntate & licentia domini.

Sciendum eſt.

Allegatur textus iſte, quòd feudum quatuor modis acquiritur hîc expreßis, videlicet per inueſtituram, per ſucceßionem, & per adeptionem poſſeßionis, præcedente licentia domini, præſente Curia: item & quarto ſi quis ſteterit in poſſeßione per annum domino ſciente & non contradicente. Vult ergo textus iſte, quòd in inueſtitura non

ra non vera, ſed ſimilitudinaria, vincere debet vaſallus, ſi inducat id quod pro probatione reputatur, ſicut eſt ſacramentum. & eſt ratio propter præſumptionẽ, quæ eſt contra dominum, qui eſt præſens & non contradicens. poſſeſſio enim inducit præſumptionem pro vaſallo, quando perſeuerauerit in poſſeſſione per annum domino ſciente & non contradicente, vt hîc. Et ex hac præſumptione cum iuramento obtinebit vaſallus, niſi iſta præſumptio eſſet eliſa per aliquam aliam præſumptionem contrariam: quia præſumptione præſumptio tollitur. l. Diuus. ff. de in integ. reſti. Item vult textus, quòd feudum rectum iudicatur, quando quis nanciſcitur poſſeſſionem feudi præcedente licentia ſibi data per dominum præſente Curia, vt hîc. Si verò dicta licentia fuerit data abſque Curia, tunc cenſetur abuſiua, cùm non tranſmittatur ad hæredes. c. j. quibus mo. feu. conſti. poteſt. Et vt bene intelligas, dicas ſic ſecundum glo. & Dd. quòd feudum non conſtituitur niſi vno ſolo modo, ſcilicet per inueſtituram. c. j. ſup. quibus modis feu. con. poteſt. Sed verũ eſt, quòd acquiritur pluribus modis, vt hîc. Adde etiam alium modum, ſcilicet per præſcriptionem. c. j. §. ſi quis per xxx. ſup. ſi de feu. ſue. con. Item propter delictum agnati, de quo ſup. quæ ſuit prima cau. beneſi. amit. Et nota ſecundùm glo. quòd ſi dominus dicat vaſallo, vt capiat poſſeſſionem talis feudi, & ſit in præſentia rei, tunc incontinenti videtur tradita poſſeſſio. l. j. §. ſi iuſſerim. ff. de acquirenda poſſ. Et

ſufficit vaſallum poſſediſſe anno, ſciente & non contradicente domino, vt feudũ præſumatur ſecundum gl. Et nota, quòd vt habeat locũ iſte textus in vltimo dicto requiruntur plura, videlicet, quòd ſteterit in poſſeſſione per annũ: item quòd dominus ſciuerit et nõ contradixerit: item quòd receperit ſeruitia à poſſidente tanquam vaſallo, & iſta quaſi probat, ſuppletur iuramẽto, vt hîc.

§. Quod autem.

Allegatur textus iſte, quòd inueſtitura noua probatur per extraneos, ſi dominus non habet Pares: ſecùs ſi habeat; licet ſint abſentes, quia expectandi ſunt, vt coram eis talis inueſtitura fiat, aliàs nõ valebit. Et ſic vbi dominus eſt ſine Paribus, non exigitur aliqua ſpecialis ſolennitas inſtituenda vel probanda noua inueſtitura, vt hîc, & ſup. quid ſit inueſtitura. §. ſi verò inueſtitura. Probat etiam textus iſte, quòd actus nõ valet, non expectatis expectandis. & ſic abſentia Parium non excludit ſolennitatẽ adhibitam circa nouam inueſtituram, quoniam expectandi ſunt. Et ideo glo. hîc, quæ ſemper allegatur, inducit ad quæſtionem, quod propter abſentiam iudicis quis non debet ſibimet ius dicere, ſed debet ipſum expectare. Et vltra adducta hîc per Aluaro. in hac materia vide quæ dixi in alphabeto, in verbo, Iudex. Dicit tamen Bald. hîc in fin. quòd ſi expectatio eſſet fruſtrà, nõ debet expectari. l. Areſcuſa. ff. de ſta. ho. Sed quæritur, quanto tempore expectabuntur iſti Pares. dicit Bald. per

per duos mẽſes, vel quòd iudex definiet tẽpus, poſtquam non eſt à iure limitatum. Et nota, quòd hîc Bald. format quæſtionem ſtatuti dicentis, quòd mulieres non poſſunt contrahere ſine præſentia propinquorum: nam cùm auferat eis adminiſtrationem, poſito quòd propinqui nolint intereſſe, tamen non valet contractus, niſi propinqui nolint intereſſe dolo malo: nam tunc iudex poteſt eorum præſentiam ſupplere, decernendo ſe ratum habiturum quod erit geſtum, calumnioſa abſentia non obſtante. Cui adde notata per Barto. in l. ſi cùm dotem. §. eo autem tempore. ff. ſoluto matri. Bald. in l. j. C. vnde vir & vxor. in l. j. in l. viduæ. in l. in coniunctione. C. de nupt.

§. Sacramentum.

Allegatur textus iſte, quòd non poteſt dari certa regula, cui iuſiurandum debeat deferri in materia feudali, cùm non ſit ſemper dandum poſſidenti, ſed quandoq; poſſidenti, quandoque agenti. Et nota ſecundum Dd. quòd pars poteſt petere ſibi deferri iuramentum vſque ad concluſionem in cauſa. Barto. in l. admonendi. ff. de iureiuran. Et nota hunc textum, quòd propter inopiam probationũ deuenitur ad iuramentum, quod ſi defertur ſemiplenè probanti, tunc dicitur delatũ in ſupplementum probationis, vt hîc, & in d. l. admonendi. Iuramentum enim facit aliam ſemiplenam. Et ſic duæ ſemiplenæ iunguntur & faciunt vnam plenam. Sed quando defertur à parte parti, tunc dicitur delatũ in defectum

probationis.l.in bonæ fidei.C.de iureiurã. Nec in cauſis feudorum proceditur ad ſacramentum, niſi ſemiplena probatione præcedente, vel ſit aliquid quod moueat iudicem ad deſerendum. Limitat tamen Bald. ea quæ dicuntur hîc, vt procedant quando eſt controuerſia ſuper feudo antiquo. Si verò eſſet ſuper inueſtitura noua, tunc committeretur ſacramento domini, niſi aliud pro poſſidente faciat, de quo ſup. tit. proximo in prin. Et ſi tu diceres ad ſolennitatẽ inueſtituræ ſuper acquiſitione feudi requiruntur ſaltem duo teſtes & neceſſarij, vt inueſtitura valeat, vt ſup. tit. præcedenti: ergo ſi vnus ex teſtibus neceſſarijs ad actum deficiat, non valebit actus: ergo male dicit textus iſte, quòd cauſa poſſit expediri per vnum teſtem mediante ſacramento. Sed dicas quòd tempore inueſtituræ à principio ſunt neceſſarij duo teſtes & Pares. Sed ſecùs eſt tempore probationis, quia cauſa poterit expediri ſecundum formam iſtius textus, requiritur tamen quòd teſtis iſte examinatus deponat de veritate inueſtituræ, & de ſolennitate. Et ſic probabit ſemiplenè, aliàs non probaret, nec eſſet locus delationi iuramenti. Et nota glo. hîc, quòd regulariter vnus teſtis facit ſemiplenam probationem, de quo per glo. in d.l. admonendi. & in d.l. in bonæ fidei. Interpres tamen plenè probat, vbi alter non reperitur. l. j. in fi. ff. de verborum oblig. Et nota Bal. quòd licet teſtis ſit de ſe legitimus, ſed modus examinandi nõ fuit congruus, vt quia non fuit interrogatus de cauſa ſcientiæ. Item ſi nõ dixit

plenè

plenè factum.glo.in l. Lucius.ff.de his qui notantur inf. quia talis examinatio non caret ſuſpicione, quia modicus defectus impedit ſemiplenam probationẽ teſtis. Nota etiam ſecundum Bal. quòd vbicunque vnus teſtis adducitur ad probandum aliquid contra ſolitam naturam contractus, non facit vnus ſolus teſtis ſemiplenam probationem, vt deferatur ſacramentum. Item requiritur quòd ſit omni exceptione maior. Barto.in d.l. admonendi. Et nota quòd ſunt multi caſus, in quibus non habet locum delatio iuramenti in ſupplementum probationis, de quo plenè per modernos in d.l. admonendi. Et notà vnum ſecundum Bald. ibi, quòd ſi alquis probaret per teſtem vnum præſcriptionem, non defertur iuramentum: quia in materia odioſa iudex non debet ſupplere vel fauere. Et poſui aliquos caſus in c.fin. de iureiuran. Et nota dictum Bald.in d.l.in bonæ fidei. quod refert hic Aluaro. quòd in feudo etiamſi ſit magna res, quòd nihilominus defertur iuramentũ poſſeſſori ex ſemiplena probatione: quia poſſeſſio aliquid adiungit præſumptioni vnius teſtis per iſtum textum. Non autẽ deferetur actori in magno feudo ex ſemiplena probatione, vt tenent hic Docto. qui dicunt, quòd in hoc non eſt differentia inter feudum & cæteras res. Et nota ſecundum Bald. in d.l. admonendi. quòd pars, cui venit deferendum, poterit appellare, dummodò fiat antequam ſit concluſum in cauſa: quia pòſt pars non poteſt petere, licet iudex poſſit ſupplere. Et nota dictum Bal. quòd li-

cet duo teſtes non interrogati faciant plenam probationem, tamen vnus non facit ſemiplenā. Et nota, quòd Bal. hîc in fin. concordat glo. in c. ſtatutum. §. aſſeſſorē. de reſcri. in 6. & gloſ. in Clementi. prima de iure patr. quam dicit ſingularem. Quærit enim, an ſuper conſcientia poſſit referri quæſtio? & dicit quòd non in his, quæ ſunt modici præiudicij: ſed in his, quæ ſunt magni præiudicij, bene poteſt querela proponi coram ſuperiore, ſed non appellari. Et vide quæ dixi in alphabeto, in verbo, Verbum.

§. Et cùm datur.

Allegatur textus iſte, quòd vbi iuramentum eſt delatum per dominum vaſallo, tunc iurare debet vaſallus cum duodecim ſacramentalibus, inter quos ſint ſaltem ſex ſui propinqui. Vel debet ipſe vaſallus referre eodem modo iuſiurandum, ſed per ipſum vaſallum, ſi iuramentum ſibi deferatur per iudicem: ſed ſi deferatur domino per iudicem, tunc dominus iurat cum duodecim ſacramentalibus, quos eligit, ſiue de coniunctis, ſiue de vaſallis, ſiue de extraneis: & iurare debet vaſallus ſemper ſic eſſe, vel non eſſe in veritate: nec admittetur eius iuramentum, ſi voluerit iurare, ſe ita credere ſecundum conſcientiam ſuam. Quod ſimiliter habebit locum in ſacramento præſtando per dominum, ſi in facto proprio iuret, hoc eſt, quia iſtud feudum, de quo diſputatur, dependet à ſuo facto proprio: ſecus verò, ſi dependeret à facto patris, vel aliorum anteceſſorum ſuorum: quia

tunc iurabit, ſe ita credere ſecundum ſuam conſcientiam. Ex iſto textu habes, quòd vaſallus neceßitatur iurare cum ſex coniunctis. Et ratio eſt, quia iſti coniuncti præſumuntur ſcire ratione ſanguinis melius veritatem. l. octaui. ff. vnde cog. Et cùm dominus non neceßitetur in hoc, ergo eſt caſus, in quo dominus eſt melioris conditionis, quàm vaſallus. Item diſponitur, quòd vaſallus indiſtinctè iuret in veritate, & non ſecundum conſcientiam: ſed dominus non, quia in eo diſtinguitur, an in facto proprio vel alieno. Et ex hoc habes limitationem ad regulam quæ eſt ſup. de forma fidelitatis. in fin. vbi ad paria iudicantur dominus & vaſallus: quia hîc loquimur reſpectu iudicis, qui ex probationibus & præſumptionibus vult informare animũ ſuum, ſup. co. §. ſacramentũ. meritò, cùm in probationibus & iuramentis lex magis præſumat contra vaſallũ, quàm cõtra dominum. l. qui bona. §. pen. ff. de dam. infect. Et pro tanto maior neceßitas imponitur vaſallo, quàm domino, cùm vaſallo debeat perſona domini videri ſancta. l. liberto. ff. de obſe. Intellige tamen quod dicitur in textu, quòd vaſallus cogitur iurare ſuper veritate, non autẽ ſecundum conſcientiam ſuam, quando vaſallus poterat ſe certificare de illo facto, ſuper quo iurare debet: quoniã ſi eßet tale factũ, ſuper quo nõ poßet ſe certificare, de illo facto, ſuper quo iurare debet, tunc non deberet cõpelli anceps ſubire periurium. l. videamus. in prin. ff. de in lit. iur. Et nota gloſ. hîc, quæ ſolet allegari, quòd ſi vaſallus non

habet cōiunctos, producet extraneos. Ex quo infertur, quòd ex defectu ꝓbationis teſtes recipiuntur, qui aliàs non reciperentur. ad idem quod notat gloſ. in c. cùm dilecti. de elect. Et iſti coniuncti non admittuntur tanquam veri teſtes, ſed vt iudex ex eorum dictis præſumptionem capiat, & animum ſuum moueat ad ita opinandum. gl. in l. etiam matris. ff. de probat. Neque etiã iſti ſacramentales deponunt tanquam veri teſtes, ſed quia credunt vera eſſe, quæ iurauit producens eos, vt in titu. de purgatione canonica. c. de teſtibus.

§. In quibus etiam.

Allegatur textus iſte, quòd in cauſis feudalibus non habet locum iuramentum calumniæ, nec exigitur per vaſallum à domino, nec econtra per dominum à vaſallo. Et ratio decidendi eſt, quia ſicut dominus non tenetur iurare vaſallo, ita propter æqualitatem ſeruandam vaſallus non iurat domino. & ratio eſt quantum ad vaſallum: quia cùm ſemel vaſallus iurauerit fidelitatem domino, nō tenetur amplius iurare. Ex quo ſequitur, quòd ſi orıretur aliqua contentio inter dominum & vaſallum, antequam præſtitum ſit iuramentum fidelitatis, tunc deberet bene iurare de calumnia ſecundum gloſ. & Dd. Et vt ceſſent contraria poſita in glo. potes intelligere iſtum textum, quòd de hoc erat contentio coram Imperatore, qui volens tollere altercationem de medio, hanc declarationem fecit, & pro lege haberi voluit. Et nota ſecundum communiter Dd. quòd ſi dominus vult

iurare

iurare de calumnia,non poterit tamen exigere à vaſallo idem iuramentum calumniæ:quia iſtud priuilegium eſt iam acquiſitum ipſi vaſallo.

§.Similiter.

Allegatur textus iſte,quòd vaſallus non poterit dominum accuſare,vel contra eum teſtimonium reddere in cauſa ciuili vel criminali,& ſi cõtrà fecerit, feudum amittit,licet quidam aliter dixerint. Nota ergo regulam,quòd vaſallus non poteſt accuſare dominum. *quod intellige de accuſatione temeraria & calumnioſa: ſi autem accuſationem ſuam probaret,eſſet excuſandus, nec priuaretur feudo.l.qui cùm maior.in fin.ff.de bonis liber.Secundò intelligitur textus, quando per accuſationem dominus ſuſtinet graue diſpendium,ſecùs ſi leue,vt notatur in.§.præterea.ſup. quæſit prima cau. beneſi.amitten. Secundò habes ex textu, quòd vaſallus perhibens teſtimonium ſpontaneum contra dominum ſiue in cauſa ciuili,ſiue criminali, perdit feudum. quod intelligas verum ſecundum Dd.in alia cauſa,quàm feudali,etiamſi cauſa eſſet modica. Sed dubitat Alua. cur diuerſum:quia ſi accuſat de re leui,ex qua dominus non ſuſtinet graue diſpendium, non punitur:ſecùs in teſtimonio. Aſſignat rationem, quia quando vaſallus accuſat,venit principaliter propter ſe, & non contemplatione alterius:ſed quando venit tanquam teſtis ſpontaneus,venit contemplatione alterius. Et ideo magis præſumitur eius malus animus.Sed tu allega gl.in c.ſi quis*

Epiſcopus.ij.q.vij.quæ dicit, quòd ille, qui accuſat, præſumitur moueri ex odio: ergo vtroque caſu præſumitur malus animus. Et intellige, quòd coactus deponat, & ſic non patietur pœnam: quia non poteſt compelli inuitus. l.lege Iulia.ff.de teſti.l.libertorũ.C. de teſti. quãdo oppoſuit excuſationem, iudex tamen ipſum coegit dicere teſtimonium, tunc dicitur coactus teſtificari: ſed ſecùs, ſi vocatus non eſt vſus excuſatione ſecundum gloſ. & Dd. Et de prima parte iſtius textus vide Docto.in.§. Item ſi delator.ſup.quæ fuit prima cau.beneſi.amitten. An autem poſſit contra dominum teſtificari, vide plenè per Specu.in tit. de teſti.§.j. verſiculo, Sed nunquid vaſallus. Et ibi per Ioan.

§.Item ſi inter.

Allegatur textus iſte, quòd vbi eſt contentio de feudo, & vaſallus agens contra dominum poſſidentem nihil probat, abſoluetur dominus abſque aliquo iuramento: ſi verò dominus agat, & nihil probat contra vaſallũ, qui iam poſſedit anno ipſum feudum; tunc cauſa finitur per iuramentum vaſalli: ſin autem minus anno poſſedit, tunc cauſa finitur per iuramentum domini, niſi aliqua præſumptio ſit pro vaſallo. Ex hoc textu habes regulam communem, quia actore nihil probante, reus eſt abſoluendus, etiam abſque aliquo iuramento.l. qui accuſare. C. de eden. quæ regula licet ſit vera de iure communi, tamen in materia feudali poſſet iudex ipſam

ſeruare, ſi ſibi videbitur. Poteſt etiam, ſi ſibi videbitur deferre ſacramẽtum poßidenti, vt ſup. eo. §. ſacramentũ. Secundò habes ex textu, quòd tunc poſſeßio inducit probationẽ pro vaſallo, quando ſtetit in poſſeßione per annum. quod intellige pacificè, domino ſciente, & non contradicente, & ſeruitia ab eo tanquam vaſallo recipiente.

DE LEGE CORRADI.
TITVLVS XXXIIII.

In iſto titulo tractatur coram quibus finiantur controuerſiæ feudales.

Lex Corradi de beneficio.

Allegatur textus iſte, quòd ſi inter capitaneos eſt controuerſia, debet definiri per legem Corradi coram Rege: ſi verò eſt inter valuaſores, tunc coram Paribus Curiæ. Verùm iſta lex non ſeruatur Mediolani: ſed diſtinguitur, aut contentio eſt inter duos de beneficio regali quicunque fuerint, tunc coram Rege deciditur: aliæ verò cauſæ coram Paribus Curiæ. Et nota hîc duo, quòd lex Corradi in diſcernenda iuriſdictione conſiderauit perſonas & dignitates ipſarum & non res: Mediolanenſes autem conſiderarunt res & non perſonas, quoniam de quacunque re procedente à beneficio Principis, ipſe Princeps eſt iudex competens, non facta aliqua perſonarum diſcretione. Et dicit Bald. quòd diſtinctio Corradi eſt rationabilior, ideo tenenda eſt, quia eſt lex imperialis.

§. Si au-

§.Si autem inter.

Allgatur textus iſte, quòd plures litigantes de eodem feudo debent cauſam prædictam ventilare coram iudice, vel arbitro, ſiue allegant inueſtituram ab eodem domino, ſiue à diuerſis, dummodò aliàs vaſalli non ſint eiuſdem domini. Et ſi omnes allegant eundem dominum inueſtitorem, poterit idem dominus poſsidenti gratificari, niſi aduerſarius contrà probauerit. Et ideo in caſu iſto, congnitio non ſpectat ad dominũ: quia iſti duo licet dicerent ſe Pares, tamen non conſtabat, vt inf. de probibi. alie. feu. per Fede. c. j. Et dum dicit textus, quòd dominus poteſt gratificari, intellige ſic ſecundum Dd. quòd iſti litigantes producebant in teſtem ipſum inueſtitorem, volendo ſtare dicto ſuo. Vnde ſi voluerit gratificari pro poſsidente ſine fraude, hoc eſt, teſtimoniũ dicere verè & purè, quod ille ius habebat, ille obinebit, ex quo voluerunt ſtare dicto ipſius. Secùs ſi fraudulenter, quia tunc non valeret. Et ideo dicitur in textu, Induxerit, id eſt probauerit forte fraudem, vel probauerit per aliquas ſemiplenas ꝓbationes de iure ſuo, ita quòd poſſit ſibi deferri ſacramentum ſecundum formam. §. ſacramentum. ſup. tit. proximo. Et ſcias, quòd eſt altercatio inter Dd. an iſte textus ſit hodie correctus, dum loquitur de arbitro, quòd hodie ſine periculo priuationis non poſsit litigare vaſallus coram arbitro. Et hoc per textum inf. de probi. alie. feu. per Lotha. & de prohibi. alie. feu. per Fede. in prin. In quibus locis habetur, quòd ſublata

ſublata eſt omnis via & machinatio, ex quibus poſſet peruenire per vaſallos ad alienationem feudi: ſed per compromiſſum poſſet aperiri via fraudandi dictas conſtitutiones. Sed tu breuiter conclude, quòd etiam hodie poteſt vaſallus litigare coram arbitro ſecundũ formam huius textus ſine aliquo periculo. hoc tenet gl. in. §. pen. inf. de probi. feu. alie. & communiter tenent Dd. Secùs tamen eſt in arbitratore: quia ſi compromitteret in arbitratorem, & vigore arbitramenti transferretur feudum in alium, tunc veniret contra conſtitutionem, & eſſet puniendus: quia in materia iuriſdictionis feudalis, vbi tractant Dd. materiam, nõ reperitur hoc, quòd vaſallus poſſit compromittere in arbitratorem: ex ſolo tamen compromiſſo non puniretur, ſed ex tranſlatione facta vigore compromiſſi.

§. Ex eadem.

Allegatur textus iſte, quòd dominus abſque vaſalli voluntate non poteſt alienare feudũ, vt hîc & c. ij. ſup. quo tempore miles. vtrum autẽ dominus alienando priuetur proprietate. glo. ſentit quòd ſic. in c. j. in fi. de forma fide. & dicetur inf. in tit. qualiter dominus proprie. feu. pri. Mediolanenſes autẽ aliter ſeruant, vt in textu, & talis conſuetudo non ſeruatur, niſi in eo loco, in quo viget: quia habemus legem imperialem in contrarium, vt hîc. & in. §. præterea Ducatus. inf. de probi. alie. feu. per Fede. Allegatur etiã tex. iſte, quòd ponit caſum mirabilem ſecundũ conſuetudinẽ Mediolanenſium, in quo

poteſt

poteſt fieri alienatio potentiori, non inferiori. & ratio eſt, quia intereſt vaſalli eſſe potius ſub magno domino, quàm ſub paruo. Vult etiam textus iſte, quòd vnum feudum poteſt eſſe in pluribus locis, licet ſub vna inueſtitura comprehendatur. Quærit Bald. quid ſi dominus vendit vnam medietatē vni, & alteram medietatē alteri, à quo recognoſcet ſe vaſallum? & dicas, quòd à neutro, niſi inter ſe conueniant, à quo vaſallus recognoſcat: quia non compellitur habere plures dominos, aliàs ſibi imputet.

§.Similiter.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus non alienat feudum ſine domini voluntate, ſed alteri bene poteſt infeudare, dummodò perſonæ ſibi ſimili, quæ in feudo poterit in infinitum extendi, licet in quibuſdam Curijs non admittatur vltra tertiā perſonam. Et ſic lex Corradi prohibet feudi alienationem, & ſi fiat, poteſt per dominū reuocari, nulla obſtante præſcriptione.§. præterea.inf.de capti. Corra. de quo per Fede. & Lotha. in ſuis conſtitutionibus, de quibus inf. Poteſt tamen vaſallus alteri infeudare, vt hîc. In iſta tamen infeudatione debēt tria interuenire: primò, quòd infeudet æquali, vt hîc: ſecundò, quòd infeudet eodē modo & forma, prout ipſe vaſallus infeudans habet, & non alio modo: tertiò, quòd hoc faciat ſine aliqua fraude, vt prædicta habentur per gl. in c. beneficium. ſup. ſi de feu. fue. contro. Vult etiam textus iſte, quòd vaſallus vaſalli cogitur domino domini

domini ſeruire, de quo per Alua. ſup. de controuerſia inueſt. in fi. Et nota, quòd regula iuris eſt per iſtũ textum quòd poteſt dari in feudum in infinitũ: quia eſt lex imperialis, niſi ſit ſpecialis conſuetudo, quòd non extendatur vltra tertiam perſonam. & attenta iſta conſuetudine, ſi fuerit datum in feudum in quartam perſonam, primus dominus reuocabit, ſecundũ glo. hîc & Dd. quia ipſe habet dominium directum: quia etiã poterit reuocare, licet feudum fuerit tranſitum in quintam, cùm non appareat, quòd renuatiauerit iuri ſuo, poſtquam fuit ſibi primò apertum ſecundum glo. & Dd.

§. Profectò.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus infeudando alij non poteſt in aliquo mutare qualitatem & formam ipſius feudi, prout ipſe habebat. Et ſi fiat contrà, priuabitur dicto feudo ipſe & accipiens, quicquid dicant alij. Et intellige iſtum textum, quòd interuenerit actualis traditio, quia per ſimplicem inueſtituram contra legem factam non deberet priuari, vt dictum eſt in titu. quæ fuit prima cau. benefi. amitten. §. fin. Et hoc probat hîc textus in verbo, Dedit, & in verbo, Datum eſt. Quærit Bald. quid ſi vaſallus ea lege, qua ipſe habebat, dat feudũ, poſtea in proceſſu temporis alterat naturam feudi, an amittat? & dicit quòd non. Alua. contrà, quia poſſet fieri fraus. Et quia clarum eſt, quòd feudũ non erit ea lege apud recipientẽ, quod eſt cõtra hunc textũ. Sed aduerte, quia Bal. adducit rationẽ, quòd pactum in ſua

conce-

conceptione æquum, non debet vitiari ex poſt facto. l. ſi ſocius pro filia. ff. pro ſoci. Nec videtur textus iſte obſtare, quia loquitur de tempore, quando datur. Nec obſtat, quòd poſſet fieri fraus: quia ſi de ipſa conſtaret, tunc puniretur. Sed quouſq; non cõſtet de fraude, videtur quòd non debeamus recedere à textu loquẽte de tempore dationis. Dicit Bal. quòd ſi conſuetudo eſt Eccleſiæ dare in feudum res Eccleſiæ accipienti pro ſe & ſucceſſoribus maſculis tantùm, quòd Prælatus non poſſit dare in feudum accipienti pro ſe & ſucceſſoribus maſculis & fœminis, & remittit ſe ad notata ſup. de his qui feudum dare poſ. in princ.

§. Si fuerit.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus negando expreſſè feudũ priuari debet feudo, ſi hoc ſciẽter & fraudulenter faciat: ſecùs autẽ, ſi ex iuſta ignorãtia ductus, negaret: quia tunc nõ priuaretur. & eſt ſecunda opinio poſita in textu, quæ tenẽda eſt. Et pro intelligentia breuiter habeas iſtos caſus. Primus eſt, quòd ſi vaſallus ſciens fraudulenter negat, priuatur feudo. Secundus caſus, quando eſt ignorans ignorãtia iuſta & excuſabili, & tunc per ſuam negationẽ non priuatur. Tertius caſus eſt, quando eſt ſciens, & tamẽ dubitanter reſpondet, et tunc priuatur perinde ac ſi expreſſè negaſſet. Quartus caſus, quando eſt dubius, & poteſt dubitanter reſpondere, & nõ priuabitur: dabitur ſibi tamẽ terminus ad ſe certificandũ, de quo per Al. in c. ſi vaſallus. ſup. ſi de feu. fu. cõt.

DE

DE CLERICO QVI INueſtituram facit.

TITVLVS XXXV.

In Eccleſia Mediolanenſi erat ſpecialis conſuetudo contra communem & generalem conſuetudinem aliarum Eccleſiarum, vt patet in hoc titulo, & ideo fuit poſita hic iſta rubrica.

Clerico inueſtituram faciente.

Allegatur textus iſte ad multa, & primò, quòd ſi clericus facit inueſtituram de ſuis proprijs bonis, eius ſucceſſor tenetur illam habere ratam & adimplere: ſecundò, ſi clericus fecit inueſtituram de rebus Eccleſiæ, quas adhuc inueſtitor tenet, ſucceſſor tenetur adimplere, & idem in laico inueſtiente: tertiò, quòd ſi clericus inueſtituram facit de feudo vaſalli adhuc viuentis & poſſidentis, & fiat purè, non valet: ſi verò eſt facta ſub conditione, quando erit ſibi tale feudum apertum, valet etiam ſine voluntate vaſalli, ſi tamen inueſtiens antè moriatur, quàm ſibi aperiatur dictum feudum, tunc ſucceſſor non cogitur eam habere ratã: ſecùs ſi viuente fuit apertum feudum: quia tunc talis inueſtitura eſſet adimplenda, & poſſeſſio tradenda. Itẽ allegatur, quòd eſt differentia inter Archiepiſcopũ Mediolanenſem, & alios Prælatos & clericos: quoniam ipſe Archiepiſcopus nõ poteſt infeudare ea, quæ reperit in ſuo dominico tempore ſui introitus, puta rem reuerſam ad Archiepiſcopum, quam ſuus præceſſor, cui erat aperta, nõ infeuda-

uerat: ſed ſi aperiretur ipſi Archiepiſcopo poſt ingreſſum ſuum dicta res, quæ à præceſſore ſuo fuerat infeudata, tunc bene poterit eandem rem infeudare. Sed alij Prælati & clerici indiſtinctè poſſunt infeudare bona ſolita infeudari, ſiue reperiant in dominico tempore ſui introitus, ſiue poſt introitū aperiantur ſibi. Et ſic breuiter habes hîc bonam diſtinctionem, quòd ſi tractatur de rebus clericorum proprijs, aut de rebus laicorum, hæres inueſtitoris tenetur inueſtituram adimplere: ſed ſi tractatur de rebus eccleſiarum, tunc diſtinguitur, prout fuit dictum ſuprà. Nota tamen ſecundum gl. & Dd. quòd illud, quod dicitur hîc de Archiepiſcopo Mediolanenſi, hodie non obſeruatur, ſed in eo obſeruabitur, quod in cæteris Prælatis ſtatutum eſt. Nota ſecundum Bald. hîc, quòd vnus Epiſcopus eſt maior altero ſecundum Eccleſiæ ſuæ dignitatem: vnde nō omnes Epiſcopi ſunt pares, allegat Ioannē Monachi. in c. ſi forte. de elect. in 6. Nota etiam quòd. Bald. hîc allegat glo. in l. facultas. C. de iu. fiſ. lib. x. quòd in dubio res præſumitur eſſe de bonis fiſci, licet ſecundum Bald. multi damnent illam gl. & de conſuetudine non ſeruatur ita indiſtinctè, prout loquitur: illam tamen ſequitur Bald. in authen. licentiam. C. de epiſc. & cleri. in l. ſi vt proponis. C. de dona. inter virum & vxo. in officiali publico, ſecùs in priuato. de quo per Bald. in l. ſi defunctus. C. arb. tute. in l. cùm oportet. in princ. C. de bonis quæ libe. Sed Barto. in d. l. facultas. tenet contra ipſam per d. l. ſi defunctus. gloſ.

enim

enim illa voluit, quòd quidquid quæſierunt officiales, præſumuntur quæſiuiſſe de bonis domini.

AN MVTVS VEL ALIAS IMperfectus feudum retineat.

TITVLVS XXXVI.

Poſita eſt iſta rubrica, quia dubitari poterat, an mutus vel aliàs imperfectus ſit capax feudi & illud retinere.

Mutus.

Allegatur textus iſte ſecundum veriorem lecturam, cùm ſit altercatio inter Docto. circa intellectum iſtius textus, quòd in feudo paterno ſuccedit mutus, vel aliter imperfectus factus ex accidenti, nõ autem qui ſic naſcitur. Nec videtur iniquitas quòd magis puniatur ex vitio naturali quàm ex vitio accidentali. Facit quod habetur in l. maximum vitium. C. de libe. præte. Quia intelligi debet quòd nulla culpa ſuberat in illa accidentia vitij accidentalis. Et aſſignat Bald. rationem differentiæ, quia quando vaſallus à natura naſcitur imperfectus, tunc contractus iſte feudalis deuenit in perſonam, ſeu ad caſum, in quo non potuit vnquam conſeruari in ſtatu ſuo, & ideo vitiatur. Sed quando eſt imperfectus ex accidenti, tunc bene poteſt retinere feudum, quia habuit originem fundamenti nedum in perſonam patris, ſed etiam ſuam. Vnde fortius eſt quod fundatur duabus radicibus, quàm quod vna ſola. in authen. de conſang. & vte. §. j. Et ſic vitium imperfectionis accidentale etiam perpetuum non nocet vaſallo,

quantum ad ſucceſsionem ſeu retentionem feudi paterni. Hoc non procedit in nouo, quia illud retinere non poſſet tanquam feudum, ſed tamen ex eo debet tantùm relinqui, vt ſe ſuſtentare valeat, ſi non habeat vnde, & feudum ſit magnum, de quo per glo. hîc, & in. §. mutus. ſup. Epiſcopum vel Abbatem. Et idem dicas in feudo paterno, quando non ſuccedit propter vitium naturale, vt dictum eſt ſecundum glo. notab. hîc. Et in textu ponitur ratio, quare imperfectus à natura & clericus & fœmina non poſſunt retinere feudum, quia ſeruitia exhibere non poſſunt: nec ſecundum Docto. talis imperfectus à natura poteſt retinere feudum ſeruiendo per ſubſtitutum, ſicut fœmina. Et intellige iſtam materiam de imperfectione, quæ facit inhabilem in totũ, de quo per Bald. hîc in rubrica. Et vide per eum hîc in materia optimè diſtinguentem. Sed quid ſi aliquis eſſet imperfectus ratione guſtus vel odoratus? Dic quòd priuatur feudo, quando feudum eſt talis qualitatis, cui nõ poſſet vaſallus ſeruire, ſicut ſunt iſti qui faciunt credentiam dominis, & guſtant cibos: quia tunc haberet locum textus iſte. Si tamen mutus vel aliter imperfectus haberet filios, non aufertur ſibi feudum ſecundum Bal. quod intellige in feudo paterno: ſecùs in nouo, quia debet reuerti ad dominum excluſis omnibus. Sed quid de Hermaphrodito eſt? dicas vt hab. in l. quæritur. ff. de ſta. ho. & per Bald. in l. fin. C. de ſuis & legit. qui declarat quale nomen debeat ſibi imponi in baptiſmo. Ille

autem,

autem, qui non poteſt generare, poteſt tamen ſuccedere in feudo paterno, de quo per Bald. in.§. mutus. ſup. Epiſcopum vel Abbatem.

AN ILLE, QVI INTERFECIT fratrem domini, feudum amittat.

TITVLVS XXXVII.

Hic declarat, quando vaſallus priuetur ex officio ſibi contingente propter delictum & culpam ſuam.

Si quis.

Allegatur textus iſte ad quinque: Primò, ſi vaſallus occiderit fratrem domini ſui non proditoriè, neque in iniuriam domini, non perdit feudum. Secundò, ſi occidit fratrem ſuum propinquum, vt habeat eius hæreditatem, vel aliquam aliam feloniam commiſit, ex quo amplius non poteſt ſtare in Curia domini cum honore, vtputa quia hominem proditoriè occidit, priuatur feudo. Tertiò, in hoc caſu ſi feudum eſt paternum, non reuertitur ad dominum, quia delictum vaſalli non eſt commiſſum contra dominum. Sed dictum feudum tranſit ad agnatum proximiorem ipſius vaſalli. Quartò, qualiter intelligatur quis proximior, fiat connumeratio graduum ſecundũ formam iuris cõmunis. Quintò, quòd ſi tale delictum reſpiceret perſonam domini, tunc tale feudum reuertitur ad dominum. Et ſic habes quòd ex homicidio proditoriè commiſſo quis priuatur feudo. & ratio aſſignatur in textu, quia nõ poteſt amplius ſine dedecore morari in Curia domini. Et de prodite-

ditore vltra adducta hîc per Alua. adde quæ dixi in alphabeto, in verbo, Proditor. Et ratio eſt, quare vaſallus occidendo fratrem domini, non priuatur feudo: ſecùs ſi interficit fratrem propriũ, quia magis delinquit ſpargendo ſanguinem proprium quàm alienum. Et intellige quòd ſi caſu vel alio modo interfecit fratrẽ domini vel ſuum, non priuaretur feudo. l. perſpiciendũ. §. delinquitur. ff. de pœ. Et ſi opponatur, immo per homicidium commiſſum in perſonam fratris domini priuatur feudo, quoniam ſaltem condemnabitur criminaliter de homicidio, ex quo omnia bona debent ſibi adimi: reſpondet Bald. notabiliter, quòd quando occidit fratrem domini, poterit condemnari criminaliter, & in conſequentiam ex iſto iudicio criminali poſſet etiam perdere feudum, ſicut alia bona ſua. Sed tamen contra ipſum non poterit procedi ciuiliter ex iure feudali ad priuationem ipſius feudi. Et ſi dominus occidet fratrem ſuum proditoriè, vel alium, non tamen priuabitur proprietate ad inſtantiam vaſalli ſecundum Dd. quia non intereſt vaſalli, cùm felonia non ſit commiſſa contra ipſum. & eſt diuerſa ratio, quia ratio textus hîc non vendicat ſibi locum iſto caſu. Et ſi vaſallus delinquens poſt delictum, efficiatur furioſus ex culpis præcedentibus poterit pati ſententiam priuationis dato curatore ciuiliter, non criminaliter ſecundum Bal. & iſte textus ſecundum Dd. procedit etiam ſi vaſallus occiderit filium fratris domini, vel filium fratris ſui. Quærit Alua. quid

ſi va-

ſi vaſallus occidat conuaſallum, an feudum amittat? Et concludit quòd ſic, ſed ego neſcio intelligere hoc: aut enim occidit proditoriè, aut caſu. Si caſu, non perdit, vt dictum eſt ſuprà: ſi proditoriè, hoc non eſt in conuaſallo, ſed in quolibet alio. Et habet locum textus iſte, ſi vaſallus ex aliquo delicto ignominioſo non poſſit ſtare in Curia domini, vt quia damnatus eſt de adulterio vel ſimili ſecundum Dd. Non tamen intelligas, quòd ex omni cauſa, ex qua opinio vaſalli grauatur, veniat priuandus per ea quæ habētur in. §. illud. ſup. quæ fuit prima cauſa benefi. amitten. Quærit Bald. nunquid vaſallus, qui occidit ſeipſum, perdit feudum? Et reſpondet quòd non, quia antequam ſit mortuus, nō eſt damnatus ad perditionē feudi: et poſtquā eſt mortuus, bona fecerunt tranſitū ad hæredem. l. ij. C. qui teſta. fa. poſ. Vnde concluſio eſt, quòd nunquam per culpam feudū perditur, niſi culpa lege feudali damnetur, & ſuperſit perſona, quæ ſententiam pati poſſit. Et dicit etiam Bald. quòd ſi occido fratrem meum, qui non eſt vaſallus domini, non procedit textus iſte, vt quia habeo feudum nouum: ſed ſi feudum eſt paternum, ideo occido, ne vt agnatus ſuccedat, tunc perditur feudum.

§. Non cogitur.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus non cogitur ſe offerre domino ad ſeruitium, niſi fuerit ſibi denuntiatum, quo caſu ſeruire cogitur ſi poteſt. Et ſic vaſallus ad præſtationem ſeruitiorum non conſtituitur in mora

 ſine

ſine interpellatione: limita tamen iſtam regulam ſecundum Dd.niſi vaſallus ſciret magnum periculũ domino imminere, quia tunc interpellat ipſum. Quærit Bal. debitor promiſit mihi ſoluere vſque ad decem dies, & poſtea quandocunque interpellauero eum, vtrum iſti decẽ dies interpellent pro homine? Allegat gl.quòd ſic in l.cùm ſtipulatus ſim mihi Procule.ff.de verborum oblig. Quærit etiam, ſi debeo tibi decem purè, & tu promittis nõ petere ad Paſcha, dies non interpellat pro homine. allegat notata l.ſi vnus.§.j.ff.de pact.

DE VASALLO, QVI CONTRA conſtitutionem Lotharij Regis beneficium alienauit.

TITVLVS XXXVIII.

In iſto titulo tractatur de felonia ſeu ingratitudine proueniente ex contractu, ſcilicet de alienatione facta contra prohibitiones feudales.

Si vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus indebitè alienans, priuatur ſolùm parte alienata. Similiter etiam ex delicto commiſſo contra vnum tantùm ex dominis, priuabitur ſolùm parte iſtius domini. Et poteſt partem vni ex dominis refutare, & aliam retinere: quam refutationem poteſt facere ſine domini voluntate: & facta refutatione, liberatur à ſeruiendo, dummodò non offendat. Et habes hîc, quòd vaſallus poteſt feudum ſine domini

mini voluntate refutare. Quod intellige ſecundum Dd. quando feudum eſt ſimplex & rectum: ſecùs autem ſi eſſet conditionatũ ad certum ſeruitium: quia tunc non poſſet per regulam inf. de capitaneo, qui Curiam vendidit. §. fin. Et dum in textu dicitur, quòd feudum alienatum in parte vel in toto, reuertitur ad dominum, intellige, ſi eſt nouum, vel in antiquo, in quo nulli extabant agnati: ſecùs ſi agnati exiſterent, quia præferentur domino, de quo in. §. penulti. ſup. qualiter olim feudum poterat aliena. Et dum dicitur in textu, quòd vaſallus facta refutatione non debet offendere dominum, ne videatur hoc de indubitabili, quia de iure nemo debet alium offendere. l. vt vim. ff. de iuſt. & iure. dicas, quòd hoc eſt dictũ, vt multo magis debeat ſe abſtinere vaſallus ab offendendo in memoriã priſtinæ fidelitatis. quod ſi fecerit, grauius punitur, quàm ſi offenderit alium ſecundum glo. & Doctores. Et nota quòd ſecundum communem opinionem ſtamus hodie deciſioni iſtius textus, quòd ſolùm in parte alienata priuetur vaſallus: quia textus inf. de prohibi. alie. feud. per Federi. in princ. videtur probare contrarium. Et per iſtum textum dicunt Doctores, quòd ſi agnatus alienauit partem ſuam feudi, quam tenebat pro diuiſo cum alio agnato, & illam amiſit, & poſtea pars agnati appropriauit ſibi, in hac parte non præiudicabit ſibi.

DE ALIENATIONE FEVdi paterni.

TITVLVS XXXIX.

Quia in rubrica precedenti tractatur de vaſallo alienante feudum in genere, hîc autem ponitur in ſpecie de alienatione feudi paterni.

Alienatio feudi paterni.

Allegatur textus iſte ad multa. Vaſallus non poteſt alienare feudum ſuum etiam cum conſenſu domini, niſi conſentiente agnato proximiore: alioquin feudum prædictum eſt reuerſurum. Allegatur etiam, quòd non poteſt agnatus dictum feudum etiam in ſuam filiam transferre, niſi cum conſenſu dicti ſui agnati proximioris, vel poſtea ratum habentis. Allegatur etiam, quòd licet ſine voluntate domini ſit prohibita alienatio feudi, tamen inter agnatos eſt permiſſa. Allegatur etiam, quòd ſi inter agnatos fiat allibellatio de dicto feudo, quod non intelligitur propriè libellus, ſed quaſi refutatio, vult iſte textus in fine, quòd remanet feudum & non libellus, quod patet: quia mortuo eo ſine liberis, deuoluitur ad agnatos, non ad dominum, ſup. ſi de feudo fuerit controuerſia. c. Titius filios. Nota ergo ex textu, quòd voluntas domini adhibita in alienatione feudi, non præiudicat agnatis non conſentientibus: ſed ſi conſentiunt, valet alienatio in præiudicium eorum. Conſenſus tamen agnatorum vltimorum non poteſt

præ-

præiudicare præcedentibus. Vnde ad validandum alienationem feudi requiritur conſenſus agnatorum, qui ſunt proximiores, cùm illi habeant ius reuocandi. Si tamen poſtea remotioribus agnatis aperiatur feudum, admittuntur ad reuocandum, dato, quòd tempore alienationis non fuerint proximiores, vt hoc probatur in textu, in verſ. quandoque &c. Habes etiam hîc expreſſè, quòd dominus in præiudicium agnatorum non poteſt facere gratiam fœminæ in feudi ſucceſſione, pro quo ſup. de ſucceſſ. feud. §. j. cum ibi notatis. Et hoc intellige in feudo antiquo: ſecùs in nouo, quod eſſet reuerſurum in dominum. c. j. ſup. quemadmodum feud. ad fili. pertineat. Operabitur tamen gratia in caſu iſto, donec viuet pater filiæ, ad cuius inſtantiam filia fuit inueſtita, de quo per gloſ. & Doctores hîc. Et ſi fiat alienatio per agnatum agnato non proximiori, tunc non valet: quia poterit proximior reuocare. Intellige tamen ſecundum Doctores, quòd tenebit donec alienans viuit. Sed quid ſi vaſallus, qui alterum infeudauit, refutet poſtea idem feudum domino, an præiudicet illi, cui iam infeudauerat? Bald. quòd ſic per iſtum textum, quod tamen limita, niſi inueſtitus vellet ſeruire domino, & ab eo feudum recognoſcere: quia tunc non priuaretur feudo ſecundum Doctores. §. j. ſup. qualiter olim feudum poterat alienari. Nota ſecundum Bald. quòd ſi ſunt tres fratres, & vnus donat alteri partem ſuam, & poſtea monachatur

chatur donans, quòd ſolus donatarius habebit illam partem, non vterque per iſtum textum. Tamen poſtea decidit contrarium. Et ſi agnati, qui non conſenſerunt alienationi, ſint hæredes alienatoris, non poterunt reuocare per regulam, quæ eſt, Quòd hæres debet. obtemperare facto defuncti. l. cùm à matre. C. de rei vendi. ſecundum Dd. Et feudum nouum poteſt alienari conſentiente domino abſque conſenſu filiorũ ipſius alienantis, licet in inueſtitura dicatur, Pro ſe & pro hæredibus ſuis. Nam illud, quod acquiro, poßum alienare pro libito voluntatis. l. qua ratione. §. hoc quoque. ff. de acqui. re. do. Et quia reperitur ſolùm prohibitio facta in feudo paterno, nota, quòd ſi Rex concedit mihi caſtrum nomine & iure antiqui feudi poßidendum, quod licet ſit nouum feudum, aßumit qualitatem feudi paterni, & ſic poterit alienari in proximos agnatos, quod eſt notabile ſecundum Bald. Quærit etiam Bal. vaſallus refutauit feudum domino, ad quos redeat feudum? Et reſpondet ad agnatos vel ad fratres, non ad dominum: non ergo præiudicat agnatis, niſi viuente vaſallo & eius liberis.

§. Si inter.

Allegatur textus iſte varijs modis, ſed dicas ſic, quòd ſi vaſallus petit à ſucceßore domini inueſtiri, & dominus negat ipſum eße vaſallum, & nõ vult inueſtire: iſta quæſtio debet terminari coram Paribus Curiæ. Et officium iſtorum iudicum erit, quòd ſi iſte vaſallus tenet

aliud

aliud feudum à domino ſine controuerſia, & oſtendit inueſtituram ſuam, in qua apparet de ſuo recto feudo, debet incontinenti inueſtiri, & fidelitatem iurare: reſeruato iure cognoſcendi poſtea de cauſa principali, an valuerit inueſtitura vel non: ſed ſi vaſallus non recognoſcit aliud feudum à dicto domino, niſi iſtud, de quo pendet controuerſia, ſimiliter vaſallus debet inueſtiri: ſed tamen iuramentum fidelitatis debet deferri ad inſtantiam domini, donec de principali cauſa cognoſcatur: quia tunc videbitur, an debeat admitti iuramentum fidelitatis. Nota ergo, quòd Pares ſunt iudices competentes ſuper controuerſijs, quæ oriuntur inter dominum & vaſallum occaſione feudi, vt hîc, & .§. penulti. inf. de probi. alie. feu. per Fede. Secundò probat textus, quòd ſi vaſallus recognoſcit à domino ſine controuerſia aliud feudum, quàm illud, ſuper quo verſatur quæſtio, debet incontinenti inueſtiri, & ad fidelitatem recipi de feudo, ſuper quo vertitur quæſtio, ſi conſtat eſſe feudum rectum: ſecùs autem ſi aliud feudum non tenet ſine controuerſia, quia tunc licet inueſtiatur verbaliter, tamen ad fidelitatem non recipitur. Et ratio eſt, quia non eſt ita præiudicium domino acceptando vaſallum ad fidelitatem ſuper feudo, de quo verſatur quæſtio, poſtquam eſt verus vaſallus & fidelis de alio feudo, quàm quando nullo modo reperitur aliàs eſſe vaſallus & fidelis. Et nota, quòd hîc capitur rectum feudũ pro eo feudo, quod non datur ad certum ſeruitium, & eſt perpetuum, &

non

non poteſt reuocari. Feudum autem non rectum eſt, quòd datur ratione alicuius officij vel meriti, & iſtud poteſt reuocari, de quo dictum eſt in c. j. de controuerſia inter Epiſcopum & vaſallum.

§. Non eſt conſuetudo.

Allegatur textus iſte, quòd de felonia vel infidelitate ſit pugna ſecundum leges Longobardorum, licet Mediolani non ſeruetur. Nota gloſ. hìc, quòd pugna debet fieri cum armis militaribus, non cum fuſtibus vel lapidibus. Nota etiam gloſ. quòd ſi dominus committit feloniam vel infidelitatem aduerſus vaſallum, quòd vaſallus poteſt ipſum prouocare ad pugnam perſonaliter, ſicut dominus vaſallum poteſt, ita econtra, cùm ad paria iudicentur. §. fina. ſup. de forma fideli. Adeo, quòd ſicut vaſallus per feloniam priuatur iure feudi, ita dominus iure proprietatis. c. domino. ſup. ſi de feudo fuerit controuerſia. Et in iſto caſu ſecundum gloſ. & Docto. tenetur dominus pugnam facere perſonaliter, licet vaſallus non ſit miles, vel de genere militari propter paritatem ſeruandam inter eos.

§. Si à morte.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus non liberauit dominum à morte cùm potuit, feudum amittit: ſed ſi eum à periurio liberare potuit, & non fecit, non perdit feudum. Probat textus iſte tria: Primò, quòd ex ſola ne-

la negligentia poteſt vaſallus priuari feudo. Secundò, quòd licet vaſallus non libèrat dominum à periùrio, non propter hoc priuatur feudo. Ex quo infertur, quòd ad feudum amittendum non ſufficit omnis occaſio, per quam videatur vaſallus ingratus, ſup. in quibus cauſis feudum amit. in prìnc. Neque etiam ſufficit omnis cauſa, ex qua opinio vaſalli videatur eſſe grauata. §. illud. ſup. quæ fuit prima cauſa benefi. amitten. Tertiò probat textus iſte, quòd qui non poteſt propter paupertatem adimplere promiſſa iurata, incidit in periurium: quod tamen intellige, quando ei poteſt imputari culpa, vel quia à principio tempore promiſſionis & iuramenti ſciuit ſe impotentem ad ſoluendum: ſecùs ſi caſu fortuito redactus eſt ad paupertatem. Et glo. hìc vult duo. Primò, quòd vaſallus non tenetur ſalutem domini præponere ſaluti propriæ, & adde glo. ſup. quibus modis feudum amitta. in princ. Et pro hoc etiam facit quod determinat gloſ. ſup. hìc finitur lex. in fin. quòd vaſallus non debet adiuuare dominum contra ſe. Secundò vult glo. quòd vaſallus non tenetur ad præſtandum ſeruitia domino, niſi cùm poteſt. cui adde dictam glo. ſup. quibus modis feudum amittatur, in princ. in c. ij. in fin. ſup. de feudo ſine culpa non amit. Vult etiam textus iſte, quòd vaſallus non tenetur ſoluere debita domini.

DE CA-

DE CAPITVLIS CORRADI.

TITVLVS XL.

Quia vltra ſupraſcriptas obligationes, de quibus viſum eſt, in quibus vaſalli tenentur dominis, eſt dare alias obligationes, in quibus occaſione feudi vaſalli ſunt obligati eorũ dominis, prout patet in certis capitulis editis per Imperatorem Corradum: iccirco, vt prædicta declarentur, ponuntur hic dicta capitula. Et ſi velles ſcire, quæ differentia ſit inter titulum de lege Corradi & iſtum, dicas, quòd in iſtis varijs conſuetudinibus adducebatur ſæpe in mediũ vna lex Corradi, quæ eſt originaliter poſita in libro Longobardo, quæ videbatur aſtringere omnes, cùm eſſet Imperatoris, & ex ea oriebantur variæ controuerſiæ: & quia erat contra conſuetudines Mediolanenſium, nolebant illam admittere: & ideo, vt declaretur dicta lex, fuit poſita ſupraſcripta rubrica de lege Corradi. Verùm quia vltra dictam legem idem Imperator fecit aliqua capitula in dicta materia feudali, quæ non ſunt inſcripta in dicta lege Longobardorum, ſed pro cap. Corradi allegabantur, quæ capitula quædam Curiæ admittebant, quædam non, ideo intitulauit hic, De capitulis Corradi: ſecundum enim leges Longobardorum capitula, quæ addebantur ad aliquam legem, non appellabantur lex, ſed capitula, niſi expreſsè diceretur.

Hæc ſunt capitula.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus à ſucceſſore domino, vel ſucceſſor vaſalli ab ipſo domino non petierit inueſtituram infra annum & diem, amittit feudum, ſi dictum feudum erit talis naturæ, vt iuraretur fidelitas: prædicta tamen non obſeruantur Mediolani. Habes ergo hîc innouationem inueſtituræ fieri debere vel per mortem domini, vel per mortem vaſalli. Probat etiam textus iſte, quòd feudum poteſt per pactum ſine fidelitate conſtitui: regulariter autem ſecùs, quoniam feudum

dum à fidelitate dicitur, niſi eo pacto fuerit acquiſitũ, vt non iuretur ſecundum glo. Et ex hoc infert Bald. notabiliter, quòd feudum ſimpliciter conceßum præſumatur fore conceßum, vt præſtetur fidelitas: quoniam feudum ſemper in dubio præſumitur eße ſecundũ ſuam propriam naturam, niſi eius alteratio probetur. Et nota, quòd eſt ſpeciale in milite, vt ipſe habeat terminum anni & menſis, de quo ſup. quo tempore miles. Et nota, quòd vaſallus, ſi incipiat à pollicitatione fidelitatis, debet etiam inueſtituram petere, vt in iſto textu: ſi autem vaſallus incipiat à petitione inueſtituræ, illud ſolum ſufficit, nec eſt neceße, quòd polliceatur fidelitatẽ, cùm hoc de ſe includatur in petitione inueſtituræ. glo. in c. ſi. ſup. per quos fiat inueſti. Et nota ſecundum Bald. quòd filio vaſalli non currit annus, antequam ſe immiſceat hæreditati. Debet ergo probari immixtio, vel quòd diſtulit malitioſe. Item debet probari ſcientia, quia in facto alieno præſumitur ignorantia. Item debet probari ſcientia paternæ mortis.

§. Præterea.

Allegatur textus iſte, quòd vaſalli non poßunt alienare feuda ſine voluntate dominorũ: quòd ſi fecerint, tunc poterunt domini reuocare prædictas alienationes nulla obſtante præſcriptione. Et ſic per Corradum Imperatorem fuit inhibita feudorum alienatio, permißa reuocatio, & prohibita præſcriptio. Et totum hodie hòc latiùs eſt prouiſum inf. de prohibi. aliena. feu. per Fede.

X §. j.

§.j.Et ſecundum gloſ.& Dd. non poteſt etiam vaſallus pignorare feudũ ſine domini voluntate: quia in genere eſt prohibita alienatio.Intellige tamen,quando tranſfertur poſſeſſio feudi in creditorem:ſecùs autem ſi fieret ſimplex pignoratio vel hypotheca abſq; traditione poſſeſsionis.Quia tunc vaſallus non incurret periculum, vt probatur in.§.callidis.inf.de prohibi.alie.feu.per Fede. Poteſt tamen ſecundum gl. notabilem hîc vaſallus feudum ſuum alteri infeudare in totum vel in partẽ,dummodò hoc faciat ſincerè,& bona fide,& non in fraudem domini, vel agnatorum, & non ſub colore inueſtituræ precio accepto,cùm vendere diſponeret,& diſsimularet feudum.Item debet infeudare æquali perſonæ,& eadem lege,qua ipſe habet,& non alia.Intelligas tamen,quòd iſta infeudatio non præiudicabit agnatis, niſi eo viuente ſecundum Dd.Et de iſta materia per Canoniſtas in c. quæ in eccleſiarum.de conſtitu.Et nota gl.hîc, quæ ſtat cum iſta concluſione, quòd textus iſte intelligatur de præſcriptione longi temporis,non autem de longiſsima præſcriptione. Et cum iſta gloſ. tranſit Bald. & multi alij,licet aliqui voluerunt cõtrarium, quòd etiã textus intelligatur de longiſsima præſcriptione.Sed tu tene gl. quam etiam tenet Aluaro.qui dicit,quòd in conſulendo debemus adhærere glo. Et tu adde multa pulchra, quæ allegaui in alphabeto,in verbo,Gloſa.Et ſecundum opinionem gloſ. iſtis diebus Coloniæ conſului. Et quia concluſum eſt ſuprà, quòd vaſallus poteſt feudum ſuum

alteri

alteri infeudare, an habeat locum in feudo eccleſiaſtico? Et Bald. tenet hîc quòd non, niſi de conſenſu Prælati fauore Eccleſiæ. Sed Alua. ex intentione Iaco. de Bel. tenet contrarium, niſi feudum eſſet decimale. Sed quæritur, quid ſi in inueſtitura ſit factum pactū expreſſum de non alienando, an tunc vaſallus poterit infeudare? & Bald. quòd non, ea ratione, vt pactum aliquid operetur: quia quando prohibitio noua adijcitur prohibitioni antiquæ, tunc habet ampliare, iuxta notata per Docto. l. j. §. nuntiatio. ff. de ope. no. nun. Quærit etiam Bald. quid ſi iſta verba, Nulla obſtante præſcriptione, reperiantur in aliquo ſtatuto, an per talia verba intelligatur remota præſcriptio longiſſimi temporis? Et Bald. quòd ſic. Si autem dicta verba proferantur à contrahentibus, vel à teſtatore, in infinitum extenduntur, de quo per Barto. l. j. ff. de vſur. in l. nemo poteſt. ff. de leg. j. Et quia dictum eſt ſuprà, quòd præſcriptio longiſſima currit contra dominum, dicas, quòd talis præſcriptio incipit currere etiam viuente vaſallo alienatore, ſecundum Dd. Et eſt ratio, quia cùm vaſallus alienauit incontinenti, amiſit ius ſuum: ergo actio incontinenti incepit competere domino, & per conſequens præſcriptio currere. l. j. in fin. C. de an. excep.

§. Similiter.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus, qui non aſſociat dominū ſuum pergentem in exercitum cum Rege Romanorum, debet contribuere in adiutoriū ipſius domini

denarios duodecim de modio, ſi eſt de Longobardia: ſi verò de Alemania, debet contribuere tertiam partem fructuum eiuſdem anni. Et dum dicit de modio, intelligas quòd de Longobardia pro quolibet modio fructuum natorum ex terra feudali debet ſoluere vaſallus denarios duodecim: quia modius eſt menſura. Tenentur ergo vaſalli præſtare adiutorium dominis ſuis euntibus cum Rege Romam pro ſuſcipienda corona, vt hîc, & inf. de pace iuramēto firman. in fin. Et idem vbi faceret exercitum contra hoſtes Imperij. Tenentur enim vaſalli iuuare dominum ſuum iuſtè pugnam facientem, de quo ſup. hîc finitur lex. Iſta tamen variatio, de qua hîc in textu facta eſt, quia Longobardi abundabant magis pecunijs, quàm Teutonici: quia omnes vaſalli tam in Italia quàm in Alemania ad æqualitatem redacti ſunt, quoniam debent ire aut perſonaliter, aut mittere alium pro ſe domino acceptabilem, qui ſit æquè bonus, ſicut ipſe eſt, aliàs debet ſoluere medietatem fructuum ex ſuo feudo vnius anni: de quo hîc per gl. & Dd. Et nota, quòd vaſallus poteſt capi pro debito domini, vt ſoluat cenſum creditori domini, quem ſibi debet ſoluere, de quo per Bald. in l. liberti. C. de ope. lib. Sed an ex alijs cauſis teneatur vaſallus præſtare adiutorium domino, vt ſi dominus tranſeat per loca vaſalli, teneatur ſibi dare hoſpitium, & alia ad victum neceſſaria: item an teneatur conferre pro filia maritanda, & ſic de ſimilibus? Bald. quòd non, niſi eſſet ſpecialis conſuetudo, de

quo

quo vide per Specu. & Ioan. And. in titu. de feu. §. quoniam. verſic. & nota.

§. Item ſi clericus.

Allegatur textus iſte, quòd Eccleſia ex delicto Prælati amittit feudum ſuum, donec viuit Prælatus: ſed eo mortuo, reuertitur feudum ad ſucceſſorem. Et ſic habes, quòd Eccleſia & eius Prælatus & clericus poteſt recognoſcere feudum à laico, vt hîc, & in c. j. de ſtat. regu. in 6. in c. cæterùm. de iudi. Habes etiam caſum mirabilem ſecundum glo. & Docto. quòd Eccleſia patitur damnum propter delictũ Prælati. & hoc operatur natura feudi, quæ eſt, quòd propter culpam vaſalli commiſſam contra dominum, reuertatur feudum ad dominum, vt hanc habeat ſuæ iniuriæ vltionem, ſup. quæ fuit prima cauſa benefi. amitten. in fin. Tamen fauor Eccleſiæ operatur hoc, vt poſt mortem ipſius Prælati delinquentis reuertatur feudum ad Eccleſiam, & ad ſucceſſorem in dicto beneficio. Et licet textus loquatur in feudo dato à Rege, intelligas etiam ſecundum Dd. poſt glo. quòd habet etiam locum in feudo dato ab alio quàm à Rege. Procedit etiam textus in alio clerico, qui non ſit Epiſcopus vel Abbas, ſed ideo exemplificauit de Epiſcopis & Abbatibus, quia vt plurimùm dicta feuda dantur ipſis. Sed quid ſi Prælatus Eccleſiæ cõmittat in vaſallum Eccleſiæ tenentem feudum ab Eccleſia, propter quod, ſi eſſet laicus, priuaretur proprietate feudi, vt inf. qualiter domi. prop. feu. priue. an tunc Eccleſia priua-

bitur dicto feudo Prælato viuente, ſicut dicitur hic in caſu e conuerſo? Et in hac quæſtione ſunt altercationes, ſed tu tene opinionem quòd ſic, quòd interim Eccleſia priuetur proprietate feudi: quia contrariorũ eadem eſt diſciplina. Et iſta opinio eſt fortioribus rationibus fundata, & plurium Dd. auctoritate. Et nota in iſta materia caſum ſpecialem, in quo clericus eſt de iuriſdictione laici, contra. c. ſi diligenti. de foro compe. Sed fallit in re feudi. c. verum. de fo. comp. per Inno. c. cæterum. de iud. Et ſic iſte textus etiam procedit in Prælato non petente inueſtituram tempore debito, quòd Eccleſia non priuabitur, ſed ipſe Prælatus priuabitur, donec erit in beneficio ſecundũ Dd. Quærit Bald. hic in fin. ſi quis tempore delicti non erat Prælatus Eccleſiæ, ſed pòſt cœpit eſſe, an Eccleſia debeat priuari propter eius delictũ? Et concludit quòd non per l. in delictis. §. ſi extraneus. ff. de nox. act.

DE CONTROVERSIA INTER maſculum & fœminam de beneficio.

TITVLVS XLI.

In iſta rubrica declarare intendit de controuerſia, quæ oritur inter maſculum & fœminam occaſione feudi.

Item ſciendum eſt.

Allegatur textus iſte, quòd controuerſia inter maſculum et fœminam, an res ſit feudalis, deciditur in dubio, ſacramento maſculi cum duodecim ſacramentalibus. Quod intellige verum, quando pro maſculo eſt aliqua præſumptio, quæ habeat mouere animum iudicis ad ſibi defe-

deferendum ſacramentum: quia ſi eſſet præſumptio pro fœmina, ſibi deferetur. c. ij. ſup. ſi de feud. fue. contro. Et idē intelligas in ſecundo & tertio caſu, videlicet quando eſt cōtentio inter dominum & fœminā, inter dominum & emptorem. Allegatur etiam textus iſte, quòd ex poſſeſſione maioris partis bonorū exiſtentium in certo loco inſurgit in dubio præſumptio ad cætera bona in eodem loco exiſtentia. Et facit iſte textus in argumentum ad quæſtionem, an omnia bona vaſalli ſoluentis certum cenſum, intelligantur eſſe feudalia, ſi nō conſtat de quibus bonis ſoluat: quia debet diſtingui, aut conſtat de maiori parte, & præſumendum erit, quòd etiam reſiduum: aliàs ſecùs ſecundum Dd. per iſtum textum, niſi dominus oſtendat fines feudi, per ea quæ notantur inf. de probi. alie. feu. per Fede. §. illud. de qua quæſtione per Aluaro. ſup. ſi de feu. fue. contro. §. vaſallus j. & diſtinctio, de qua in fin. textus eſt probabilis et recipienda ſecundum glo. & Dd. & refertur ad primam & ſecundam partem textus, non ſolùm ad proximum dictum.

DE CONTROVERSIA INTER dominum & emptorem feudi.

TITVLVS XLII.

Quia ſuprà titulo proximo determinauit vnam quæſtionem vertentem inter dominum & emptorē feudi, inde occaſione ſumpta, ſubiecit hîc iſtam rubricam generalem de controuerſia inter dominum & emptorem feudi.

Domino cum emptore feudi agente.

Allegatur textus iſte, ſi vaſallus per ſuum iuramentum affirmat, ignorans eſſe feudum, poteſt illud recuperare ab emptore ſoluto intereſſe: ſi verò inuito vaſallo emptor eligeret, et illud potius traderet domino agenti, tunc nō poterit emptor petere intereſſe, et hoc ſecundum intellectum glo. & ſequuntur Dd. Ex iſto textu habes ſingularem limitationem ad omnia iura, quæ dicunt, quòd per alienationem factam inconſulto domino, aperiatur feudū ipſi domino. ſup. quæ fuit prima cauſa beneſi. amitten. in fin. inf. de prohibi. alie. feu. per Lotha. & Federi. quia debet intelligi, quando venditio eſt facta ſcienter: ſecùs ſi ignoranter. Intellige tamē, quòd ſua ignorantia erat probabilis: quia de alieno facto: nec erat craſſa vel ſupina, pro quo gloſ. notabilis in c. fina. in verbo, ſcienter. de offic. dele. in 6. Et vt dicitur in textu, quòd emptor habet electionem vel reſtituendi illud domino agenti, vel vaſallo, ſi vult conſequi intereſſe, intellige de emptore ignorāte: ſecùs in ſciente illud eſſe feudum, quia nullo modo conſequeretur intereſſe, inf. de prohibi. alie. feu. per Fede. §. j. Et eſt textus iſte mirabilis ſecundum Bald. circa electionem, quæ datur reo conuento, vt poſſit reſtituere rem auctori ſuo, quanquam dominus agat. Et eſt ratio, quia per hoc euitat omne damnū. & ex hoc infertur, quòd licet habens directum dominium præueniat, tamen poteſt res reſtitui habenti vtile dominiū. Et ad hanc materiam vide caſum ſingula-

gularem in l.fin.ff.de tranſact.vbi etiam debitor poteſt ſoluere cedenti,apud quem nullum ius remanſerat.Habes etiam ex textu,quòd verbo Venditionis, omnis alienatio continetur, & vltra adducta per Aluaro.allega textum in l.ſtatuliberi à cæteris.in ſi.ff.de ſtatulibe. & multa dixi in meo alphabeto,in verbo, Alienatio.Et diſputant hic gloſ.& Dd. quo genere actionis agat dominus cum emptore:& certum eſt,quòd poterit agere rei vendicatione, quando putat ſe poſſe probare de ſuo dominio directo. & quia eſt difficile probare dominium, ideo conſilium eſt quòd agat condictione ex l.imperialem,inf.de prohibi. alie.feu.per Fede. & per hac aduocatur ſola poſſeſſio.l.j.C.de dona.quæ ſub modo.non autem proprietas rei vel dominiũ, per regulam, quòd nemo condicit rem ſuam, niſi à fure.l.fi.ff. vſufructuarius quemadmodum caueat. Et nota ſecundum glo. & Dd. quòd textus intelligitur,quòd vaſallus iuret,quãdo legitimè poteſt iurare,vt quia verè eſt ignorãs,et probat ignorantiã,vel ſaltem pro eo eſt præſumptio,quòd ignoret: quando verò conſtaret, quòd fuit ſciens, vel contra eum eſſet præſumptio,nõ deberet ſibi deferre iuramentum. Nota etiam ſecundum glo. & Dd. quòd ſi ignorantia vaſalli eſſet circa iuris diſpoſitionem, non excuſaret,vt quia ignorabat eſſe prohibitam alienationem feudi.fallit tamen ſecundum glo. in perſonis, quibus eſt permiſſum ignorare iura, vt in milite,minore, & muliere.tamẽ Bal.quantum ad militem & mulierem,re-

prehendit gl. quia nō licet eis ignorare iura contractus. l.fin.C.de iur.& fa.igno.l.fin.§.fina.C.de iure.delibe. & cum eo tranſit Aluaro. Nota etiam ſecundum gloſ. quòd ſi emptor reſtituat dictum feudum domino agenti, vaſallus, qui ignoranter vendidit, poterit recuperare à domino per iſtum textum: qui vult, quòd non intelligatur apertum domino, quando venditio eſt facta per ignorantiam: non poterit tamen iſto caſu vaſallus ſibi retinere rem & precium ſecundum Bal. l. bona fides.ff. de acti. empti. Nota etiam glo. quæ vult, quòd vaſallus, qui ignoranter vendidit, quamprimùm ſcierit eſſe feudum, poterit recuperare ab emptore: quia cùm venditio ſit ipſo iure nulla, poterit venire contra factū proprium. Et nota ſecundum Docto. quòd iudex debet ferre ſententiam ſecundum formam hîc traditam, et hoc facere debet auctoritate huius iuris conſuetudinarij. & propter hoc habes limitationem ad l.vt fundus.ff.commu. diui.

DÆ CONTROVERSIA INter vaſallum & alium de beneficio.

TITVLVS XLIII.

Quia interdum vertitur controuerſia inter ipſum vaſallum & alium, qui ſimiliter non eſt vaſallus occaſione dicti feudi, ideo poſt dictam rubricam præcedentem immediatè ponitur iſta.

Si controuerſia.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus agere & conueniri poteſt pro feudo toto & pro poteſtate, & cauſam etiam domino abſente vſque ad finem perducere tanquam

quam

quam propriam. poteſt quoque de feudo tranſigere bona fide: quæ omnia debet dominus habere rata, etiamſi ſibi poſtea aperiatur feudũ. Et pro intelligentia textus dicas, quòd ſi dominus vellet venire cõtrà ex perſona vaſalli, vt quia dicat feudũ eſſe ſibi apertum ex delicto vaſalli, vel quia deceſſit ſine hæredibus, tunc repelleretur exceptione rei iudicatæ: ſed ſi dominus vellet venire pro iure ſuo, dicens, iſtam rem nõ eſſe feudalem, ſed eſſe ſuam propriam, tunc poſſet reuocare, nec obſtaret ſibi exceptio rei iudicatæ: & iſte intellectus videtur verior ad iſtum textũ, & intellige ſiue dominus ſciat, ſiue ignoret, ſiue vaſallus ſibi notificare fecit, ſiue nõ, cùm ſemper dominus teneatur habere ratũ in caſu noſtro, poſtquam venit ex perſona vaſalli: & dum dicit textus, Fraudulenter, intellige, quando prece, vel precio per dolum, vel per negligentiã hoc fecit. & licet Bal. aliter intelligat iſtum textũ. tene quod dictũ eſt ex intentione aliorum, licet tandem Bal. ipſe nõ videatur diſſentire. Habes ergo ex hoc textu, quòd vaſallus habet legitimã perſonam cõparendi in iudicio pro re feudali in agendo & defendendo, et poteſt etiã tranſigere. quod intelligas verum, ſi verè & ſine fraude fiat: ſecùs ſi fieret voluntariè nulla neceſſitate ſubſiſtente: quia tunc non eſſet permiſſa talis tranſactio, immo incontinenti vaſallus incideret in pœnam inductam cõtra alienantes feuda, de qua in tit. de probi. alie. feu. per Fed. Et nota ſecundum glo. et Dd. quòd vaſallus domino præſente poteſt in iudicio comparere

parere pro re feudali. Nota etiam ſecundum gloſ. & Docto. quòd quando vaſallus vellet agere de euictione contra dominum, eſt neceſſe, quòd vaſallus denuntiet domino litem eſſe motam, aliàs non poſſit poſtea agere de euictione. Et nota quod Bald. vult, quòd ſi poſſeſſio ipſius feudi deueniret ad tertium, poſſet dominus vendicare. l. ſi quis emptionis. C. de præſcrip. xxx annorum. Dicit etiam, quòd ſi ex cauſa tranſactionis ceſſit poſſeſſionem feudi aliquo recepto, poſtea deceſſit ſine hæredibus, reſoluto iure tranſigentis reſoluetur ius recipientis, & tamen contrarium dicitur hîc: dicit quòd hoc ideo eſt, quia res iudicata & tranſactio pariunt exceptionem litis finitæ: & ſic ſunt alterius naturæ quàm ſimplex contractus, quod eſt notabile ſecundum eum: ſed potes dicere ſecundum quod ſuprà dictum eſt, quia dominus veniebat ex iure, & perſona vaſalli: vnde ſicut obſtabat vaſallo, ita & domino, qui ex eius perſona venit. dicit tamen Bald. hoc non procedere in emphyteota & ſuperficiario tranſigentibus. l. lex vectigalis. ff. de pigno. & ſic concludit eſſe ſpeciale in feudo, niſi tamen dominus fuerit ſciens & patiens ſecundum Bald. Nota etiam ſecundum eum, quòd vbi per tranſactionem non transfert poſſeſſionem feudi, ſed illud dimittit apud poſſeſſorem, cum quo tranſegit, tunc non intelligeretur quoquo modo alienare, textus eſt ſingularis in l. ſi pro fundo. C. de tranſact. ſecùs ſi traderet. et ideo dicit Bal. quòd in omnibus alijs contractibus ille, qui dimittit,

tranſ-

transfert & alienat.l.quadam mulier.ff.de rei vendi. tamen ſecùs eſt in contractu tranſactionis. quod eſt notabile ſecundum Bald.

QVID IVRIS SI POST ALIEnationem feudi vaſallus id recuperauerit.

TITVLVS XLIIII.

Quia occurrebat dubitare, ſi vaſallus poſt alienationem ſeudi recuperauerit illud, an euitet pœnam, quæ eſt ſtatuta aduerſus vaſallos alienantes, ideo, vt hoc declaretur, poſita eſt iſta rubrica.

Præterea ſi vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus per alienationem feudi factam ſine voluntate domini, cadit à iure ſuo, quod reintegrare non poteſt, licet feudum recuperauerit, cùm iam per dictam alienationem illicitè factam ſit acquiſitum ius domino, licet olim aliter obſeruaretur. Probat ergo textus iſte, quòd ea, quæ ſunt ſemel extincta, non redeunt, vt hîc & l.qui res.§.aream. ff.de ſolu. hoc tamen nõ procedit in his, quæ ſunt ſuſpenſa: quia illa bene redeunt. Exemplum habes in vaſallo liberato à fidelitate domini, durante excommunicatione domini: nam ſublata excommunicatione, reuertitur ad priſtinam fidelitatem ſecundum glo. & Dd. Intellige etiam iſtum textum in vaſallo ſciente: ſecùs ſi ignorabat eſſe feudum. c. ſi vaſallus feudũ. ſup. ſi de feu. fuerit contro. Et nota ſecundum Dd. quòd iſte textus non procedit, quando vaſallus recuperaret venditionem, antequam

tequam tradidiſſet poſſeſſionem feudi venditi, quia iſte textus intelligitur de alienatione perfecta per traditionem.& adde Canoniſtas in c.potuit. de locato. Alex. in l.ſi à me.ff. ad l. Fal. Sed quæritur, quid ſi traditio ſit facta, quia conſtituit ſe emptoris nomine poſſidere, an tunc incidat pœnam quaſi tunc videatur alienaſſe? & Aluaro. adducit Paulum de Caſt. quòd ſic in l. j.§.ſi rem.ff. depoſi. ſed ipſe tenet contrarium per multa deducta per ipſum. Sed dubito de hoc, quia vaſallus incidit in pœnam, quando alienauit, vt dicitur in textu, ſed per talem fictam traditionem transfertur dominium, ergo dicitur alienare. Quærunt Docto. quid ſi vaſallus vendidit & tradidit, ſed tamen incontinenti recuperauit, an tunc retinebit feudum vt euitet pœnam? & videtur concludi quòd ſic per iſtum textum, in verſ. poſtea recuperauerit, quod videtur denotare interuallum: ſed ſi recuperat incontinenti, ita quòd non poſſit dici poſtea, tunc nõ incidit in pœnam: & aliqui intelligunt incontinenti, antequam dominus conqueratur & moueat quæſtionem: ſed hoc non videtur poſſe procedere, quia poſſet dominus poſt multum interuallum conqueri:& tamen volunt quòd iſtud, Poſtea, ſignificet interuallum. eſt tamen durum recedere à diſpoſitione iſtius textus. Sed quæritur, quid de emphyteota? videtur quòd ſit quædam altercatio, ſed dicas prout habetur in c. potuit. de locato. per Bart. in l. ſequitur. §. idem Labeo. ff. de vſucap.

§.Pro-

§.Profectò.

Allegatur textus iſte, quòd indifferens conſenſus domini circa alienationē aſſumit differentiam ſecundum qualitatē alienationis, id eſt ſecundū vſum illius licentiæ. Et ideo ſi vaſallus alienat iure proprio, intelligitur conceſſum iure proprio: ſi iure libellario, intelligitur libellario. Et ſic talis intelligitur fuiſſe licentia, qualem poſterior declarat euentus. Item quando vaſallus de voluntate domini alienat per libellū, puta vt ſingulis annis debeat habere quinque ſolidos, iſtud ius percipiendi quinque ſolidos annuatim tenet nomine feudi. Et ſi vaſallus cōmitteret feloniam, iſtud ius aperiretur domino. Vnde reliquiæ feudi iure feudi cenſeri debēt. Et ſi vaſallus redemit hunc libellum à libellario poſſeſſore, tunc intelligitur tenere tanquam libellum à domino, & non tanquam feudum. Et ipſe vaſallus tenebitur domino ad iſtos quinq; ſolidos annuatim. Et ſi vaſallus refutat feudum, & dominus cōcedit ſibi ad libellū, quòd tenebit illud iure libelli. Et ſic colligitur ex vario genere cōtrahendi, varios effectus puenire. Et nota gl. hic, quòd ſi vaſallus alienauit ſine domini voluntate feudum, & poſt dictam alienationem ſint elapſi triginta anni, an dominus poterit reuocare? Et concludit quòd non, cùm talis præſcriptio longiſſima ſit inducta cōtra deſides & negligentes. Et ſi dicatur, vaſallus dando ad libellum ſuum feudum transfert in eum ſuum dominium vtile, ergo apud ipſum nihil remanet, ergo nihil videtur remaner

maner

manere in feudo: dicas ſecundum Dd. quòd illud ius libellarium, quod eſt apud eum, eſt in feudum: vnde videtur adhuc ipſam rem feudalem poßidere propter penſionem, quam recipit. Et ſi quæratur, quæ eſt ratio, quare non reintegratur feudum, quando vaſallus illud vendidit, & poſtea recuperauit: dicas ſecundum Dd. quòd per venditionem factam cõſenſu domini, dominus perdit ſuum directum dominium, & vaſallus ſuum vtile: & ideo non reſtituitur in priſtinum ſtatum. Et vt melius & clarius intelligas iſtum textum, qui videtur eſſe intricatus, dicas ſic, quòd ſi vaſallus feudum cum voluntate ipſius domini vendidit Titio liberè, vel illi allibellauit, vt debeat ſibi ſoluere omni anno decem, vel aliter alienauit forte donando, ſi poſtea recuperat idem feudum ab ipſo Titio, quæritur an ipſum poßit retinere, & quo iure? Et reſpondetur hîc, quòd feudum, quod ſemel deſinit eſſe ſuum per alienationem, non reincidit in cauſam feudi, vt deinceps habeat iure feudi, ſicut priùs habebat, ſed eſt videndum quo iure recuperauit. Vnde ſi recuperauit iure proprio, vt quia Titius retrò vendidit ſibi dictum feudum, & tunc tenebit iure proprio ex titulo emptionis, nec res remanebit feudalis: ſi verò illud recuperauit iure libellario, vt quia idem Titius, qui primò recognoſcebat illud à vaſallo iure libelli pro decem annuis ſibi ſoluẽdis, nunc retrò vendidit ſibi dictum ius libellarium, et tunc iſto caſu tenebit dictum feudum dicto libellario iure: ſed tamẽ ipſa res in ſe bene rema-

remanebit feudalis, prout erat à principio: ſi verò illud recuperauit ex alio contractu, puta quia ipſe Titius ſibi retrò illud donauit, vel aliter in ſe tranſtulit, & tunc ſimiliter iſto caſu tenebit iure & titulo donationis, vel ex illo iure, quo illud recuperauit. Et iſto caſu ſimiliter res non remanebit feudalis. Et ſi vaſallus alienauit de voluntate domini dictum feudum Titio, vt ſolueret ſibi omni anno decem, iſto caſu ſi nõ recuperauit dictum ius libellarium à Titio, ſed remanſit libellarius ſuus, prout ſibi alienauit de voluntate domini, quòd tunc iſto caſu decem annua, quæ ſibi dedit Titius de libello, intelligitur tenere in feudum à domino: quia ea habet ratione feudi, quod allibellauit cum voluntate domini. Et ſi Titius, cui allibellauit feudum pro decem ſoluẽdo omni anno, ſibi retrò vendat dictum ſuum ius libellariũ, tale ius, quod per libellum tranſtulit & modò recuperauit, non intelligitur tenere pro feudo ſicut priùs tenebat, ſed tenebit tanquam ius libellarium: nam perinde eſt, ac ſi redemiſſet aliam rem libellariam, quæ non fuiſſet feudalis. Intelligas tamen, quòd licet illud ius redemptum à libellario non cenſeatur feudale, tamen ipſa res remanet feudalis. Et ſi vaſallus recuperauit feudum à Titio, videlicet dictum ius ſuum libellariũ, ſi poſtea refutat feudum domino, iſtud ius libellarium, quod redemit à Titio, poteſt retinere: nã cùm ſuprà dixerit, quòd iſta redemptio huius iuris libellarij reguletur ſicut quælibet alia res, patet quòd facta refutatione iuris feuda-

lis, quod in ea habebat, remanebit ſibi ius libellarium: habetur enim duplex ius in hac re feudali, vnum videlicet ex cauſa feudi vaſallo à principio conceſſum à domino, & iſto reſpectu res remanet feudalis. Aliud eſt ius, quod ex cauſa libelli nunc redempti, & iſtud ius non eſt feudale, ſed libellariũ: quia à principio de voluntate domini ita fuit allibellatum. Vnde poteſt refutari ius feudale, & retineri ius libellarium.

AN AGNATVS VEL FILIVS defuncti poſsit retinere feudum repudiata hæreditate.

TITVLVS XLV.

In hac rubrica declaratur, an agnatus vel filius poſſit refutare feudum, & hæreditatem retinere, vel econtrà.

Si contigerit.

Allegatur textus iſte, quòd agnatus, ad quem delata eſt hæreditas vaſalli mortui, poteſt dictam hæreditatem repudiare, & feudum retinere: nec tenebitur ad onera hæreditaria, niſi quatenus ſuppetunt fructus adhuc pendentes in feudo, qui iam ceſſerant lucro vaſalli tempore mortis: vbi verò vaſallus reliquit filium, ad quẽ hæreditas delata eſt, nõ poteſt dictam hæreditatem repudiare & feudum retinere, ſed tenetur aut vtrumque repudiare, aut vtrumque retinere, niſi à domino inueſtiretur agnatis conſentientibus tanquam de feudo nouo, quia tunc poſſit hæreditatem patris repudiare, & feudum retinere, nec tenetur ad onera hæreditaria. Et ſic

ſic habes, quòd agnatus poteſt hæreditatē agnati mortui repudiare, & feudū retinere. Et ratio eſt, quia iſtud feudum nō habet, neque recognoſcit ex beneficio agnati mortui, nec ex ſucceſſione, ſed potiùs ex liberalitate primi domini concedentis, ideo non poteſt ſibi tolli: ſed ſecùs eſt in filio, vt hîc, quia non poteſt hæreditatem repudiare & feudum retinere. Et ratio eſt, quia filius conſequitur feudum mortuo patre, & venit ex perſona patris: nam filius oritur à patre, non agnatus ab agnato. Et quia filius reputatur eadem perſona cum patre, & idem patrimonium cenſetur. Et ſic habemus de conſuetudine feudorum determinationem factam. Probat etiam textus iſte, quòd dominus nō poteſt alterare naturam feudi antiqui in præiudicium agnatorum, niſi conſentiant dictæ alterationi. Et ſi à principio nō conſenſerunt, poſſunt poſtea ſecundum Docto. per ratihabitionē ſibi præiudicare, niſi talis ratihabitio ſit erronea. Et nota textum ſingularem ſecundum Bald. quòd ſuus etiam de iure ciuili habet beneficium abſtinendi, videlicet quando hæreditas habet feudum annexum: quo caſu filius etiam ſuus poteſt vtrumque repudiare. Et conſuetudo eſt de iure ciuili. §. ex non ſcripto. Inſti. de iu. nat. Et intellige iſtum textum tam de filijs in poteſtate, quàm de emancipatis. Per gloſ. & Dd. hîc formatur quæſtio: Quid ſi emphyteota moriatur filio relicto, an iſte filius poſſit hæreditatem patris repudiare, vt non teneatur oneribus hæreditarijs, & ſibi obtine-

re emphyteoſim? Et videtur concludi, quòd quando inueſtitura dicit, Pro ſe & filijs, quòd veniunt filij ordine ſucceſſiuo, etiamſi non ſunt hæredes: & ſic poterunt obtinere emphyteoſim repudiata hæreditate. Secùs ſi dicatur, Pro ſe & hæredibus, de quo per Bar. in l. quod dicitur. de verbo. oblig. & in alijs locis per me allegatis in alphabeto, in ver. Emphyteoſis. & ſic non eſt per omnia bona ſimilitudo de feudo ad emphyteoſim: & ideo dicit Bald. in authent i. ſi quis. C. de ſacroſan. eccle. quòd filia dotata, quæ excluditur vigore ſtatuti à ſucceſſione paterna, tamen non excluditur à tali iure emphyteotico. Et ſi dominus inueſtiret filium vaſalli mortui tanquam de feudo nouo cõſentientibus agnatis, prout hîc dicitur in fine, & poſtea moriatur filius inueſtitus ſine filijs, iſti agnati non poterunt venire ad iſtud feudum tanquam antiquum, ſed excludentur per dominum tanquam ſit feudum nouum ſecundum glo. & Dd. Quia per conſenſum agnati videntur renuntiaſſe iuri ſuo. Et etiam ſecundum Bal. ſi conſentientibus agnatis dominus inueſtiuiſſet vaſallum ſimpliciter, quòd adhuc eſſent excluſi: quia cauſa noua facit feudum nouũ. Et nota, quòd ſi dominus faceret gratiã filio vaſalli mortui, inueſtiendo de feudo antiquo tanquam de nouo, vt repudiata hæreditate non teneretur oneribus hæreditarijs ob amorem patris, tamen tenebitur: quia dominus non poterat facere hoc, tamen agnati poterunt reuocare incontinenti, poſtquam filius non repudiauit ſecundum Dd. quid-

quid

quid dicat glo. Nota tamẽ, quòd regula hîc poſita, quòd filius non poßit retinere feudum & hæreditatem repudiare, recipit aliquas limitationes ſecundum Dd. quarũ prima eſt, quãdo filius incipit à feudo, ſcilicèt ipſum retinendo, quia tunc non poteſt hæreditatem repudiare: ſed quando incipit ab hæreditate, illam adeundo, poteſt inuito domino repudiare feudum. Secunda eſt limitatio, quando inueſtitura feudi eſt pro ſe & hæredibus, quia tunc neceße eſt, vt etiam ſit hæres, ſi vult feudum attenta forma inueſtituræ: & idem ſi recipit feudum, ſimpliciter nulla facta mentione de filijs vel hæredibus: secùs ſi feudum eſt conceßum pro ſe & filijs vel liberis, quia tunc poßunt filij & quicunque deſcendentes feudum accipere, & hæreditatem repudiare. Tertia eſt limitatio, vt iſta regula, de qua in textu iſto, intelligatur, quando poteſt habere hæreditatem tanquam hæres, vt quia eſt inſtitutus, vel ab inteſtato ſuccedit: ſed quando eßet inſtitutus in certa re, vel ſolùm in legitima, alio vtiliter hærede inſtituto, tunc bene poterit habere feudum abſque hæreditate paterna, nec tenebitur ad onera hæreditaria. Quarta eſt limitatio, ſi filius eßet præteritus in teſtamẽto, mortuo patre, poterit retinere feudũ, nec habebit neceße annullare teſtamentum: quia annullatio fuit inducta fauore filiorum, vnde non tenetur vti tali fauore eo inuito. l. ſi iudex. ff. de mino. Quinta eſt limitatio, ſi filius viuo patre renuntiauit hæreditati paternæ per iuramẽtum, mortuo pa-

 tre

tre poterit venire ad feudum, non habita hæreditate, quam renuntiauit: et iſta eſt bona cautela ſecundũ Bal. ad euitandum onera creditorum. Sexta eſt limitatio, ſi vigore ſtatuti filia excluditur à ſucceſſione patris, ſi pater habet feudum, quod tranſit etiam ad fœminas, poterit retinere feudum abſque hæreditate. Sed an filius vaſalli, qui habet feudum auitum, poſſit hæreditatem repudiare paternam, retento feudo auito, per Bald. in l. qui ſe patris. C. vnde liberi. vbi tenet quòd non per iſtũ textum, de quo ibi latè per eum. Et nota ſecundũ Bald. hîc, quod ſi filius habeat ſubſtitutum vulgarem datum in teſtamento patris, tamẽ habet locũ textus iſte. Nota etiã ſecundũ Dd. quòd filius inſtitutus in minori parte, ſuccedit tamẽ æqualiter in feudo cũ alijs fratribus. Nota etiã, quòd ſi vaſallo mortuo ſine filijs, agnatus proximior apprehendit feudum ſimpliciter, non videtur tamẽ ex hoc adiuiſſe hæreditatẽ, vt teneatur creditoribus hæreditarijs: quia apprehendit feudũ, quod ad extraneũ hæredẽ non tranſiret ſecundũ Dd. Sed quid ecõtrà de filijs domini, an ſuccedãt domino in vaſallatico, ſiue ſint hæredes patris, ſiue non? Et reſpondetur, quòd ſi inueſtitura eſt iurata domino & liberis ſuis per vaſallos, tũc filius domini retinebit tale ius, dato quòd nõ ſit hæres: ſi autem non eſt facta mentio filiorũ in inueſtitura, & tunc ſi ſunt præſtanda ſeruitia certa, tunc eſt neceſſe, quòd filius domini ſit heres: aut incerta, & tunc filius ſuccedit in feudo, dato, quòd nõ ſit hæres ſecundum Dd.

AN

AN APVD IVDICEM VEL Curiam domini quæſtio feudi terminari debeat.

TITVLVS XLVI.

Quia dubitari poſſet, apud quos iudices prædictæ controuerſiæ feudorũ diſcuti & ventilari debeãt, ideo poſita fuit iſta rubrica.

Ex eo quod ſuprà diximus.

Allegatur textus iſte, quòd vbi eſt contentio inter duos, quorum vnus dicit eſſe feudũ nouum, & ſe eſſe inueſtitum, et poſſidere tanquam feudum nouũ: alter verò dicit antiquum, & ad ſe ſpectare tanquam feudum paternũ, debet hæc cauſa ventilari coram Paribus Curiæ, & non coram domino, qui in conſequentiã teneretur de euictione, ſi inueſtitus de nouo ſuccumberet. Habes ergo ex hoc textu, quòd cognoſcit Curia ſola iſto caſu, quãdo duo cõcurrunt ad litigandum, quorũ vnus allegat feudũ antiquum, alter nouum: dominus enim non poteſt, quia ex ſententia ferendã poſſet ſibi imminere fauor vel præiudicium, & ideo neque ſolus neque ſimul cum Curia cognoſcere poteſt. Probat etiam textus iſte, quòd dominus inueſtiens aliquem de re ſpectante ad alium, tenetur ſibi de euictione: quod tamen intelliges, quod inueſtitus ignorabat rem eſſe alienam, aliàs ſecùs. Item intellige, quando vaſallus denuntiauit domino de lite ſibi mota, c. j. ſup. ſi vaſallus de feudo fuerit interpellatus. Probat etiam textus iſte, quòd vna pars non poteſt trahere aduerſarium ſuum ad iudicem,

niſi de commiſſione iudicis, de quo per Bar. in l. fin. C. de exhibendis reis. per Inno. in c. quoniam cõtra. de proba. Nota hic glo. notabilem, quòd Pares non coguntur cognoſcere de cauſa feudali, ſi nolunt, de quo etiam per gl. in. §. penul. inf. de prohibi. alie. feu. per Fede. quod limita ſecundum Dd. niſi Pares iam incepiſſent cognoſcere: quia tunc poſſunt cogi ad perficiendum, & eſt ſpeciale in Paribus Curiæ: ſecùs eſt in alijs iudicibus ordinarijs, vt in auth. vt deferentes iudices: ſi verò & tunc iudex ordinarius vel arbitri cognoſcẽt. Et limita iſtum textum per textum in. §. penul. de prohibi. alie. ſeu. per Fede. quia vbi dominus non tenetur vni ſoli, ſed vtrique parti, ſcilicet cuilibet ipſorũ, qui perderet cauſam, tunc dominus erit iudex: quia tunc par iudicium remouet ſuſpicionem. l. non ſolùm. §. denuò. ff. de ritu nupti.

QVALITER DOMINVS PROprietate feudi priuetur.

TITVLVS XLVII.

Quia poterat dubitari, quòd ſi ipſe dominus committat delictum & feloniam in perſonam vaſalli, an & qualiter tunc puniatur: ideo, vt prædicta declarentur, poſita eſt iſta rubrica.

Ex facto quæſitum ſcio.

Allegatur textus iſte, quòd ex omni felonia, ex qua vaſallus priuaretur feudo et ſuo vtili domini, priuabitur etiam dominus ſuo directo dominio, ſi eandem feloniam committat in vaſallum iuratum vel nõ iuratum. Et ſic pro-

probat textus iſte, æqualitatem eſſe ſeruandam inter dominum & vaſallum in amiſſione iuris feudalis: quia ad paria iudicantur. ſup. de for. fide. in fi. Probat etiam ſingulariter textus iſte ſecundum Bal. quòd licet notoria & euidens ſit culpa, nihilominus requiritur ſententia priuatiua. quod patet, quòd in priuatione feudi & iuris feudalis requiritur ſententia, vnde notorietas & euidentia delicti nõ habetur pro ſententia, cùm requiratur miniſterium iudicis, de quo per glo. in. §. callidis. de probi. alie. feu. per Fede. Hoc tamen limita, niſi à canone vel lege induceretur ipſo iure priuatio ex delicto, c. grauem. in fin. de ſenten. excommu. Probat etiam iſte textus ſingulariter, quòd licet vaſallus nõ iuret ex forma inueſtituræ, & ſit liberatus à vinculo iuramẽti, tamen habet obligatum dominum ad parem vicem ſibi reddendam circa priuationem iuris feudalis propter feloniam: quod tamẽ intelligas, quando vaſallus nõ iurauit, quia fuit remiſſum iuramentũ: ſecùs ſi nollet iurare requiſitus, quia tunc dominus nõ incideret in pœnã priuationis ſecundũ Dd. l. quæro. §. inter locatorẽ. ff. loca. Et nota glo. quòd ſi dominus interfecit fratrẽ propriũ, vt habeat eius hæreditatẽ, & ſi cõmittit delictum in alterius perſonã quàm vaſalli, quòd dominus priuabitur proprietate, quæ applicatur vaſallo. & intellige glo. in feudo nouo: ſecùs in antiquo, quia tunc perueniret ad agnatos domini, ſicut ſeruaretur in vaſallo committente delictum in aliam perſonam, quàm perſonam

Y 5 domi-

domini: quia ſi eſſet feudum antiquum, perueniret ad agnatos vaſalli, nen ad dominum.

DE FEVDO NON HABENTE propriam naturam feudi.

TITVLVS XLVIII.

Quia in titulo præcedenti fecit mentionem de feudo non habente propriam naturam feudi, ideo hîc ponit titulum generalem de hac materia.

Si quis ea lege.

Allegatur textus iſte, quòd vbi vaſallus eſt inueſtitus de feudo cum pacto, vt ipſe & omnes illi, quibus ipſe dederit illud habeant, poterit quocunque modo alienare, etiam ſine domini voluntate, & ille in quem alienauit, tenebit eo iure & titulo, ſecundum quod placuerit ipſi vaſallo alienanti: vbi verò dictum feudum non alienauit, tunc poterit priuari dicto feudo ex eiſdem culpis, ex quibus ſolent priuari vaſalli, licet dictum feudum non habeat propriam naturam feudi: quando autem vaſallus eſſet inueſtitus de feudo cum pacto, vt poſſet illud alteri infeudari, tunc tale feudum bene continet in ſe propriam naturam feudi. Et ſic habes ex hoc textu, quòd per pactum poteſt recedi à propria natura rei, quia cùm feudum de ſua natura non ſit alienabile, poteſt per pactum fieri alienabile. Facit quod notatur in l. paciſci. ff. de pactis. Et nota, quòd per iſta verba, Quibus dederit &c. amplificatur contractus, vt quoquo titulo poſſit res transferri, non ſolùm iure feudi, ſed

etiam quolibet titulo alienationis. Et licet ſit facta alteratio circa alienationem feudi, non tamen eſt facta alteratio circa cauſas amiſsionis, donec feudũ eſt apud vaſallum, cùm in amittendo retineat propriam naturam. & ſic ſecundum gloſ. & Docto. donec extat apud vaſallum, eſt amiſsibile: ſed cùm in alium tranſtulit vaſallus, ſecùs eſt. Et nota quòd cùm dominus dando feudum conſenſerit, quòd vaſallus poſſet alienare, ſeu dare cui vult, ergo tranſit in emptorem directum dominium & poſſeſsio. l. iij. §. in amittenda. ff. de acqui. poſſeſ. Et nota ſecundum Docto. quòd in iſto caſu precium non tenetur loco feudi, nec debet conuert in aliam rem immobilem, quæ ſit loco prioris feudi: quia præſumptio eſt, quòd dominus voluerit dictum precium donare per dictam libertatem adiectam in prima inueſtitura.

DE EO QVI FINEM FECIT agnato de feudo paterno.

TITVLVS XLIX.

Quia illa verba, de quibus in titulo præcedenti, quandoque apponuntur in inſtrumẽto finis & refutatiõis per vaſallos, quando vnus agnatus refutat alteri ius ſuũ, quod habet in feudo: & dubitatur, quid operantur talia verba appoſita in dicta refutatione: vnde, vt prædicta declarentur, ponitur iſte titulus.

Tres erant agnati.

Allegatur textus iſte, quòd refutatio feudi facta agnato, et limitata ad perſonã cui fit, et hæredes ſuos et alios,

eſt

cui ipſe agnatus dederit, non repellit refutantem vltra caſus expreſſos: ſecùs autem, ſi refutatio eſſet realis, vel facta cum eo pacto, vt agnatus inueſtiatur tanquam de feudo nouo: quia tunc refutans in quocunque caſu à dicto feudo excluſus eſt. Et ſic eſt caſus hìc, quòd agnatus poteſt renuntiare iuri ſuccedendi in feudo. Probat etiã textus iſte, quòd pactũ, quod recipit quis circa refutationem feudi, prodeſt agnato etiam abſenti. Facit quod notat glo. in l. non ſolùm. §. ſi liberationis verbo. ff. de libe. le. Et ratio eſt, quia refutatio operatur iſtud, quia per refutationem ipſe refutans amittit ius quod habet in feudo. Probat etiam textus iſte, quòd pactum perſonale nõ pertinet niſi ad perſonas comprehenſas in pacto, ad idem. l. idem in duobus. ff. de pact. Item de cõſenſu vnius tantùm ex agnatis poteſt alterari natura feudi, quantum ad praiudicium ipſius conſentientis, non autem praiudicabit alijs non conſentientibus alterationi. Et nota ſecundum Dd. quòd ſi filia renuntiat bonis paternis, non intelligitur renuntiaſſe feudo, quod poſtea pratendit ex morte fratrum, per iſtum textum.

DE NATVRA SVCCESSIONIS feudi.

TITVLVS L.

Hic generaliter tractare intendit de natura ſucceſſionis feudi.

Succeſsionis feudi.

Allegatur textus iſte, quòd aſcendentes à ſucceſſione feudi excluſi ſunt: deſcendentes verò ſuccedunt vſq; in in-

in infinitum, dummodò ſint maſculi, & ex maſculis deſcendentes. Quoniam fœminæ à ſucceſſione feudi repelluntur, niſi aut ex pacto admitterentur, vel quia feudum eſſet fœmineum: non extantibus verò deſcendentibus, admittuntur collaterales in feudo paterno vſque in infinitum iuxta gradus ſuos, dummodò vltimo moriente ſine deſcendentibus vocentur primò ſuperſtites de linea defuncti. Ex iſto textu habes limitationem ad authenti. defuncto. C. ad Tertul. *quòd aſcendentes non ſuccedunt in feudo deſcendentibus ſuis. quod nõ eſt ſecundum legem Romanam, vt in dicta authen. defuncto. Et hoc operatur ius conſuetudinarium feudorum. Probat etiam textus iſte, quòd filius regulariter ſuccedit patri in feudo: iſta tamẽ regula fallit in quibuſdam caſibus, quos enumerat hîc gl. quam vide. Ex iſto etiam textu habes regulam, quòd ad ſucceſſionem feudi non admittuntur fœminæ, neque earum deſcendentes, niſi in duobus caſibus hîc expreſſis, videlicet, quando inueſtitura eſſet facta eo pacto, vel quando feudum eſſet fœmineum, ſup. de gra. & ſucceſſ. feu. §. j. Probat etiam textus iſte, quòd in ſucceſſione feudi prima cauſa eſt deſcendentium, & admittuntur vſque in infinitum, donec ex ipſis aliquis extat: nullo autẽ extante, ad collaterales agnatos deuenitur, quorũ ſucceſſio ſimiliter in infinitũ extenditur, quãdo feudum eſt paternũ, vt hîc, & in c. j. de ſuc. fra. vel grad. Et nota tex. in c. j. in fi. ſup. an ille, qui interf. frat. dom. vbi circa ſucceſſiones iſtas ſerua-*

ſeruatur idem ordo, qui in legibus continetur. Habes etiam ex textu, quòd feudum paternum eſt illud, quod eſt acquiſitū ab aliquo ex aſcendentibus: nam eſt neceſſe ad hoc, vt dicatur paternum inter agnatos, quòd fuerit acquiſitum ab eo parente, qui fuit auctor agnationis communis eorum. c. j. §. j. ſup. de ſucceſſ. frat. vel grad. ſuc. in feud. Item vbi plures agnati procedentes ex diuerſis locis aſpirare volunt ad ſucceſſionem feudi alicuius vaſalli, eorum agnati mortui primò vocandi ſunt gradatim ad dictam ſucceſſionem, exiſtentes in linea communi cum mortuo, vt ſi moriatur vnus ex tribus filijs, alij duo fratres ſui ſibi ſuccedunt æqualiter: quia ſunt de ſua linea, non autem filius natus ex altero fratre, quia eſt ex alia linea. Et ſi nullus ex ea linea ſupereſt, tunc tranſeundum eſt ad alias lineas ſeruata graduum prærogatiua, vt hîc, & in d. §. j. de ſucceſſ. frat. vel grad. ſuc. in feud. Et nota gloſ. hîc, quod ſi moritur vaſallus relicto filio & nepote ex altero filio, ſimul admittuntur. Et ſi plures nepotes veniunt ad ſucceſſionem cum patruo ſuo, ſuccedunt in ſtirpes cum patruo ſuo. Nota etiam ſecundum Docto. quòd ſi vaſallus decedit relicto nepote ex fratre, & relicto patruo, admittitur nepos, excluſo patruo. Et nota, quòd ſi pater vaſallus renuntiauit feudum ſuum in manibus domini cum pacto, vt inueſtiat filium ſuum cum hac conditione, vt moriente filio, poſſit pater ſuccedere, tunc ſuccedet ſecundum Dd.

Et idem ſi filius fuiſſet inueſtitus contemplatione & amore patris, propter eius ſeruitia: & licet pater non ſuccedat in feudo filio, tamen viuente filio pater habet commodum ex dicto feudo.

DE CAPITANEO QVI CVriam vendidit, an intelligatur beneficium vendidiſſe.

TITVLVS LI.

Quia principalis intentio eſt auctoris declarare de conditione feudi ex natura contractus, ideo ſubiecta eſt hic iſta rubrica de capitaneo &c.

Quidam capitaneus.

Allegatur textus iſte, quidā capitaneus in ſuo diſtrictu habebat plures Curtes, vnde in quadam ex dictis ſuis Curijs deſignauit beneficia ſeu feuda quibuſdam vaſallis, eos inueſtiendo de dictis feudis: poſtea in proceſſu temporis eandem Curiam, in qua erant dicta feuda, vendidit cuidam: poſt hæc cōtrouerſia orta eſt inter iſtum capitaneum vendentem & ipſum emptorē: quoniam emptor dicit, quòd in ſua emptione comprehenduntur ſupradicta iura feudalia: capitaneus verò dicit ſe non vendidiſſe dicta iura feudalia, ſed ſimpliciter ipſam Curiam: quæritur ex prædictis, an dicta iura feudalia intelligantur vendita? Et dicit quòd nō, poſtquam nō fuit expreſſè actū in venditione, vt cōprehendantur in ipſa. Nota ergo ex hoc textu, quòd generali venditione

tione bonorum nō veniunt feuda, niſi ſpecialiter exprimantur, de quo in c. in generali. ſup. ſi de feu. fuerit controuerſia. Quia verba ipſius generalis venditionis non ſignificāt feuda. Et aſsignatur vna bona ratio, quia iſta ſunt bona, in quibus oportet, quòd venditor habeat licentiam ab aliò, ad hoc vt transferantur in emptorem. Et iſta non veniunt in venditione generali, quia dominus non poteſt alienare ius ſuum ſine voluntate vaſalli, de quo ſup. quo tempore mi. c. ij. Quia poneret ſe in periculum perdendi illud ius. Quæritur, Imperator conceſsit vnum caſtrum cum ſuis pertinentijs, an videantur conceſſa molendina, quæ ſunt in aquis ipſius caſtri? Et reſpondet Bal. quòd ſi conceſsit ſolùm iuriſdictionem non veniunt: ſecùs cum pertinentijs ad ipſum caſtrum pertinētibus: quia tunc veniunt molendina acceſſoriè, niſi ſint molendina priuatarum perſonarum. Conclude etiam ſecundum Dd. quòd in generali donatione, quam facit Princeps alicuius caſtri, venit merum imperium: quia beneficiū Principis eſt latiſsimè interpretandum, l. fin. ff. de conſtitu. Prin. Quæritur etiam, quidam Baro vendidit mihi quædam prædia, in quibus conſueuit habere domos ad colligendum paſſagium, & in venditione dixit ſic, quòd vendebat prædia & omnia iura, quæ ibi habebat: vtrum videatur vendidiſſe iura colligendi paſſagium? Et Bal. in l. à procuratore. C. mand. tenet quòd nō. Si tamen dominus vtitur illis domibus pro colligendo paſſagium, deberet ſoluere penſionē, cùm proprietas

prietas

prietas ſit in alium tranſlata,& ſequitur Aluaro.

C. Quæſitum.

Allegatur textus iſte cum.§.inſuper.de probi.alie. ſeu.per Federi.quòd filius vaſalli delinquens contra dominum,ex hoc non priuabitur feudo paterno poſt mortem patris,ſi paratus eſt domino ſatisfacere. Vult ergo textus iſte iuncto.§.inſuper. quòd quando ingratitudo præuenit gratiam, impedit illam, niſi purgetur per ſatisfactionem:ſecùs autem ſi ingratitudo committeretur tempore exiſtentis gratiæ: quia tunc de ſe non eſſet purgabilis.ſup.quæ fuit prima cauſa benefi.amitten.§. denique.

C.Si voluerit.

Allegatur textus iſte, ſi vaſallus ſolùm cogitauit offendere dominum, non ex hoc amittit feudum: idem ſi laborauit in offendendo, ſed ipſum pœnituit. ſecùs ſi inſidias poſuerit vt offenderet, quia tunc amittit feudum,ſi de talibus inſidijs probatum fuerit per quinque teſtes. Vult ergo textus iſte, quòd ex ſola cogitatione delinquendi quis non meretur pœnam,de quo in l.cogitationis.ff.de pœnis.& affectus delinquendi non eſt punibilis, niſi deducatur ad effectum. fallit propter enormitatem criminis,vt in glo.de quo in l.ſi quis nõ dicam rapere.C.de epiſc.& cleri. Et probat notabiliter textus iſte,quòd inſidiæ cõtra dominum paratæ per vaſallum, habentur pro delicto conſummato. & ponitur exemplum, quòd ſi vaſallus conuenit cum pluribus ſocijs de

occidendo dominum, quòd quanquam ad nihil aliud ſit peruentum, tamen ex tali cõſenſu adhibito in iſta contentione punietur: nam deduxit rem ad aliquem actum facti.

C.Similiter.

Allegatur textus iſte, quòd licet feudum ex forma inueſtituræ debeat tranſire ad maſculos & fœminas, tamẽ fœmina non admittitur extante maſculo. Et iſte eſt verus intellectus ad iſtum textum ſecundum gl. Poteſt & alio modo intelligi textus in feuda conditionato, de quo loquitur c. fin. inf. eod. in quo feudo æquè poſſit ſeruitium præſtari per fœminam, ſicut per maſculum: quo caſu pariter debet ſuccedere fœmina cum maſculo, quando inueſtitura ita diſponit, prout erat in propoſito, de quo per Bald. ſup. Epiſcopum vel Abbatem. §. quin etiã. qui dicit, quòd ita obtentũ fuit de facto in ardua quæſtione in regno Siciliæ: & hoc caſu ſaluabitur diſpoſitio inueſtituræ, quæ pariter eos vocabat.

C.Filius.

Allegatur textus iſte ad duas regulas, de quibus viſum eſt ſuprà in titulo, An agnatus vel filius. Prima regula eſt, quòd filius non poteſt repudiare hæreditatem patris, & retinere feudũ: quinimò eſt neceſſe, quòd aut vtrumque retineat, aut vtrumq; repudiet. & hoc procedit, ſiue fuerit feudum antiquum, ſiue nouum. Secunda regula eſt, quòd agnatus poteſt repudiare hæreditatem ſui agnati, ad quam vocabatur, & retinere feudum

dum ſuum: & iſta regula ſecunda ſolùm habet locum in feudo paterno, quoniam in nouo non ſuccedit agnatus nec cum hæreditate, nec ſine.

C. Si contentio.

Allegatur textus iſte cum glo. quando contentio eſt inter filiam defuncti aſſerentem bona, quæ poſſidebat defunctus, eſſe propria, & agnatum ipſius defuncti aſſerentem dicta bona eſſe feudalia, nec filia aliter probat, debet cauſa prædicta diffiniri per iuramentum agnati cum duodecim ſacramentalibus. Intelligas tamen textum, quòd agnatus inducat aliquid pro ſe, ex quo animus iudicis moueatur ad ſibi deferendum ſacramentum, aliàs ſi filia haberet præſumptionem pro ſe, tunc ſibi deferetur, de quo dictum eſt in c. ij. ſup. ſi de feudo fuerit contro. & hîc filia nihil probabat & erat præſumptio contra eam, ideo defertur agnatis habentibus pro ſe aliquam præſumptionem.

C. Et ſimiliter.

Allegatur textus iſte, quòd ſi cōtentio eſt inter emptorem aſſerentem rem emptam eſſe liberam, & vaſallum aſſerētem illam eſſe feudalem, vaſallo deficiente in probatione, diffinitur cauſa per ſacramentum emptoris. & intellige textum, quòd emptor poſſidebat, & ſic habet præſumptionē pro ſe. Et ſic nota, quòd vbi vaſallus vendicans rem ab emptore tanquam feudalem, ſi non probat, diffinitur cauſa per ſacramentum emptoris ex præſumptione, quam habet emptor pro ſe:

ſi verò præſumptio eſſet pro vaſallo, ex quo poſſet moueri animus iudicis in eius fauorem, tunc ſimiliter poſſet deſerri ſacramentum vaſallo. Et ratio eſt, quia ſemper in materia feudali in huiuſmodi caſibus debemus determinare, ſimiles, controuerſias, iuxta theoricam traditam in. §. ſacramentum. de conſue. recti feudi.

C. Similiter feudum.

Allegatur textus iſte, quòd feudum nõ poteſt conſtitui ſub pacto legis cõmiſſoriæ ſecundum opinionẽ Gyral. quam ſequitur gl. & ſic nota, quòd in feudis reprobatũ eſt pactum legis cõmiſſoriæ. ſicut in pignoribus: exempli cauſa, ſi pignorarem tibi fundum pro centum cum pacto, vt ſi dicta centum non ſoluero vſque ad certũ tempus, quòd dictus fundus ſit tuus loco feudi: vnde non obſtante pacto, poſſum quandocunq; ſoluendo pecuniam reuocare fundum, vt hîc, & in c. j. ſup. de feudo dato in vicem legis commiſſoriæ. & intellige iſtud ca. quando res fuit primò data loco pignoris, & ſuper hoc pignore adiectum fuit dictum pactum legis commiſſoriæ, quo caſu bene reprobatur vt hîc. Sed ſi à principio vendo tibi fundum pro centum, & incontinenti transfero in te dominum, ſed tamen ex dicto precio non ſoluiſti mihi niſi quinquaginta, ita quòd remaneo creditor tuus in reſiduo, & appono pactum incontinentì, quòd in caſu, in quo nõ ſoluas mihi dictum precium, quòd debeas habere, tenere, ac recognoſcere à me dictum fundum loco feudi: nam tunc iſtud tale pactum non eſt reprobatum, immò

immò eſt validum & ſeruandum, cùm ſit appoſitum in tranſlatione dominij. l. in traditionibus. ff. de pactis. de quo per glo. & Docto. in d. c. j. Et iſto modo intelligendo ſaluabitur opinio Oberti hîc poſita: tenenda eſt igitur opinio Gyral. & glo. hîc poſita, quando dictum pactum eſt poſitum ſuper pignore, vt niſi reſtituatur pecunia, teneatur res loco feudi, quo caſu bene reprobatur: ſed quando à principio per venditionem transfertur dominium, tunc ſi in ipſo cõtractu apponatur iſtud pactum, tunc valet & procedit opinio Oberti.

C. Similiter poteſt.

Allegatur textus iſte, quòd feudum poteſt dari ad certum & ad determinatũ ſeruitium. Et nota pro intelligentia, quòd feudum interdum eſt ſimplex, rectum & purum, vt quando indeterminatè eſt conceſſum, non appoſito aliquo pacto ſpeciali, vel aliqua conditione, ſed ſolùm ſimpliciter ſecundum propriam naturam recti feudi, prout diſponitur ſup. de forma fideli. & iſto caſu vaſallus non tenetur ad aliquod ſpeciale ſeruitium, ſed ſolùm ad illa, quæ continentur ex prima & ſimplici natura feudi, de quibus in d. c. j. ſed interdum eſt datum feudum determinatè ad certum ſeruitium, quod ſeruitium eſt ſpecialiter expreſſum in inueſtitura, vt quia forte debeat aſſociare dominam in diebus feſtiuis, vel quòd debeat ſeruire cũ vno equo, vel alio modo: & tunc tale feudum appellatur conditionatum, de quo hîc per glo. Non intelligas tamen conditionatum, quòd ſit fa-

ctum ſub conditione, ſed ſub quadam modificatione ſeu qualificatione propter ſeruitium ſpecialiter adiectum, quia iſte vaſallus non tenebitur ad aliquod aliud ſeruitium, niſi ad ſpecificatum in feudo, vt dicit glo. hic in prin. Quod intelligas verum, præterquam ad conſueta, quæ ſubintelliguntur ex forma fidelitatis d.c.j. de forma fideli. Et nota ſecundum glo. & Docto. quòd vaſallus nō poteſt refutare feudum ſibi datum ad certum ſeruitium inuito domino, poſtquam à principio obligauit ſe ad certum ſeruitium. l. ſicut. C. de acti. & obli. Secùs eſt de feudo indeterminatè conceſſo, non expreſſo ſeruitio. Nec obſtat, quòd ſit obligatus ex iuramento ad ſex, quæ exprimuntur in c. j. de forma fideli. Quia illud iuramētum aſtringit ipſum, donec teneat feudum. Sed poſtquam poteſt illud refutare ex permiſſione iuris, liberatur à dicto ſacramento, de quo per glo. notabilem hic. Per Canoniſtas in c. quæ in eccleſiarum. de conſtit. per Bart. in l. ſi is cū quo. ff. de aqua & aq. plu. arc. Emphyteota autē non poteſt renuntiare iuri emphyteotico inuito domino. l. ij. C. de iure emphy. vbi per Bal. Et nota ſecundum Dd. quòd ſi cōceſſum eſt vaſallo feudum liberū & francum, virtus iſtorum verborū facit, vt intelligatur vaſallum eſſe abſolutū ab omni ſeruitute, nec tenetur ire in exercitū. Et ſi ſequi teneretur, teneretur expenſis domini: tenetur tamē ad ea, quæ ſunt in ſacramento fidelitatis. d.c.j. de for. fideli. Sed quid, ſi tale ſeruitium, quod erat impoſitum vaſallo patri meo, vt aſſociaret

ciaret forte dominam diebus feſtiuis, nō eſt condignum mihi ſuccedenti patri meo, quia ſum Doctor vel in alia dignitate conſtitutus. Dicas ſecundum Dd. quòd fiat per alium, vel conuertetur in aliud ſeruitium.

DE PROHIBITA FEVDI alienatione per Lotharium.

TITVLVS LII.

Cùm hodie ſit prohibita alienatio feudi, niſi fiat cum voluntate & conſenſu domini, ideo ponitur iſta rubrica.

LOTHARIVS DIVINA FAVENte clementia III. Imperator Romanorum &c.

Cap. Imperialis.

Allegatur textus iſte, quòd Imperator laborat & inuigilat commodis ſubiectorum: & ideo habita diligenti deliberatione cum ſapientibus, prohibet generaliter feudum alienari à vaſallis ſine voluntate dominorum ſuorū. Et ſi vaſallus contrà fecerit, precio & beneficio carebit. Notarius verò, qui ſcripſit inſtrumentum, priuabitur officio ſuo & fiet infamis. Et ſic vaſallis eſt interdicta omnis diſtractio vel commercium ſuper re feudali abſque voluntate dominorum, aliàs perdunt feuda, & quidquid inde ſunt conſecuti. Probat etiam textus iſte, quòd quis punitur ex ſuo contractu etiam non valido. Et eſt ratio, quia hîc habetur reſpectus ad delictum. l. iubemus. §. ſanè. C. de ſacroſanct. eccleſ. Probat etiam textus, quòd punitur Notarius, qui

facit inſtrumentū de contractu reprobato.l.iubemus.§. his tabellionibus.C.de ſacro.eccle.quod intellige,quando ex certa ſcientia facit:quia ſcit contractum eſſe reprobatum ſecundum Dd. Nota gloſ. quæ quærit, quale adiutoriū teneantur præſtare vaſalli dominis ſuis euntibus in exercitum cum Imperatore pro corona ſuſcipienda? Et reſpondet, quòd ſecundum iura noua debet eos aſſociare, aut alium mittere loco ſui æquè idoneum & domino acceptabilem, vel ſaltem contribuere medietatem redditus vnius anni, quem ex feudo colligit. Et ſi vocatus legitimè,de qua vocatione conſtet per Pares Curiæ, non fecerit alterum prædictorum, tunc amittit feudum.Nota etiam gl.quòd ſi vaſallus vendat feudum præſente domino & non contradicente, videtur conſentire,& ſic tenet venditio:quod tamen intellige, quando dominus ſciebat,quod agebatur: ſecùs ſi ignoraret,quia potius intelligeretur errare quàm conſentire.& ſic præſentia et ſcientia domini bene operatur cōſenſum. Et intellige iſtum textum,quòd vaſallus proceſſit ad actum alienationis, & ſic compleuit contractum. Et probatur in textu, dum dicitur, quòd precio careat:& dum dicitur in textu,quòd vtilitas dominorum & imperij ſit diminuta. Et conclude ſecundum gl. & Dd.quòd ad hoc,vt habeat locū pœna iſtius legis contra vaſallos alienantes,requiritur,quòd non ſolùm perueniant ad actum alienationis.ſed quòd etiam tradant rem venditā:quia alienatio eſt actus, per quem transfertur

fertur dominium.l.j.C.de fun.do. Nota etiam gloſ.*quæ quærit, cui applicabitur precium, quia vaſallus non ſolùm priuatur feudo, ſed etiam precio caret? Et reſpondet, quòd emptori, ſi fuerit bonæ fidei, aliàs applicabitur fiſco. Sed quid ſi vaſallus vendiderit feudum ignorante domino, & tradiderit emptori ſcienti, ſed promiſit ipſi emptori acceptanti, quòd curabit & faciet, quòd dominus conſentiet prædictæ alienationi iam conſummatæ, & dominus non vult poſtea conſentire, an hăbeat locum pœna huius legis? Et dicas quòd ſic ſecundum Doctores.*

IMPERATOR LOTHARIVS
Aug. vniuerſo populo.

C. Satis bene.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus quidam à duobus dominis acquiſiuit bina feuda diuerſis temporibus, poſtea deceſſit relictis duobus filijs, qui filij inter ſe diuiſerunt dicta feuda, & ad vnum peruenit feudum priùs acquiſitum per patrem, ad alium peruenit feudum acquiſitum poſterius, & quilibet iſtorũ filiorum iurauit fidelitatem ſimpliciter domino ſuo, nullo antepoſito in iuramento, neque exceptuato niſi Imperatore: deinde moritur frater, qui tenebat feudum acquiſitum poſterius, cui alter frater ſuperſtes ſucceſſit in dicto feudo. Nunc dominus eius feudi poſterioris petit ſibi ab eo fidelitatem præſtari ſimpliciter, nullo antepoſito ſicut fe-

cerat ille frater defunctus: quæritur, an ſit audiendus? Et reſpondetur quòd non: quia ſemper in iuramento fidelitatis debet iurans præferre dominum ſuum antiquiorem, etiamſi dictum feudum deueniſſet in generationes plures, vel in infinitum. Et ſic nota, quòd feudum ſemper retinet ſuam naturam formalem, nec alteratur ex diuiſione hæredum, quanquam ſua qualitas ſteterit ſuſpenſa, quæ de nouo reintegratur, cùm reuertitur ad priores terminos: quoniam quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. l. de ætate. §. ex cauſa. ff. de interro. acti. c. inſinuanti. de offic. delega. Nam hic videmus, quòd pater acquirens feuda diuerſo tempore, tenebatur exceptuare priorem dominum in iuramento fidelitatis poſterioris feudi. Et erat ratio, quia habebat plures dominos: ſed cùm moritur, & dictum poſterius feudum perueniat ad vnum ſolum hæredem, tunc iſte in ſuo iuramento fidelitatis non habet exceptuare alium dominum. Et eſt ratio, quia non habet alium dominum, niſi illum cui nunc iurat: vbi verò iſte moriatur, & dictum ſuum feudum reuertatur ad alios tenentes alia feuda, quæ tenebat pater, tunc iuramento fidelitatis dicti feudi exceptuabitur perſona prioris domini, ſicut faciebat pater. Et eſt ratio, quia iſte habet in dictis feudis plures dominos, ſicut habebat pater: quoniam ſemper & in infinitum & per infinitas generationes iſta qualitas horum feudorum reintegratur, cùm peruenit ad vnum ſolum, vt hic.

IMPE-

IMPERATOR LOTHARIVS Aug. &c. Eugenio Papæ, & vniuerſo populo.

Cap. Quoniam.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus non petierit inueſtituram infra annum & diem, amittit feudum, niſi iuſta cauſa impediretur: renouatio ergo inueſtituræ debet fieri infra tempus hîc limitatum. quod fallit in milite, quia habet terminum anni & menſis.c.j. quo tempore miles. Fallit etiam niſi eſſet minor xiiij annis.§.præterea.pri.inf.titu.ij. Fallit etiam niſi aliàs ex iuſta cauſa impediretur. Et præſtat nobis argumentum textus iſte ſecundum Bald. quòd terminus legalis nunquam eſt peremptorius ſi legitimè probetur, facit l. cùm à matribus.C.qui pe. tut.l. quæſitum.ff. de re iudica. Probat etiam textus iſte, quòd iuſta cauſa facit ceſſare dolum, vt hîc in fin.

DE PACE INTER SVBDITOS & iuramento firmanda & vindicanda:& de pœna iudicibus appoſita, qui eam vindicare, & iuſtitiam facere neglexerint.

TITVLVS LIII.

In hoc titulo Imperator intendit vniuerſaliter prouidere calamitatibus ſubditorum prouenientibus occaſione guerrarum, firmando pacem inter omnes, vt quod priùs belli calamitas introduxerat, hoc pacis lenitas ſopiret.l.j.in princ.C. de cadu. tol.

FRIDE-

FRIDERICHVS DEI GRATIA Romanorum Imperator ſemper Auguſt. &c.

C.Hac edictali lege.

Allegatur textus iſte, quòd pax ab omnibus eſt ſeruanda, & inſuper iuramento firmanda ab anno xviij vſque ad lxx, & tale iuramentum debet de quinquennio in quinquennium renouari, debentq; omnes auxilium præbere rectoribus locorũ ad dictam pacem tuendam. Et ſic habes ex hoc textu, pacem ab omnibus eſſe tenendam et obſeruandam. Et ratio eſt, quia per pacem res paruæ creſcunt, & per diſcordiam & bellum maximæ dilabuntur. Propter pacẽ multa bona proueniunt, quæ enumerantur per glo. fin. in titu. de pace confer. Et quod in iſto textu dicitur de renouatione iuramenti de quinquennio in quinquennium: non tamen intelligas, quòd illi, qui ſemel iurarunt, debẽt iterum iurare: quia per primum iuramentum ſunt obligati ad perpetuam pacem, de quo per glo. & Dd. hic. per glo. in titu. de pace confer. in verbo, Renouabunt. Et ſic multi iuuenes, qui non erant habiles à principio quinquennij, nunc erunt habiles. Quærit gloſ. an iſta lex liget Francos, & alios, qui non ſunt ſubiecti Romano imperio? Et concludit gloſ. quòd de iure Francigenæ & alij ſint ſubiecti Imperio, de conſuetudine non: quia non recognoſcunt Imperatorem in ſuum ſuperiorem ex debito fidelitatis. Tamen in vniuerſali ſunt de Imperio Romano, & ſub Impe-

Imperio Romano. Et hanc glo. ſequitur Iaco. de Bel. & adducit textum in proœmio Inſti. Et ſubiecto nullo modo poteſt præſcribi. l. comperit. C. de præſcrip. xxx annorum. Abb. in c. cùm nobis. de præſcrip. de quo per Cynum in l. j. C. de præſcrip. longi temporis. Ad idem quod notat glo. in c. per venerabilem. qui filij ſint legit. in c. in apibus. vij. q. j. glo. in c. venerabilem. de elect. in c. ſuper pocula. de priui. de quo per Bar. in l. hoſtes. ff. de capt. Et dicimus rectè, quòd Imperator eſt dominus totius mundi. l. deprecatio. ff. ad legem Rhod. de iac. l. bene à Zenone. C. de quadri. præſcrip. Intellige tamen ſecundum determinationem ſanctæ matris Eccleſiæ, ſcilicet quòd poſt aduentū Chriſti dictum imperium, quod antè dependebat à ſolo Deo, nunc poſt eius aduentum eſt apud Chriſtum & eius vicarium ſcilicet Papam, & per Papam transfertur in Principem ſæcularem. c. venerabilem. de elect. Vnde ſi hodie dicimus, omnia ſunt Imperij Romani, referendo ad Chriſtum, bene dicimus: ſi verò referamus ad perſonam Imperatoris, non propriè dicimus, quòd omnia ſint ſua, vel ſint in ſua iuriſdictione cōſtituta, quia non terræ eccleſiæ. Clemen. paſtoralis. de re iudi. Et ad prædicta adde glo. Inſti. de pa. po. in princ. Nec obſtat iſti textui, dum dicit de xviij. anno. textus inf. eod. §. item ſi ſacramentum. quia hîc loquitur de iuramēto generali, quod præſtatur iudici de ſeruanda pace: ibi autem loquitur de iuramento ſpecialiter præſtito ſuper contractu aduerſario: quia tunc ſufficit quòd

ſit

ſit pubes, de quo hîc per glo. Et quia glo. hîc dinumerat ætates, adde gloſ. in proœ. ſexti. Cyn. in l. ſi infanti. C. de iu. deli. Quærit glo. hîc, an minor decem & octo annis, qui non eſt habilis ad iurandum pacem, ſit habilis ad pugnam faciendam cum ſua perſona. Et conclude ſecundum Docto. quia gloſ. concludit quòd non, quando ipſe minor traheretur inuitus ad pugnam: ſecùs autem ſi ipſe prouocaret alium ad pugnam: quia tunc cogeretur iurare, cùm poſuerit ſe in neceſſitatem: quia tunc iurare debet domino, quòd non petit pugnam cauſa fatigandi aduerſarium, ſed ex certis præſumptionibus, quas aduerſus ipſum habet.

§. Si quis verò.

Allegatur textus iſte, quòd ſi alicui volenti viuere in pace fiat iniuria in rebus vel perſona, quòd ad hoc, vt ipſe non videatur rumpere pacem, debet adire iudicem competentem, & coram eo iuſtitia mediante conſequi ius ſuum. Habes ergo, quòd non debet quis ſibi dicere ius auctoritate propria, ſed debet adire iudicem competentem pro ſuo iure conſequendo, ſiue in cauſa ciuili ſiue criminali, vt hîc, & l. nullus. C. de Iudæ. l. ſi quis in tantam. C. vnde vi. l. extat. ff. quod metus cau. Fallit tamen iſta regula in l. j. & ij. C. quando lice. vni. ſine iud. per glo. in d. l. extat. Quærit gloſ. quid ſi debitor meus fugit cum re mihi debita, & non habeo copiam iudicis, an poſſum ſibi auferre propria auctoritate abſq; pœna? Et gloſ. concludit quòd non. Sed bene poſſum ipſum

ipſum capere, & iudici præſentare: ſed tu conclude tres caſus ſecundum Dd. Primus eſt, quòd ſi res eſt capientis poteſt ſibi auferri. Secundus caſus eſt, quando non eſt ſua, ſed ſibi debita obligatione perſonali, tunc poteſt capi ipſe cum re & iudici præſentari. Tertius caſus eſt, quòd ſi fugiat ſine re, poteſt capi & iudici præſentari. & adde notata per Bar. in l. ſi alius. §. belliſſimè. ff. quod vi aut clam. quod in iſtis ciuitatibus, quæ non recognoſcunt ſuperiorem, ſi vna ciuitas occupat bona alterius ciuitatis, quòd illa ciuitas poteſt per vim recuperare: quia non eſt copia iudicis. per Barto. l. j. C. ne quis in ſua cauſa.

§. Si quis verò auſu temerario.

Allegatur textus iſte, quòd Imperator volens hanc ſuam pacem ſupraſcriptam bene cuſtodiri, ſtatuit pœnam aduerſus violatores dictæ pacis limitando eam ſecundum gradus & ſtatū delinquētium, prout in textu: & vult tex. quòd maiori pœna puniatur nobilis quàm ignobilis, & maiores in dignitate quàm minores. quod eſt verum ſecundū gl. & Dd. quando tractamus de pœna pecuniaria imponenda ſecùs ſi tractaremus de pœna corporali, de qua materia per Dd. in l. nemo. C. de ſum. tri. & Barto. in l. quædam. ff. de pœnis. & vide quæ dicta ſunt in verbo, Nobilitas. Vult etiam textus iſte, quòd ex eodem delicto quis non ſolùm eſt condemnandus ad pœnam pecuniariam congruentem delicto, ſed etiam ad emendationem damni parti læſæ. c. j. de iniurijs &

damno dato. immò poterit etiã puniri tertia pœna, ſcilicet corporali, ſi delictum perpetratũ meretur dictam pœnam, vt inf. in. §. ſeq. & §. homicidiũ. ſecundum gloſ. & Docto. facit quod habetur in l. locatio. §. quod illicitè. ff. de publ. Quæritur, ſi eſt facta pax inter duos inimicos, & vnus iſtorum offendat fratrem vel coniunctos alterius, an videatur incidiſſe in pœnam adiectam in compoſitione pacis? & Alua. hîc refert Iac. Ardi. diſputaſſe iſtam quæſtionem, & tandem concluſiſſe quòd ſic: ſed, vt puto, cõcluſio iſta nõ eſt vera per notata per Bar. in l. ſi ita ſtipulatus. §. Chryſogonus. in fin. ff. de verborũ oblig. dicit enim Bar. quòd perſona fratris nõ intelligitur niſi exprimatur. l. ſi vnus. §. ante omnia. ff. de pac.

§. Iniuria.

Allegatur textus iſte cum. §. ſeq. quòd Imperator ſtatuit, quòd violatores pacis vltra prædicta puniantur etiam pœnis corporalibus pro iniuria, vel furto, ſeu homicidio, vel alio delicto per eos perpetrato in dicta violatione pacis. Et probat textus iſte, quòd lex noua quantumcunque pœnaliter poteſt reſeruare etiã pœnam legis antiquã, facit l. quotiens. ff. de acti. & obli. per Cynum in l. qui ſepulchra. C. de ſep. vio. Nam violator pacis ad tria tenetur: primò ad pœnam pecuniariam, ſecundum qualitatem ſuæ conditionis, vt ſup. §. proxi. ſecundò ad intereſſe partis, vt ibid. tertiò ad pœnam congruentem de iure communi delicto per ipſum perpetrato in dicta violatione: quoniam ſi violando commiſſum fur-

furtum, puniretur pœna furti: ſi homicidiũ, puniretur de homicidio: ſi iniuriã, puniretur de iniuria. & ſic de ſimilibus. Et quia gl. hîc quærit, quæ pœna veniat imponenda per iudicem pro iniuria illata? et inter alia dicit, quòd iudex debet habere plures conſiderationes, per ea quæ habentur in. §. atrox. Inſtit. de iniurijs. Et concludit in iſta materia poſt glo. quòd quando agitur actione iniuriarum ciuiliter, ſiue ſit prætoria ſiue ciuilis, iudex non extimat, ſed pars: verùm ipſe iudex taxat in vtraque. §. pœna. Inſti. de iniu. de quo per Bart. in l. iniuriarũ. ff. de iniurijs. Si aũt agitur criminaliter, eſt pœna arbitraria. l. fin. ff. de iniu. §. in ſumma. Inſt. de iniu. Et nota, quòd vna tollitur per aliam, de quo in l. quòd ſenatus. in l. Prætor. §. j. ff. de iniu. Et in hoc. §. dicit Bal. quòd furcæ ſuſpenſi non debent manere in patibulis, ſed debent deponi. Et adducit textũ Deute. xxj. in fin. & Ioſue viij. & ſic eſt deciſio contra fratrem Iacobum de Alta platea ordinis Prædicatorum, religioſum quidem, ſed præſumptione plenum: & quia dum contra ipſum adduxiſſem Bald. hîc, quòd poſſet dici, quòd inciderit in falſum, allegando textum veteris teſtamenti abrogatũ. l. fin. ff. ad l. Cor. de falſis. Reſpõdet ipſe, quòd Bald. ſemel corrupit textũ iuris, ergo cõmiſit falſitatẽ. & allegat me hoc dixiſſe & habuiſſe à quodam meo ſcholare. Mentiuntur apertè, quòd ego vnquam dixerim affirmatiuè, quòd Bal. hoc fecerit. & eſt hæc vna fabula, nec reperitur hoc in aliquo loco authentico. nec Barto.

 in l.

in l.ea lege.C.de condictione ob cauſam. hoc dicit, præterea Bal.ipſe non eſt inuentor huius dicti, ſed approbat dicta aliorū. & ſi ſic debemus credere omnibus referentibus, ego etiam credo quòd frater Iacobus de Alta platea contra votū religionis tenuit concubinam: quia hoc fuit mihi relatum & Colonia & Maguntiæ. & ſi Bal.corrupit textum, maius fuit delictum fratris Iacobi.& ideo debebat aduertere ad illud, quod dici ſolet:

Tollere feſtucam ſi vis de fratris ocello,
Quæ tua perturbat lumina tolle trabem.

Credo etiam ego, quòd dixerat vnam fatuitatem, quia cùm non poſſum pati, quod dixerim, quòd clerici videntes aliquem pro iuſtitia puniri ad mortem peccāt mortaliter.c.ſententiā.ne cleri.vel monach. auſus eſt dicere, quòd Maria virgo & ſanctus Ioannes viderunt Chriſtum crucifigi & non peccauerunt: ergo etiam clerici non debent peccare. hoc retulit mihi vnus de ſuis intimis amicis.& ſic per iſtam phantaſiam vult, quòd deciſio Papæ ſit falſa & ſine ratione. Omnia tamen iſta latiùs tractabo in opere, quod contra ipſum breui faciam, & ſuam maximam ignorantiam detegam, et temeritatē & inuidiam gloriæ proximi. Oſtendam etiam forte aliquas ineptias, quas dixit in libello, quem fecit contra curatos.

§.Homicidium.

Allegatur textus iſte, quòd committens homicidium vel mutilans membrum, vel cōmittens aliud delictum

lictum, punitur pœna condigna illo delicto, ſecundū ſtatuta legalia, & pœna homicidij, quæ eſt capitalis, ponitur in l.iij.§.pen.ff.ad l.Cor. de ſica. Inſtit. de pub. iudi. §. item lex Cornelia. l.iij. C. de epiſcopali audi. Et pœna capitali nō ſolùm tenetur ille, qui verè commiſit homicidiū, ſed etiam ille, qui iuit cū telo cauſa occidendi. ſed nō potuit. l. is qui cum telo. C. ad l. Cor. de ſica. ſecundū gl. Sed dicas, quòd de cōſuetudine tales leges nō ſeruantur, & ideo vide quæ dixi in alphabeto, in verbo, Homicidiū. Et pro declaratione textus intelligas, quando homicidium eſt cōmiſſum ſponte, ſecùs ſi ex neceſſitate ad ſui defenſionē: quo caſu non tenetur, quia licitū eſt vim vi repellere. l. vt vim. ff. de iuſt. & iu. Et idem ſi fecit caſu, non ex propoſito: quia in maleficijs conſideratur voluntas. l.j.§. Diuus. ff. ad l. Cor. de ſicad. Et conclude poſt gloſ. quòd ſi ex homicidio eſt ſecuta violatio pacis ſerua quod in.§. ſi verò violator. ſup. de pa. tenen. quid faciendum de ſuis bonis. In alio verò homicida, ſerua quod habetur in authenti. bona damnatorum. C. de bon. dam. prout intelligunt ibi Docto. Barto. in l.j. ff. de bon. dam. Et multa pertinentia ad homicidium vide in meo alphabeto, in verbo, Homicidium.

§. Iudices.

Allegatur textus iſte, quòd vt omnis tollatur occaſio pacis violandæ, mandatur iudicibus locorū, vt debeant eſſe diligentes in faciendo iuſtitiam quibuſcunque, &

in vindicando pacem violatam. Quòd ſi ſecùs fecerint, debeant reſarcire damnum iniuriam paſſo, & nihilominus puniri pœna hîc ſtatuta. Habes ergo ex hoc textu, quòd in ciuitatibus & locis iudices debent conſtitui ad ius reddendum, qui iudices conſtitui debent per Imperatorem, vel ſaltem de eius voluntate conſtituentur, vel conſtituti confirmantur, vt hic & in titulo de pace Conſtantiæ. Vbi licet ſit conceſſum quibuſdam ciuitatibus, vt ſibi auctoritate propria eligant Magiſtratus, tamen debent per Imperatorem cõfirmari. Sed hoc de conſuetudine non ſeruatur, vt etiam dicit glo. hîc, ſecundum quam hodie ſingulæ ciuitates habent ſua regimina, & merũ imperium à ſe, ſicut olim habebat Præſes prouinciæ. gloſ. ſingularis in l. fina. C. de præſcript. longi temporu. Et vide multa, quæ allegaui in alphabeto, in verbo, Imperium, ad hoc propoſitum. Probat etiam textus iſte, quòd propter negligentiam iuriſdicendi puniuntur iudices, de quo in l. mancipia. C. de ſer. fugi. Quærit glo. an iſte textus habeat locum etiam in iudice malè iudicante? Et reſpondet quòd ſic, & intrat gl. illam materiam, qua pœna puniatur iudex malè iudicans, de quo per gl. Inſti. de obli. quæ ex quaſi delicto. in prin. per Dd. in l. j. & ij. C. de pœna iu. qui ma. iu.

§. Qui verò.

Allegatur textus iſte, quòd violatores pacis, ac iudices negligentes in faciendo iuſtitiam, & in vindicando pacem violatam, ſi non poſſunt ſoluere pœnam pecuniariam

niariam eis iniunctam propter prædictos exceſſus, debent verberibus coerceri in corpus, & inſuper à loco domicilij proprij per quinquaginta milliaria per quinquennium relegari. Nota regulam hîc, quòd qui nō poteſt ſoluere in ære pœnam pecuniariā ex delicto impoſitam, luat in corpus, etiamſi ſit iudex in dignitate poſitus. Et præſtat argumentum ſecundum Bald. quòd iudex, qui in ſyndicatu non poteſt ſoluere condemnationem, debet puniri pœna corporali per iſtum textum. Sed de conſuetudine eſt, dicit Bal. quòd ponuntur iudices in carcerem, donec ſoluant. Probat etiam textus iſte, quòd propter inopiam non liberatur quis à pœna, immò maiori pœna afficitur, cùm ictus fuſtium cenſeatur maior pœna quàm pecuniaria etiam magna. l. in ſeruorum. in fin. ff. de pœn. Et ſecundum Dd. hoc operatur enormitas delicti, aliàs propter paupertatem minuitur pœna pecuniaria. l. eos. in fin. C. de mo. mulct. Sed eſt aduertendum, quòd textus iſte loquitur in mulcta, quæ propter paupertatem remitti poteſt. l. illicitas. §. fina. ff. de off. Præſid. ſed ſecùs eſt in pœna. l. j. §. generaliter. ff. de pœ. Et ibi dicit Barto. quòd illud quod dicitur in d. l. in ſeruorū. non procedit in perſonis vilibus: quod videtur eſſe contra iſtum textum, qui loquitur etiam de conſtitutis in dignitate. Et ſecundum Docto. textus iſte etiam procedit, quando ſoluiſſent partem, & aliam partem non poſſent ſoluere, quia Imperator ſimpliciter loquitur de integra ſolutione.

§.Conuenticula.

Allegatur textus iſte, quòd conuenticula & congregationes ad pacem violandam quocunque modo, & in quocunq; loco reprobantur & caſſantur, tam in præteritum quàm in futurũ, & contrafaciens punitur pœna vnius libræ auri. Probat ergo textus iſte, quòd cõuenticula ad malum tendentes ſunt reprobata de iure, vt hîc & in l. conuenticula. C. de epiſco. & cleric. Et propriè conuenticulum eſt, quando plures in vnum conueniunt ad malum animo deliberato, collecta multitudine. l. denuntiamus. C. de his qui ad eccle. conf. Si aliqui congregantur in vnum propter aliquod licitum, quia tunc hoc nõ eſſet punibile, immò permiſſum: exempli gratia, aliquis vult me deijcere de poſſeſſione mea, poſſum congregare gentes ad mei defenſionẽ, quia lex permittit hoc, non debeo puniri. l. Gracchus. C. ad l. Pomp. de adul. Et in iſto textu prohibentur etiã coniurationes ſuper malis actibus. Et dicuntur coniurationes, id eſt confœderationes iuratæ ad malum. Confœderationes autem iuratæ quæ fiunt hodie inter ciuitates, quæ fiunt ad defenſionem, ſunt permiſſæ, de quo per Barto. in l. fi. ff. de colle. illi. Et de iſtis coniurationibus in l. aut facta. ff. de pœ. in l. quiſquis. C. ad l. Iul. maie.

§.Epiſcopos.

Allegatur textus iſte, quòd Imperator monet Epiſcopos locorum, & poteſtatem eis tribuit excommunicandi omnes violatores pacis, & ineuntes circa prædicta

cta conuenticula atque coniurationes, donec ſatiſfaciant. Et ſic habes ex hoc textu, quòd etiam de iure ciuili ſpectat ad officium Epiſcoporum ſacere, tenere & conſeruare pacem, ac punire violatores pacis. De his habetur in c.j. de treu. & pa. in c. nouit. de iud.

§. Receptatoribus.

Allegatur textus iſte, quòd receptantes violatores pacis, & ementes prædam ex dicta violatione captam, puniri debent eadem pœna, qua ipſi violatores. Et ratio eſt, quia eos receptando videntur quaſi conſentire delicto ipſorum: & per conſequens tanquam conſentientes pari pœna ſunt puniendi, de quo per gloſ. hîc. Ratio autem, quare ementes prædam captam à violatoribus pacis puniuntur eadem pœna, eſt, quia incidunt in ſuſpicionem eiuſdem criminis. l. ij. C. de fur. Quod tamen intellige, quando emens ſciebat rem eſſe captam ex dicta præda: ſecùs ſi ignorabat. Facit quod notat gloſ. in l. j. ff. de recep. Et nota gloſ. quæ voluit, quòd ſi aliquis potuit capere violatorem pacis, & non cepit neque receptauit, ſed pecunia accepta ire dimiſit, quòd teneatur pœna hîc ſtatuta, quia videtur eſſe in pari cauſa turpitudinis. Et ſi ſimpliciter fauerit, quoad fugam, tenebitur, tanquam fautor ſecundum Aluaro. hîc, qui allegat Gaudinum. Sed tu allega Barto. in l. iij. §. ſi quiſquam. ff. ad Sila. qui dicit, quòd punitur mitius.

§.Qui pacem.

Allegatur textus iſte, quòd ſi aliquis ex prædictis non vult iurare dictam pacem, & tenere, quòd bona ſua debent confiſcari, & domus ſua debet deſtrui. Et nota hîc caſum ſpecialem, in quo propter delictum venit domus delinquentis deſtruenda. Et hoc operatur enormitas delicti contra violatores pacis. In cæteris caſibus ſecùs hodie. §. oportet. in authenti. de mand. Prin. Vbi dicit textus, quòd iudex debet punire perſonam, & non contingere res. Et vide Bart. in l. cætera. §. ſi duobus. ff. de lega. j. Per ſtatutum tamen poteſt induci, quòd domus deſtruatur ſecundum Dd. Et vide quod notat Bar. in l. Antæus. ff. de aqua & aq. plu. arcen.

§.Illicitas.

Allegatur textus iſte, quòd ad hoc, vt remoueatur omnis occaſio violandi prædictam pacē, prohibet Imperator fieri illicitas extorſiones à ſubditis, & præſertim à clericis imponendo pœnam aduerſus contrafacientes, vt reſtituant duplum. Et ſic nota illicitas exactiones eſſe prohibitas, nedum exigi à laicis. l. illicitas. ff. de offi. Præſi. ſed etiam à clericis, quia eccleſiæ ſunt immunes ab exactionibus, de quo in c. peruenit. in c. non minus. de immu. eccle. in authen. item nulla. C. de epiſco. & cleri. Et illi, qui extorquent illicitas exactiones, tenentur ad reſtitutionem dupli. Et ſi fiat extorſio aduerſus eccleſiam vltra iſtam pœnam, punitur perpetua deportatione, vt in l. placet. in fin. C. de ſacro. eccle.

§.Item

§. Item ſacramenta.

Allegatur textus iſte, quòd pubes ſponte firmans contractum periuramentum, non poteſt contrauenire: ſecus ſi non ſponte, quo caſu etiam ſi eſſet maior poſſet contrauenire. Duo ergo exiguntur ad hoc, vt iuramento firmetur contractus, & efficiatur irreuocabilis. Primum eſt, quòd contrahens ſit pubes: ſecundum eſt, quòd ſponte iuramentum fuerit præſtitum. Et licet iſta deciſio videatur dura propter teneram ætatem, in qua facile puberes poſſunt decipi, tamen habet rationem in ſe, videlicet bonum animæ, & reuerentiam Dei. & ſic conuenit cum iure diuino, & naturali, & iure gentiũ. quod vult religionem & fidem ſeruari. l. j. in fi. l. ij. ff. de iuſti. & iure. Et hanc rationem etiam mandauit Eccleſia ſeruari. c. quamuis. de pact. in 6. c. licet. de iureiuran. in 6. Et iſte textus habet locum etiam inter Iudæos & hæreticos ſecundũ Bal. l. quoniam. C. de hæreti. Et nota caſum, in quo factum per vim vel metum ipſo iure non tenet, de quo vide in c. Abbas. per gloſ. & Dd. quod metus cau. quia iuramentum nullius eſt momenti, vt hîc. Nota gl. hîc, quòd cõſuetudo attenditur iuxta formam iuramentorum: quia ſuper quacunque ſcriptura poteſt iurari, etiam ſi contineat Euangelia, & ſuper ligno vel lapide habendo voluntatẽ & cor ad Deum. Et adde glo. in Clemen. j. de hæreti. in verbo, Tacta. Nota etiam glo. hîc, quòd ſi pubes iurauit ore, & nihil tetigit corporaliter manu, quòd non habet locum iſta authen. Pro quo

textu in c.vt circa.in fin.de elect.in 6.& gloſ.in d. Clemen.j.Nota etiã gl.quòd ſi pubes non iurauit, ſed mandauit alteri,vt iuraret pro eo in animam ſuam, habet tamen locum diſpoſitio iſtius textus,vt contractus confirmetur per deducta per glo.& Docto.Nota etiam glo. quòd ad validandum contractum per iuramentum,requiritur quòd iurans ſit pubes factus:ſi verò eſſet minòr pubere,dato, quòd eſſet doli capax, non poſſit validare contractum per iuramentum. Et hanc gloſ.ſequuntur communiter Dd. iuris ciuilis in auth.ſacramenta.C.ſi aduerſus vendi.Et ibi eſt etiam glo.licet Bart.fuerit in contraria opinione. Sed tu tene iſtam opinionem tanquam æquiorem. Et vide quæ dixi in alphabeto,in verbo,Pupillus.Nota etiam glo.quòd iſte textus non procedit in pubere furioſo,ſed ſolùm ſanæ mẽtis. Nota etiam gloſ. quæ vult, quòd iſte textus habeat etiam locum in pubere, qui eſt filiusfamilias, quando ſumus in caſibus, in quibus poteſt obligari.Nota etiã gl.quòd iſte textus habeat locum,etiamſi pubes haberet curatorem. Et ſequuntur Dd. ea ratione maximè, quia ſacramentũ repræſentat eum maiorẽ vigintiquinq; annis: ergo valet contractus factus à maiore. Nota etiam glo. quòd ſi iſte pubes fuit inductus per dolum ad contrahendum & iurandum, quòd non dicatur ſponte iurare, qui dolo fuit inductus,vnde poterit contrauenire per reſtitutionẽ in integrum,& ſi ſibi opponatur de iuramento,replicabit de dolo.& ſecundum Bal.poterit dolus probari ex enormi læ-

mi læſione.Nota etiam glo.quòd ſi iſte pubes fuit inductus blanditÿs ad iurandum, tamen tenebit cõtractus: quia ex induſtria propria licitum eſt ſibi acquirere.l.ſi defunctus.C.arbi.tute.Nota etiam gl. quòd iſte textus procedit in cõtractu reprobato,fauore perſonæ, quo caſu iuramentum habilitat perſonam:ſecùs vbi contractus eſt reprobatus de iure communi, quia tunc ſicut nõ valet principale, tanquam reprobatum à iure communi,non debet valere iuramentũ tanquam acceſſorium. l.non dubium.C.de legibus.l.ſtipulatio hoc modo concepta.ff.de verborum oblig.Nota etiam glo.quòd ſi pubes iurauit ſuper contractum venditionis,& poſtea reperitur læſus vltra dimidium iuſti precÿ, non obſtante iuramento,poterit contrauenire. intellige tamen, niſi iuraſſet non venire cõtrà ratione precÿ, vel quacunque alia ratione:quia tunc non poſſet venire contrà obſtante iuramento,de quo per glo.& Dd.in l.ÿ. C. de reſcindenda venditione.in c.cum cauſa.de emp.& vendi.Nota etiam glo.quòd maior deceptus vltra dimidiam, iurans non contrauenire, non poterit cõtrauenire, de quo per Dd.in d.l.ÿ.Nota etiam glo.quòd iuramentum generale ad omnes futuros contractus nõ ligat ipſum contrahentem poſtea, niſi fiat mentio in ipſo contractu de prædicto ſacramento iam præſtito, ſed tenet opinionem contrariam,de qua per glo.Bart. & modernos in d.authent.ſacramenta.ea ratione, quia ex voluntate ſolius iurantis pendet iuramentum & iurat Deo, qui vbique

præ-

præſens eſt. Nota etiam gloſ. quæ quærit, quid ſi pubes poſtquam contraxit & iurauit, ſed non potuit tradere, quia cecidit à poſseßione, quã poſtea recuperauit, vtrum teneatur tradere: item quid ſi tradidit, ſed poſtea aliquo caſu ad ipſum retrouenit res vendita, an iterato teneatur tradere? Sed in hoc conclude ſic ſecundum Dd. quòd debemus cõſiderare formam iuramenti, quoniam ſi iurauit tradere, & tunc tenetur ſemel ſolùm tradere, & ſemel tradendo liberatur in perpetuũ: ſi verò iurauit non venire contrà, vel non retractare, tunc tenetur reſtituere: quia reſiſtendo & non reddendo videtur facere controuerſiam, & contrauenire. Nota etiam glo. quid ſi iſte pubes contraxit, & non iurauit tunc, ſed poſtea ex interuallo per iuramentum firmat per dictum contractum, qui fuerat nullus, an habeat locum determinatio huius textus? & concludit quòd ſic. Nota etiam glo. quòd iſte textus non ſolùm habet locum in contractu, ſed etiam in quocunque diſtractu: quia eadem ratio cadit [illegible]robique, ſcilicet auctoritas & virtus ſacramenti: ergo idem ius ſtatui debet. l. à Titio. ff. de verborum obliga. & adde glo. & Dd. in dicta authent. ſacramenta. Nota etiam gl. quòd iſte textus habet etiam locum, ſi pubes iurauit non venire contra ſententiam, vel contra confeßionem ſuam, vel contra arbitrum: & licet ſecundum glo. non poßit venire contra ſententiam, reſpectu minoris ætatis, poterit tamen à dicta ſententia appellare, ſicut poſſet maior: quia iuramẽtum prædictum

dictum ſuſtulit ſolum obſtaculũ minoris ætatis, non autem iuris communis, niſi tamẽ ſecundum Dd. per iuramentum renuntiaſſem etiam appellationi. Nota etiam gl. quòd ſi pubes filiusfamilias per iuramentũ renuntiauit Macedoniano, non ligatur, quando non poſſit contrauenire: quia odioſum et contra mutuantes: ſecùs tamen eſt ſecundum gloſ. in muliere pubere renuntiante Velleiano per iuramentũm: quia tunc obligatur iuramento, quia Velleianum eſt inductum in fauorẽ ſuum. Nota etiam glo. quòd ſi pubes donauit cauſa mortis, & iurauit non contrauenire, quòd non poterit reuocare: quia eſt tanquam maior, & maior poſſet ſic donare, vt non reuocet. l. vbi. ff. de donationibus cauſa mor. & idem tenet glo. in donatione inter viuos facta ſimpliciter per puberem, & iurata, quòd nõ poſſit reuocari. Nota etiam gloſ. quòd ſi iſte pubes poſt contractum celebratum & iuratum, venit contrà de facto, quod erit infamis, & patitur omnes pœnas, quas pateretur quilibet maior ſi iuraſſet. l. ſi quis maior: C. de tranſact. Nota etiam gl. quæ quærit, quid ſi pater minor diuidit bona inter filios ſuos emancipatos, & iurauit non contrauenire, an poſtea poterit venire contrà? Et conclude ſecundum Docto. poſt glo. quod aut iſta diuiſio habet vim teſtamenti ſeu vltimæ voluntatis, & tunc poteſt contrauenire, & ſacramentũ non valet: aut non habet vim teſtamenti, & tunc non poteſt contrauenire. Quærunt Dd. quid ſi iſte pubes conceſſit feudum cum iuramento non

non adhibitis Paribus, qui debent interuenire, an tale iuramentum ſuppleat omnem defectum? & tenet quòd non, quia iuramentum ſupplet ſolum defectum ætatis, non alios, per notata per Barto. ſi quis pro eo. ff. de fideiuſ. Et nota ſecundum Dd. quòd ſi eſt facta interdictio puberi propter malos mores, vel propter inſidias contrahentium, non habet locum textus iſte.

DE ALLODIIS.

Ad hæc quid allodium.

Allegatur textus iſte, quòd nullus vendens rem ſuam propriam ſit auſus vendere iuriſdictionẽ ſeu diſtrictum imperij, dicendo, quòd vendat eam liberam & abſolutam à iuriſdictione & diſtrictu imperij, ita quòd non ſit de iuriſdictione & diſtrictu Imperatoris. & ſi fiat huiuſmodi datio, eſt ipſo iure nulla reſpectu illius iuriſdictionis et diſtrictus imperij. Et ſcias pro intelligentia textus, quòd dominium rei poteſt eſſe apud vnum, & iuriſdictio ſeu diſtrictus apud alium. Habe exemplum: Ego habeo vnam poſſeſſionem in diſtrictu alicuius ciuitatis, proprietas poſſeſſionis eſt mea, ſed diſtrictus loci, in quo ſita eſt dicta poſſeſſio, eſt alterius, ſcilicet ciuitatis illius, & iuriſdictio eſt apud Principem illius loci. Probat ergo textus iſte, quòd omnis iuriſdictio eſt apud Imperatorem, & ipſe eam tribuit alijs Magiſtratibus, creando eos vel confirmando, vel præſtando auctoritatem creandi. l. j. §. cùm vrbem. ff. de offi. Præf. vrbis, vnde

vnde apud Imperatorem ſunt iuriſdictiones tanquam apud fontem, à quo fluunt & refluunt ſicut flumina ad mare. Et ratio iſtius textus eſt, quia iuriſdictiones ſunt Imperatoris: & ideo venditio nō tenet ipſo iure, quia nō cadūt in cōmercio noſtro. l. apud Iulianū. §. fi. ff. de lega. j. & licet iam hoc eſſet prohibitū, tamen Imperator de nouo prohibuit, quia forte inoleuerat cōſuetudo contraria, quam hîc Imperator tollere intendit. Et iſte textus facit pro opinione Martini, de qua in l. bene à Zenone. C. de quadri. præſcri. quòd dominia & proprietates omnium rerum exiſtentium infra fines imperij nō ſunt ipſius Imperatoris, licet omnis iuriſdictio ſit apud Imperatorem. l. deprecatio. ff. ad l. Rhod. de iact.

§. Si verò contigerit.

Allegatur textus iſte, quòd dominus poterit priuare vaſallum iure ſuo transferēdo in eccleſiam rem feudalem tanquam propriam & liberam, niſi idem vaſallus ex gratia illud feudum de nouo ab eccleſia obtineat. Et habes hîc caſum mirabilem ſecundum Doctò. in quo vaſallus priuatur feudo ſine culpa ſua contra regulam, ſup. de feudo ſine culpa non amitten. ſed hoc operatur fauor Eccleſiæ. Dicunt tamen Docto. quòd eccleſia tanquam cultrix iuſtitiæ nō debet auferre à vaſallo dictum feudum: nam naturali ratione ad hoc tenetur, & ideo debet ſibi facere gratiam, vt hîc. ex quo colligit Bald. quòd quis dicitur facere gratiam faciendo id, ad quod tenetur de iure naturali. facit l. Titius. ff. de obſequijs à lib.

lib. vel lib. Eſt etiam hic caſus ſpecialis, in quo dominus non reddit parem vicem vaſallo: quod eſt contra regulam poſitam ſup. de forma fideli. quia dominus poteſt inuito & ignorante vaſallo rem feudalem pro animo iudicare, ſed vaſallus non poteſt. §. donare. ſup. quæ ſit prima cauſa beneſi. amitten. ſed ratio differentiæ eſt ſecundum Bald. quia apud dominum reſidet plus iuris, quod patet, quia recipit ſacramentum fidelitatis à vaſallo, ſed illud econtrà non præſtat. Et nota hîc glo. notabilem, quæ voluit, quòd ſi eccleſia noluit facere gratiam vaſallo, quòd dominus tenetur ad intereſſe vaſallo, vt ſoluat æſtimationem, vel quòd det feudum aliud eiuſdem bonitatis & quantitatis: & ſic iſto modo temperatur rigor iſtius textus, & ex hoc collige ſecundum Bald. quòd quanquam aliquis admittatur auctoritate iuris ad infringendum, quod fecit, nihilominus tenebitur ad intereſſe.

§. Vt autem.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus legitimè vocatus non ſociauerit dominũ ſuum in exercitu pro ſuſcipienda corona imperij, aut ſtipendia non contribuerit, amittit feudum, & ad dominum reuertitur. Et nota iſtum textum, quòd Imperator debet ire Romam pro corona ſuſcipienda, nec poſſet mittere procuratorem ad dictam coronam ſuſcipiendam, nec poſſit ſibi mitti alibi ſecundum Bald. ſecundum iſtum textum, & per ea quæ notãtur in Clem. Romano. de iureiu. Habes etiam

ex

ex textu nouam ingratitudinem, per quam vaſallus amittit feudum, & ad dominũ reuertitur. Habes etiã, quòd vaſallus ad requiſitionem domini ſui cogitur præſtare auxilium domino domini ſui, quod expeditum eſt hîc pro ſuſcipienda corona. Vtrum autem hoc procedat in aliјs caſibus dic vt ſup. de controuerſia inueſtituræ, in fin. per Alua. in c. ij. §. ſimiliter. de lege Cor. & vide ibi dicta. Probat etiam textus iſte, quòd vaſallo non poteſt adſcribi contumacia, niſi conſtet de legitima monitione ſeu vocatione. Et ex hoc infert Bal. quòd quando aliquis allegat aliquem monitum, vel requiſitum, debet illud probare: quia nemo præſumitur citatus, niſi probetur, vt eſt textus notabilis hîc. Nota gloſ. quæ quærit, qualiter fiat iſta vocatio, ad hoc, vt intelligatur legitimè facta, prout vult textus, & glo. reſpondet pluribus modis, ſed vltra gloſ. ponit Bald. modum, quòd ſufficit mitti proclama generale per terras, & loca ipſius domini requirẽtis. l. ſi eo tempore. C. de remiſſione pignoris. Licet dicat Alua. quòd iſte textus videtur velle ſpecialem vocationem: ſed tu dicas, quòd iſte textus non facit mentionem de ſpeciali vocatione, ſed ſolùm dicit de vocatione legitima. Adducit tamẽ textum pro Bal. in c. j. de noua for. fide. ibi, ſpecialiter vel generaliter. Et nota gloſ. notabilem, quæ vult, quòd iſte textus habeat locum etiam in feudo nouo & in antiquo, ſiue ſuperſint agnati, ſiue non: quia iſtud delictum inobedientiæ reſpicit perſoñam domini, & non ſolùm ipſum dominum,

ſed Imperatorem & totum imperium. Et nota ſecundum Dd. per regulam l. plerumque. in fin. ff. de iur. do. quod eſt in electione vaſalli vel ire, vel ſoluere, vel mittere alium aquè idoneum & acceptabilem domino.

DE PROHIBITA ALIENatione feudi per Friderichum.

TITVLVS LV.

Imperator hic ſtatuit hanc legem, quæ non ſolùm concernit alienationes præteritas, ſed etiam futuras: & iſta lex fuit poſita poſt titulum præcedentem, quia illa lex fuit eiuſdem Imperatoris Federici.

Imperialem.

Allegatur textus iſte. quòd Imperator Federicus ſolicitus circa vtilitatem imperij & ſubditorum, habita diligenti deliberatione, prohibet alienationes feudorum ſiue in totum, ſiue in partem abſque voluntate dominorum, ſiue fiant titulo venditionis, ſiue pignorationis, ſiue relicti pro anima ſeu alterius cuiuſlibet alienationis. Inſuper reuocat omnes alienationes, quæ in præteritum factæ fuiſſent, nō obſtante aliqua præſcriptione, remanente actione ad precium emptori bonæfidei. Et dum dicit textus de præſcriptione, intellige longi temporis, non autem intelligas de longiſſima: quia per eam tollitur omnis actio ſecundum glo. de qua vidimus ſup. de capit. Corra. §. præterea. Hoc etiam videtur ſentire gl. hic, ſi rectè ponderetur. Habes ergo ex hoc textu

regu-

regulam, quòd omnis alienatio ſeu diſtractio ſuper feudis in totum vel in partē eſt interdicta vaſallis abſque voluntate dominorum, de quo etiam ſup. de vaſallo, qui contra.conſtit.Lotha.c.j.& ſup.qualiter olim feudum poterat alienari.in princ. Et idem eſt etiam de pignoris obligatione, quæ eſt interdicta in totum ſiue pro parte: quod intellige, quando ex dicta pignoratione transfertur poſſeſſio rei in creditorem: ſecùs autem ſi fieret ſimplex feudalis pignoratio ſeu hypothecatio abſque traditione poſſeſſionis, de quo dictum eſt ſup. de capit. Corra.§. præterea. Et quia Aluarot. hîc allegat textum, qui ſolet reputari ſingularis, in l. qui habebat. ff.de leg.iij. vide tu quæ dixi in alphabeto, in verbo, Pignus. Habes etiam ex hoc textu, quòd ſolus bonæfidei emptor repetit precium à vaſallo vendente, cùm feudum fuerit reuerſum ad dominum, non autem malefidei.argu.l. cùm Prætor.ff. de iudi. Tangunt hîc gloſ. & Doctores, an dominus poſſit pignori obligare ſuam proprietatem, quam habet in feudo abſque voluntate vaſalli? Et videtur communiter concludi quòd poſſit, quia cùm hoc non reperiatur cautum iure feudorum, remanet hoc in diſpoſitione iuris communis.c. j. ſup.de feud.cognit. Sed de iure communi hoc eſt cautum.l. ij. C. de vſufruct. Limita tamen hoc, niſi ipſe dominus pignoraret ius ſuum pro tanto precio, quòd non eſſet ſpes luitionis: quia tunc eſſet idem quod in alienatione.l. qui habebat. in princip. ff. de leg. iij. Nota

etiam hîc glo.quòd ſi vaſallus alienauit feudum ſine voluntate domini, ſed poſtea recuperauit, non propter hoc euitat pœnam, de quo ſup. in c. j. in prin. quid iuris ſit ſi poſt alie.&c. Tangit etiam glo. quòd ſi vaſallus, qui non habet deſcẽdentes vel agnatos aliquos, in ſuo teſtamento diſpoſuit de re feudali, ipſum feudum legãdo perſonæ prorſus extraneæ, an dominus teneatur inueſtire talem legatarium vel hæredem? Et determinat quòd non, quia vaſallus nullam habet facultatem diſponendi de feudo in teſtamento: ſed iſto caſu feudum reuertetur ad dominum. Quærit etiam gl. an vaſallus poſſit abſq; pœna ius ſuum feudale dare in dotem pro filia ſua? Et concludit quòd nõ: & de hoc vide quæ dicta ſunt in ver. donare. ſup. quali. olim feu. pot. alie. Quærit etiã gl. an vaſallus poſſit abſque voluntate domini ſui ius ſuũ feudale dare alteri in emphyteoſim perpetuam? Et tenet quòd nõ, quia eſt alienatio. Et addit etiã Bal. ſi eſſet appoſitũ pactum, quòd ex tali contractu non tranſiret vtile dominium, quia hoc videretur eſſe factũ in fraudem legis. Quærit etiã glo. quid ſi dominus dedit licentiã, vt poſſit vendere Titio amico ſuo, an poterit vendere alteri? Et concludit quòd non, quia fines mandati ſunt diligenter cuſtodiendi. l. diligenter. ff. man. Et cùm ſit conceſſum vni, videtur prohibitum alteri. l. cùm Prætor. ff. de iudi. Eſt ergo tutius ſecundum Docto. impetrare ſimpliciter licentiam vendendi, non limitando ſe ad aliquam perſonam, quia tunc poſſet vendere quibuſcunque. Quærit

etiam

etiam gl. an vaſallus vendens feudum malæ fidei emptori poſſit retinere precium, poſtquam dictus emptor illud repetere non poteſt? Et reſpondet quòd non, ſed applicabitur fiſco. l. Lucius. ff. de iur. fiſ. Licet Bald. velit, quòd remaneat precium apud eum, cui ſolutū eſt. Nec poterit emptor malæ fidei ſecundum gloſ. repetere precium, licet ſit ſtipulatus de euictione. Et ſic habes limitationem l. ſi fundum. C. de euict. quia loquitur de re aliena, in qua nō eſt prohibitio alienationis, quæ ſui natura eſt alienabilis. Nos autem loquimur de re expreſſè prohibita alienari, in qua emptor malæ fidei plus peccauit, de quo vide per Dd in d. l. ſi fundum. quia glo. tenet cōtrarium in l. quemadmodū. C. de agri. & cen. lib. xj. Quærit etiam glo. quid ſi emi bona fide feudum à vaſallo, & conueni cum vaſallo ſpecialiter, vt non agam de euictione, an tunc potero repetere precium? Et reſpondet quòd ſic l. ex empto. in fin. ff. de acti. empt. de quo vide per glo. & Docto. in l. ſi familiæ. C. fami. erciſ. Et ſi emptor bonæ fidei ſecundum glo. non vult repetere precium, ſed vult agere ad intereſſe, poteſt. l. empti actio. C. de euict. Et intentabit actionem ex eo contractu. l. ex empto. § ſi is qui vina. ff. de acti. empti. Quia quantum ad præiudicium ipſius vendentis, contractus cenſetur aliquis, licet ſit nullus, quantum ad tranſlationem rei. Limita tamen illud quod dicitur in textu iſto, quòd alienatio feudi non valet, non conſentiente domino, vt non procedit quando alienatur inter proximos agna-

 tos,

tos, ad quos eſt reuerſurum: quia non eſt propria alienatio, ſed refutatio. c. j. de aliena. feud. pat. Limita ſecundò, niſi ab initio fuiſſet conceſſum feudum, eo pacto, vt poſſit alienari. c. j. ſup. de feud. non ha. propriam naturam feud. Limita tertiò, niſi vaſallus infeudaret alteri, quia poteſt. c. j. ſup. qualiter olim feudum poterat alienari. Limita quartò, niſi vaſallus pignoraret ius ſuum domino: quia tunc non cadit in pœnam, quia iam adeſt cõſenſus ipſius domini, ſecundum Docto. c. j. de feud. Et dominus lucrabitur fructus. c. conqueſtus. de vſu. Sed quæritur, quid ſi ſunt plures domini, & vnus pignorauit vni ſine volũtate aliorũ? Et hoc poterit facere vaſallus ſecundũ Bald. ſi feudum eſt indiuiduum, ſecùs ſi diuiduum: quia non poterit pro parte aliorum. Nec poteſt vaſallus concedere vſumfructum in re feudali, conſtitituendo alium vſumfructuarium ſecundum Docto. l. fina. C. de re alie. non alienand. ſed bene poſſit vendere fructus totius temporis, quo apud eum erit res feudalis, quia prohibitus vendere, non prohibetur de fructibus diſponere. Quæritur etiam per Docto. Vaſallus habuit licentiam vendendi feudum, an poſſit etiam virtute licentiæ vendere partem? Et reſpondetur quòd non: item ſi eſt conceſſa licentia Titio, non videtur conceſſa filijs: item ſi eſt conceſſa licentia vendendi, non poterit pignori obligare: & hoc de rigore ſecundum Docto. qui ſolet multum ſeruari in contractibus, licet de æquitate videretur contrarium. Et tu

adde

addde textum ſingularem in l. ſi pupillorum. §. ſi Prætor. ff. de re. eo. Vbi ſi eſt interpoſitum decretum, quòd bona pupilli poßint vendi, non poterint pignori obligari. Et cùm vterque caſus ſit prohibitus, ſi eſt licentia data in vno, videtur remanere prohibitio in alio. l. cùm Prætor. ff. de iudi. Sed quid, ſi infeudauit tibi feudum, & tu infeudaſti Titio, & Titius vult vendere, quæritur cuius domini requiritur conſenſus, mei prioris domini, an tui? Et conclude ſecũdum Doctores, quòd conſenſus mei prioris domini, & vide quæ dicuntur in. §. illud. inf. eod. Quæritur etiam, an per licentiam datam per dominum de vendendo, inducatur præiudicium domino in iuribus ſuis vaſalligijs, quæ habet in dicto feudo? Et dicas ſecundum Doctores quòd non, quia fuit cogitatum ſolùm de venditione iuris vtilis ipſius vaſalli: vnde non debemus extendere ad iura domini, & ſine aliqua reſeruatione remanet ſaluum ius ipſius domini. l. ſi pupilli. §. j. ff. de nego. geſt. Et ſufficit ſecundum Dd. ſiue præcedat cõſenſus alienationis, ſiue ſubſequatur. Et ſi vaſallus vendidit ſaluo iure domini & filiorum & agnatorum, & procedit ad traditionẽ, iſta verba nihil releuant, niſi diceretur, Nec aliter nec alio modo. Bald. in. §. ſi. ſup. quæ fuit pri. cau. ben. amitten. Quæritur etiam, quid ſi vaſallus vendat & transferat ſub cõditione, ſi poteſt hoc facere de iure ſine amißione iuris & precij, an iſto modo incurrat periculum iſtius legis? Et dico quòd non, quod limitat Bal. niſi

quando captio domini poſſit interuenire per corporalem traditionem, puta caſtri, quòd vix dominus poſſet recuperare, quia dolus eſt in traditione, qui debet purgari per amiſſionem feudi. l. eleganter. in prin. ff. de dol. Et ita dicit ſe conſuluiſſe, de quo per Bald. in. §. quoque. ſup. de ſuc. feu. Et nota, quòd textus iſte intelligitur in pignore voluntario: ſecùs ſi ſit ex neceſſitate, vt quia capitur feudum in cauſam iudicati. arg. l. alienationis. ff. fami. erciſ. quando vaſallus nihil aliud habet, & ille in quem feudum peruenit ex dicta cauſa poterit retinere, donec viuat vaſallus, de quo per Bald. in l. etiam. C. de exe. re. iu. per Barto. in l. ſi finita. §. ſi de vectigalibus. ff. de dam. infect. Nec poteſt vaſallus permutare ſine voluntate domini ſecundum Docto. quia ſub verbo alienationis continetur. Nec poteſt dare in ſolutum per iſtum textum. Sed quid, ſi vaſallus locauit vſque ad centum annos, an videatur alienaſſe, ita quòd incidit in pœnam? Dicit Bald. quòd non: ſed tamen non tenet locatio. ſup. qui feud. dare poſſ. in princ. per Bald. Si tamen eſſet facta in fraudem, induceret priuationem ſecundum Aluaro.

§. Callidis.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus fraudem committens circa alienationem feudi, priuatur ipſo feudo, & ad dominum liberè reuertitur. In iſto textu fit mentio de fraude, vide quæ dixi latè in alphabeto, in verbo, Fraus. Et nota etiam, quòd hîc eſt ſtatuta certa pœna facien-

facientibus fraudem, tum quia annullatur actus, tum quia contrahentes puniuntur in amiſſione rei: quia et iã annullatio actus eſt pœna, de quo vide multa in alphabeto, in verbo, Annullatio. Et probat textus iſte, quòd licet vaſallus non poſſit alienare abſque domini voluntate, poteſt tamen infeudare, dummodò fiat ſine fraude, vt hîc, & c. beneficium. ſup. ſi de feu. fuerit contro. quæ fraus intelligitur quando interuenit precium quoquo modo. Nota gloſ. hîc, quæ quærit, an vaſallus poſſit renuntiare feudo inuito domino? Et concludit, quòd ſi feudum eſt datum ſimpliciter abſque præſtatione alicuius ſeruitij, & tunc poteſt: ſecùs ſi eſt cõditionatum, vt quia eſt datum ad certum ſeruitium, de quo per glo. & Dd. in c. fin. de capita. qui cu. ven. Nota etiam gloſ. quæ quærit, an vaſallus vendens feudum ſine voluntate domini, amittat dominiũ ipſo iure, an requiratur ſententia? Et reſpondet, quòd, quantum ad vaſallũ, non requiritur aliqua ſententia, ſed quantũ ad bonæ fidei emptorem requiritur. Et ſic dominus non poterit propria auctoritate apprehendere poſſeſſionẽ. Et nota ſecundũ glo. & Dd. quòd ſi nos loquimur de amiſſione feudi per alienationem, non requiritur ſententia: quia ipſo iure eſt priuatus, & eſt aperta via domino: ſecùs autem de amiſſione feudi, quæ fit per feloniam ſeu delictũ vaſalli: quia tunc requiritur ſententia. Et eſt ratio, quia qui alienat & tradit, ſe facit penitùs alienũ à feudo, quia illud eſt habere feudum pro derelicto in iure. Ergo ius

& poſſeßio perditur. argu. l. fina. ff. pro dere. ſecundum Bald. Et quia dicitur in textu, quòd feudum reuertitur ad dominum, intellige vel in feudo nouo, vel ſi vis in antiquo intelligere, debemus præſupponere, quòd hîc nulli extabant agnati ipſius vaſalli. ſup. de ſucceß. feud. §. hoc quoque.

§.Scriba.

Allegatur textus iſte, quòd Notarius *ſcribens inſtrumentum de alienatione feudi illicitè facta, punitur in amißione officij & manus cum infamia. Et ſic punitur* Notarius, *qui ſcribit inſtrumentum de contractu prohibito. quod facit ſecundum Bald. contra* Notarios, *ſcribentes inſtrumenta ſciẽter cõfecta in fraudẽ vſurarum, quia debent remoueri ab officio tabellionatus cum infamia, & pro vno & eodem delicto punitur hîc quis triplici pœna. Et nota, quòd iſte textus non procederet in* Notario *minore xxv annis, vt ſibi amputetur manus: quia verè iſtud inſtrumentum non eſt falſum, ſed temerarium ſecundum Aluarot. allegantem Bald. qui tamen hoc non dicit. Et de æquitate placet ipſi Aluarot. licet de rigore poſſet dici contrarium ſecundum eum.* Nota *etiam ſecundum Docto. quòd iſte textus intelligitur de manu dextra, quia cum illa fecit inſtrumentum, vt puniatur in eo, in quo deliquit, & vt non poßit ampliùs facere ſimilia. Sed iſta ratio non placet Aluaro. Dicit enim, quòd eſt priuatus officio tabellionatus, & ſic omninò non poteſt ampliùs ſcribere tanquam*

quam Notarius, ſed poteſt dici, quòd poteſt reſtitui per Principem ad illud officium, & iterum poßit ſimilia attentare. Et ſic habes limitationem ad notata in authenti. ſed nouo iure. C. de ſer. fugiti. vbi punitur quis in manu minus potenti, quia ibi loquitur in delicto, quod poteſt ita committi per manum ſiniſtram, ſicut per dextram, vt in furto. & eſt pulchra limitatio ad illam authent. Et idem poßumus dicere in percutiente, quia non ita bene quis percutit cum ſiniſtra ſicut cũ dextra, & prædicta videntur ꝓcedere in illo, qui vtitur dextra, prout eſt de lege Cor. ſecus in illis, qui vtuntur in ſcribendo & alijs ſiniſtra tanquam dextra, & plus poßunt cum ſiniſtra, quàm cum dextra.

§. Præterea ſi quis.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus minor quatuordecim annis ſuccedens in feudo, non petierit inueſtituram à domino vel ab hærede domini per negligentiam infra annum & diem, amittit feudum. Et ſic habes hîc, quòd vaſallus debet petere renouationem inueſtituræ, & fidelitatem polliceri infra tempus limitatum ex conſuetudine feudorum: quòd ſi non fecerit, amittit feudum. & hoc procedit in vaſallo maiore quatuordecim annis: quoniam infra illam ætatem non currit ſibi tempus, de quo in c. de minori. ſup. ſi de feudo fuerit controuerſia. intellige tamen, niſi quis impediretur ex iuſta cauſa ad petendum renouationem inueſtituræ, de quo in c. j. ſup. quo tempore miles. Nota ſecun-

ſecundum gloſ. & Dd. quòd ſi iſte vaſallus maior quatuordecim annis eſſet minor vigintiquinque annis, & non petierit inueſtituram ſecundum formam hîc traditam, erit tamen reſtituendus tanquam læſus, & ita communiter tenetur: videtur tamẽ ex hoc ſequi vnum inconueniens valde magnum, cùm minor poſſit reſtitui vſque ad ætatem viginti nouem annorum, et ſic dominus ſuus ſtabit in ſuſpenſo per totum dictum tempus, vt non poſſit effectualiter arctare iſtũ minorem vaſallum ad ſuſcipiendum renouationem inueſtituræ, quod videtur eſſe contra mentem iſtius textus: ſed reſpondetur, quòd dominus poteſt conſtituere iſtum minorem in vera contumacia per monitionem Parium vel alio modo, prout fieri poteſt de iure, ſi nõ habet Pares, quia tunc eſſet in dolo, & nõ reſtitueretur amplius. l. ſi ex cauſa. §. ſi in commiſſum. ff. de mino. Et ſecundũ Dd. ſi pubes habet curatorẽ, & permittit labi tempus, non tamen hoc nocet puberi per ea quæ habentur in l. ſi curatorem. C. de in integ. reſti. mino. Nota etiam ſecundum Dd. quòd iſte textus, licet videatur loqui in maſculo, tamen procedit etiã in fœmina, quæ ſuccedit in feudo. Dicunt tamen Dd. quòd non incipit ſibi currere tempus, niſi poſt quatuordecim annos: quia iſte textus limitauit iſtam ætatem, licet ſit aliud de iure communi. Inſtitu. quibus modis tutela finitur. in princ.

§. Firmiter.

Allegatur textus iſte, quòd ſi vaſallus legitimè vocatus non

tus non venit cum domino in exercitu, vel non miſerit alium loco ſui, qui ſit acceptus domino, vel non ſoluerit dimidiam partem redditus feudi vnius anni, amittit ipſum feudum, quod reuertitur ad dominum. Habes ex hoc textu, quod debet dari vaſallo competens ſpacium ad iter arripiendum in aſſociando dominum ſuum in exercitu: quod intellige habita conſideratione qualitatis perſonæ. l. continuus. §. cùm ita. ff. de verborum obli. & etiam itineris qualitate. l. j. et ij. ff. ſi quis cautio. attenta via recta non per circuitus, niſi ex cauſa neceſſaria. l. non ſolùm. ff. de excuſ. tuto. dabitur quoque dicto vaſallo aliud ſpacium præambulum ad prædictum iter, infra quod poſſit ſibi parare neceſſaria pro viatico & alijs ſuis opportunis: & ſecundum Dd. iſtud ſpaciũ erit in arbitrio boni viri. Probat etiam textus iſte expreſſè, quòd vaſallus poteſt ſeruire domino per ſubſtitutum, dummodò ſit æquè idoneus, qui ſit acceptabilis domino, & de hac materia ſup. ſi de feu. fue. contro. §. ſi quis deceſſerit. & ſi vaſallus miſit loco ſui perſonam non æquè idoneam, neque acceptabilem domino, ſed tamen dominus acceptauit, an intelligatur vaſallus ſatisfeciſſe? Et dicit Bal. quòd ſic, etiamſi iſte dominus fuiſſet Prælatus eccleſiæ, quia factum Prælati præiudicare poteſt Eccleſiæ in acquirendis, dummodò ſecundum ipſum non vertatur magnum præiudicium eccleſiæ: & ſi vaſallus eligat mittere alium, debet mittere perſonã idoneam, quæ ſit apta acceptari per dominum, vt hic. & in cognoſcen-

gnoſcendo iſtud vir bonus arbitrabitur, & in arbitrando non debet eſſe nimium delicatus, neq; nimium oneroſus. ſed tenere medium. l. cōtinuus. in prin. ff. de verbo. obliga. ſi autem vaſallus ſit nobilis & celebris, qui ſi iret perſonaliter, iret multum aſſociatus, ſed vult mittere vnum ſubſtitutum loco ſui, qui non ſit iturus ita aſſociatus, an dominus poſſit recuſare? & dicas quòd ſic, quia non eſt æquè idoneus, niſi ille eſſet ducturus tot ſecum, prout dominus erat ducturus. Idem dicas. ſi vaſallus erat multùm induſtrioſus in conſilijs dandis, & dominus diceret, Volo tuā induſtriam, quia longa eſt differentia inter artifices. l. inter. ff. de ſolu. ſecundum Dd. Sed tamen obuiandum eſt malitiæ domini. l. in fundo. §. conſtituimus. ff. de rei vendica. quia forte ex pecunia, quam ſoluit vaſallus, dominus poſſet reperire ita ſtrenuum, & ſapientem ſicut ipſe eſt. Et circa ea quæ dicuntur in hoc textu, electio eſt vaſalli. l. plerumque. in fin. ff. de iure dot.

§. Præterea Ducatus.

Allegatur textus iſte, quòd feuda Ducatus, Marchiæ & Comitatus non ſunt diuiſibilia, alia verò feuda ſic: quo caſu omnes vaſalli, ad quos portio feudi ex diuiſione peruenit, iurare debent domino fidelitatem, non tamen compellitur vaſallus ex facto domini recognoſcere plures dominos: quinimò nō poteſt dominus transferre ius ſuum in alium ſine voluntate vaſallorum. Et

ſic ha-

ſic habes hîc, quòd feuda dignitatum & principatuum regalium non diuiduntur. Et adde gloſ. in c. ſi haredes. de teſta. & ratio eſt, quia debent ſtare vnita & nō diuiſa, ne per diuiſionem diminuantur, & deducantur ad deſtructionem, de quo per glo. in c. licet. de vo. Hoc tamen limita, niſi hoc fieret ex ſpeciali priuilegio Principis, vel ex conſuetudiee inducta ſcientibus Imperatoribus, ita quòd ex certa ſcientia Imperatorum diuidantur. Et licet ſint indiuiſibilia reſpectu iuriſdictionis & dignitatis, tamen poſſunt Dux, Marchio, vel Comes alteri infeudare ſecundum Dd. de quo per Bald. in authenti. hoc amplius. C. de fideicom. Vbi plura dicit in materia. Feuda autem inferiora, quæ non habent annexam dignitatem & principatum, ſunt diuiſibilia: & ſic talia feuda poſſunt diuidi ſine licentia dominorum, & ſine periculo, de quo ſup. de natura ſucceſsionis feud. c. j. Probat etiam textus iſte, quòd non poteſt dominus ius, quod habet, transferre in alium extraneū ſine voluntate vaſalli, nec in totū, nec in partē, vt nō cogatur habere plures dominos reſpectu eiuſdem feudi. ſup. quo tempore miles. c. ij. Et ratio eſt, quia per contrarium non poteſt vaſallus ſuum ius transferre in alium ſine voluntate domini, & debent ad paria iudicari dominus & vaſallus. c. j. de forma fideli. Intelligitur tamen textus iſte ſecundū gl. & Dd. quando ex mera voluntate & proprio motu vellet dominus cōſtituere alios dominos vaſallo, quia non poteſt, vt hîc: ſed

ex cau-

ex cauſa neceſſitatis compellitur vaſallus habere plures dominos, videlicet quãdo dominus moritur relictis pluribus hæredibus, quia tunc omnibus eſt præſtanda fidelitas per vaſallum, de quo per gl. in l. ſi cuius. §. ſed ſi plures. ff. de vſufruct. Poteſt tamen ex ſpeciali conſuetudine induci, quòd dominus transferat ius ſuum in alium ſine voluntate vaſalli ſecundum glo. & Dd. Sed quid, ſi aliquis eſt vaſallus alicuius Collegij ſeu Vniuerſitatis, dicas, quòd debet adiuuare Vniuerſitatem, non autem aliquam ſingularem perſonam. l. in tantùm. §. vniuerſitatis. ff. de re. diui. Debet tamen adiuuare adminiſtratorem, & debet ſe abſtinere ab offenſione adminiſtratoris, aliàs feudo priuaretur ſecundum Dd. Et ſufficit etiam denuntiare adminiſtratori ad excuſationem ſui, vt inueſtiatur. l. municeps. ff. ad munici. Sed quid ſi Vniuerſitas habeat feudum, & aliqua ſingularis perſona de Vniuerſitate offendat dominũ: propter hoc Vniuerſitas non amittit feudum, priuatur tamen Vniuerſitas ex facto adminiſtratoris, quo caſu puniretur Vniuerſitas durante adminiſtratore, ſed eo remoto vel mortuo, redibit feudum ad Vniuerſitatem. §. fina. ſup. de capi. Corra. ſecundum Dd. hîc. Et cùm hîc excipiuntur iuriſdictiones, Marchionatus, Ducatus & Comitatus, videntur omnia alia includi. l. cùm Prætor. ff. de iudi. ergo videtur quòd iuriſdictiones poſſint diuidi: fiat autem diuiſio ſic ſecundum Dd. vel per iudicationẽ, vel alternis annis: vel etiam per diuiſionem territorij et regionis,

gionis, cautionibus interpoſitis, de nõ impediendo adinuicem. l. commun. diuidundo. §. ſi duo. ff. commu. diui. Et licet ſecundum Bald. ipſa ſubſtantia iuriſdictionis non poſſit diuidi, quia eſt quid incorporale, in ſe tamen commoditas ipſius iuriſdictionis bene poteſt diuidi l. qui in aliena. §. fin. ff. de nego. geſt. & Bal. tenet contra Bar. in l. inter tutores. in fin. ff. de admi. tut. dum dixit: quòd ſi duo vaſalli diuidant feuda paterna & caſtra, & iuriſdictiones inter eos, & vnus delinquat in parte alterius, quòd non poteſt per ipſum puniri: quia iſta iuriſdictio adhuc eſt apud ambos inſolidum, & par in parem non habet imperium. Dicit Bald. quòd illud, quod dicit Barto. procederet in iuriſdictionibus Marchiæ & Ducatus, ſed in alijs inferioribus non, quia in iſtis cadit vera diuiſio iure adminiſtrationis. Quærunt Dd. quid ſi duo habent domum communem in feudum, & vnus ſolus illam inhabitauit altero abſente, an teneatur alteri ſoluere partem penſionis? & concluditur quòd non, quia habet ius in quolibet ceſpite terræ, & in qualibet parte domus pro indiuiſo, & ſic ſuo iure vſus eſt. l. merito. ff. pro ſoci. Facit quod notat gl. in l. Sabinus. ff. commu. diui. Quærunt etiam Dd. quòd ſi duo fratres Marchiones diuidunt bona ſua inter ſe hoc modo, quia ad vnum peruenit tota Marchia, ad alium bona omnia allodialia, an talis diuiſio teneat? Et cõcluditur quòd ſic, quia quoad Marchionatũ non eſt facta diuiſio. l. & puto. §. j. ff. fami. erciſcun. Quod tamen intellige, niſi talis

diuiſio eſſet facta in fraudem domini, vt quia totũ feudum deuenit ad illum, qui habebat filios, ſed bona alia ad illum, qui penitùs non habebat filios, neque ſperabat habere, & feudum erat nouum, ita quòd ad dominum portio ſua debebat reuerti: quia tunc talis diuiſio non teneret in praiudicium domini. arg. §. callidis. ſup. eo. Sed quid, ſi Marchioni ſeu Duci cõcedantur de nouo noua caſtra, an intelligantur eſſe de Marchia, vel Ducatu, vt habeant eandem naturam? & dicit Bald. quòd non. l. in agris. ff. de acqui. re. do. Quærunt etiam Dd. datum eſt feudum de nouo duobus pro indiuiſo, iſti poſtea diuidunt inter ſe ita quòd vnus habet duas partes, alter tertiam: ille, qui habet ſolùm tertiam, moritur, ita quòd portio ſua debet reuerti ad dominum, an dominus debeat habere ſolùm illam tertiam, an verò medietatem? Et concluditur, quòd medietatem, immò dominus poſſit incõtinenti reuocare quaſi cenſeatur alienatio vltra medietatem per iſtum textum.

§.Inſuper.

Allegatur textus iſte, quòd ſi filius aut domeſticus vaſalli offendat dominũ, debet deduci per ipſum vaſallũ ad ſatisfaciendum domino, vel eos à ſe ſeparet: ſi verò filius offendens recuſet facere, non ſuccedet in dicto feudo poſt mortem vaſalli, & ſic vaſallus tenetur deducere filium ſuum, vel domeſticũ delinquentis ad ſatisfaciendum domino pro dicta offenſa, vel eos à ſe ſeparare. Et

ratio

vatio eſt, quia vaſallus tenetur adiuuare dominum contra filios & fratres ante delictum commiſſum & offenſam. ſup. hîc finitur lex. in fin. Vnde ſimiliter poſt delictum commiſſum eos debet deducere ad ſatisfaciendum domino, vel à ſe ſeparare. Si tamen pater non ſeparet, quia ſecum non habitaret, non incideret in pœnam, ſed filius nolens ſatisfacere non ſuccedat in feudo. Et ſic nota, quòd ſi vaſallus delinquat in dominũ tempore quo tenet feudum, amittit illud: ſi verò antequam ad feudum vocetur, poteſt per ſatisfactionem ſubmouere obſtaculum ſui delicti, vt hîc, & c. ij. ſup. de capita. qui Curiam ven. Quærit gloſ. dominus promiſit mihi feudum, ego verò poſt dictam promiſſionem & conceſſionem feudi, ſed antequam haberem inueſtituram de dicto feudo, commiſi feloniam aduerſus ipſum dominum: poſtea peto inueſtituram de dicto feudo, dominus verò recuſat facere propter dictam feloniam commiſſam: ego verò nego me dictam feloniam commiſiſſe, vel etiam confiteor, ſed dico, quòd priùs debeo inueſtiri, quàm cognoſci de dicta ſelonia. Et in hac quæſtione breuiter conclude ſecundum Dd. quòd ſi vaſallus agat, vt inueſtiatur, quia promiſſum eſt ei feudum, proponet dominus exceptionem, quia culpauit. Et hoc intellige, quando conſtat de felonia commiſſa, vt quando confitetur vaſallus, vel ſi negat, dominus vult incontinenti probare, quia tunc nõ cogitur dominus inueſtituram facere: ſed ſi iſta probatio feloniæ requireret altiorem indaginem, tunc iſte vaſallus deberet inueſtiri. Et

nota vnum pulchrum dictum Bal.ſuper gl.quòd ſi eſſet felonia cõmiſſa alienando, vel eſſet alia felonia, in quæ eſſet appoſitũ pactum, quòd vaſallus caderet à feudo ipſo iure, ſi eam cõmitteret, tunc tale præiudicium tranſiret in hæredem etiam querela non præparata, quod eſt notabile. Nota glo. quæ quærit, quòd ſi vaſallus habens feudum antiquum, commiſit delictum erga dominum, ex quo cadebat à feudo, ſed dominus ſibi remiſit dictam iniuriam, et reſeruauit ſibi feudum, poſtea moritur vaſallus, agnati volunt ſuccedere in dicto feudo tanquam antiquo: dominus dicit, quòd fuit effectum nouum per dictam reſeruationem, ex quo ad ipſum ſpectat, quæritur, an cenſeatur antiquum vel nouum? Et reſpondet glo. quòd antiquum, & ſic agnati debent admitti. Sed de hoc vide dicta in c. j. ſup. de vaſallo decrep. æta. per Bar. in l. quod dicitur. §. pen. ff. de impen. Quærit etiam glo. quid ſi vaſallus delinquit contra dominum, ſed dominus in vita non eſt conqueſtus de vaſallo, an mortuo ipſo domino poterit hæres ſuus placitare cum dicto vaſallo, & conqueri de eo occaſione dicti feudi, et per conſequens auferre ſibi feudum? Et gloſ. quòd non, ſed vide dicta in. §. porrò. ſup. quæ ſit prima cauſa benefi. amit. & in. §. j. ſup. quib. mo. feu. amit. Et ſi quæratur de forma, qualiter deducat vaſallus prædictus offendentẽ domino ad ſatisfactionem, dicas, quòd duobus modis ſecundum Dd. Primus modus eſt, quòd offendens ponat ſe in manibus domini offenſi tanquam in arbitratorem,

qui

qui puniet eum ſicut iudex poſſet. Et ſi excederet modum in puniendo, poſſet reduci ad arbitrium boni viri per notata in l.pen.ff.de arbit. non poteſt tamen corporaliter punire. Secundus modus eſt, quòd vaſallus deducat offenſorem ad dominum, ſcilicet vt ſtet iuri, & per modũ iudiciarium cognoſcatur et vindicetur. Et textus iſte procedit, etiamſi iſte offendens eſſet filius emancipatus à patre ſecundũ Dd. Quæritur, an valeat pactum, quòd pater cadat à feudo propter delictum filij? Alua. allegat Bal. in l.j.C. de his quæ pœ. nomi. quòd non, quia eſt iniuſtum pactum. arg. l. pater. ff. de hæredi. inſti. Sed Alua. tenet contrarium, poſtquam pater ſe aſtrinxit in inueſtitura ad tale pactum et obligationem, per ea quæ habentur in. §. pen. & fin. ſup. quid ſit inueſt. nam cùm non videatur turpe, videtur eſſe iuſta cauſa beneficij amittendi. §. ſed nec alia. ſup. quæ fuit prima cau. benefi. amit. Et pro iſta opinione poteſt adduci, quod habetur in c. cùm homo. xxiij. q. v. quòd quis nõ poteſt ſe obligare pro alio ad pœnam corporalem, ergo ad aliam pœnam poteſt. & voluit Bald. in l. de quibus. ff. de legibus. vbi format quæſtionem de patre obligante ſe ad pœnam pro filio, quòd poteſt, niſi eſſet corporalis. Et nota ſecundum Bald. quòd per ſeparationem filij, de qua hìc, non perdit pater patriam poteſtatem. argu. l. abdicatio. C. de patria poteſt. Et nota, quòd ab iſtis domeſticis, de quibus in textu excipitur vxor ſecundum Bal. l. manifeſtiſſimi. §. ſi. C. de fur.

§.Illud quoque.

Allegatur textus iſte, quòd vaſallus offendens dominum domini ſui, priuatur feudo, et reuertitur ad dominum ſuum, à quo dictũ feudum recognoſcebat, niſi iſta offenſa fuiſſet facta per dictum vaſallum, ſeruiendo licitè alteri domino ſuo antiquiori, à quo aliud feudum tenebat: vel niſi de prædicta offenſa requiſitus ſatisfacere ſit paratus, ſed ſi dominus huius vaſalli offendentis idemq́ue vaſallus ſit requiſitus deducere iſtum offendentem, & non faciat, amittit feudum. Et ſic de iure nouiſſimo vaſallus poteſt alteri infeudare, quia hoc permittitur ab Imperatore, qui prohibuit alienationem feudorum, & ſecundum Dd. hoc etiam procedit in feudo eccleſiaſtico, de quo in c. ex tranſmiſſa. de foro cõpetenti. vbi per Anto. de But. quod tamẽ intelligas ſecundum gl. & Dd. dummodò infeudet ſincerè & ſine fraude, & coæquali perſonæ, et eiſdem modis, quibus ipſe habet. Probat etiã textus iſte, quòd vaſallus plurium dominorum eſt obligatus priori, etiam in offenſam cõtra poſteriores dominos, quia qui prior tẽpore, potior eſt in iure. facit quod habetur in l. in operis. ff. locati. Et quia dicitur in textu, quòd vaſallus offendens dominũ domini, debet amittere feudum: ſi tu velles ſcire rationẽ, dicas, quòd iſta eſt ſecundum Dd. quia ab eo mediatè & ſucceſſiuè habet cauſam, & tenet rem ſuã, & cauſa prima influit in vltimas ſecundum Bal. Et nota ſecundum glo. & Dd. quòd ſi primus vaſallus infeudauit alteri, & ille

ille alteri, et vltimus vaſallus alienat illicitè, primus dominus reuocat: quia eſt ille, qui habet dominium directum, quia requiritur eius licentia, de quo per Al. ſup. in prin. huius textus, in quæſtionibus. Et iſte textus loquitur, quando dominus primus offenditur per ingratitudinē delicti: quia tunc feudum nō refertur ad ipſum: ſecùs ſi per ingratitudinē cōtractus, ſcilicet alienationis: Et ratio eſt ſecundū Dd. quia cùm frequentiùs alienant vaſalli, quàm delinquant, meritò talis frequētia lienationis debuit habere ſpeciale ius. l. ſingularia. ff. ſi certū peta. Nota etiam gl. quòd vaſallus inueſtitus de feudo, in quo nō ſunt ſpecificati cōfines, neq; quantitas feudi, poteſt cōpellere dominum, vt oſtendat ſibi feudū, et quantum fines protendantur. Dicas tamē ſecundū Dd. quòd melius faciat vaſallus, quòd hoc declaretur tēpore inueſtituræ, & ponatur in inſtrumento: quia ſi poſt inueſtituram res deducatur in controuerſiam, poſſet dominus oſtendere modicū terræ, & dicere, Hoc eſt feudum tuū. Et videtur etiam concludi per Dd. quòd ſi dominus præcipit vaſallo, quòd det ſibi feudum per ſcripturam, quod tenetur oſtendere. Et nota ſecundum Dd. quidquid dicat gl. quòd ſi dominus conceſſit vaſallo feudum, vt omni anno recipiat decem de camera ſua, non poterit vaſallus compellere dominum, quòd deſignet tot poſſeſſiones, vt recipere poſſit omni anno dicta decem.

§. Præterea ſi inter.

Allegatur textus iſte, quòd dominus feudi eſt iudex

inter vaſallos ſuos ſimul litigantes de cauſa feudali: Pares verò Curiæ ſunt iudices, ſi cauſa feudalis vertatur inter dominũ & vaſallos ſuos. Dominus ergo eſt iudex inter vaſallos, vt hîc, & c. ex parte. de foro compe. quod intelligas verum, quando certum eſt iſtos litigantes eſſe vaſallos eiuſdem domini de alijs rebus non litigioſis, vt hîc. Eſt etiam in hoc textu alia regula, quòd Pares Curiæ iudices ſunt competentes ſuper controuerſijs, quæ mouentur inter dominum & vaſallum occaſione feudi, vt hîc, & ſup. de alienatione feu. pat. §. j. & ſup. de controuerſia feudi apud Pares terminandâ. Habes etiam ex hoc textu, quòd qui fidelitatem domino nõ iurat, nõ eſt reputandus pro Pari: quod intellige verum, domino vel vaſallo diſſentiente, de quo in c. j. ſup. de controuerſia feudi apud Pares terminanda. in fin. Et limita iſtum textum ſecundum gl. quòd ſi contentio eſt inter duos vaſallos, quorum vnus dicat feudũ eſſe nouum, & ſe inueſtitum à domino: alter verò dicat feudum eſſe antiquum, & dicit ad ſe expectare tanquam ad agnatum: quo caſu dominus non poteſt eſſe iudex, cùm cauſa videatur ad ipſum ſpectare, ex eo quia teneretur de euictione illi, quem inueſtiuit tanquam de feudo nouo: nec etiam poteſt eſſe iudex cum Curia propter ſuſpicionem, de quo in c. j. ſup. an apud iudicem. Nota etiam gloſ. quæ quærit, quid ſi dominus nolit eſſe iudex inter duos vaſallos litigantes ſecundum formã huius. §. quia ponit duo remedia. Primum eſt, quòd faciat cogi dominum

num per ſuperiorẽ. Secundum remedium eſt, quòd conueniat aduerſariũ ſuum coram ordinario ipſius rei per regulam quæ eſt, quòd actor ſequitur forum rei. Nota etiam gl. quæ quærit, an vaſalli ſimul litigantes poßint prorogare iuriſdictionem alterius iudicis in cauſa feudali, ita quòd ſententia lata teneat? Et conclude, quòd talis prorogatio facta, domino prohibente vel ignorante, non tenet: & idem, ſi prohibere voluit, & non potuit, de quo per Bar. in l.j.§.poſt operis.ff.de operis noui nuntiatione. & ſi ex tali prorogatione iudex incepiſſet cognoſcere ignorante domino, tunc dominus poterit præcipere vaſallis ſub debito fidelitatis, ne procedant amplius coram ipſo iudice ſecundum Docto. nec obſtat. l. vbi acceptũ. ff. de iudi. quia illa nõ procedit vbi ſit præiudicium iuriſdictioni alterius iudicis. Nota etiã glo. quæ quærit, in quo loco debeat ſtare dominus ad cognoſcendum inter ſuos vaſallos: quæ reſpondet, quòd vbi voluerit, ſeruata honeſtate ſua & maiorum ſuorum. l. penul. ff. de iuſtitia & iure. Et intellige gloſ. ſecundum Docto. quòd dominus poteſt eligere iudicare, vbi vult quando haberet plura loca, vbi maiores ſui ſunt ſoliti iudicare: ſecùs autem vbi haberet ſolùm vnum locum, in quo iudicare ſolitum eſt, quia tunc non poſſet eligere alium, vt in d. l. penul. & ſi alibi iudicaret, eſſet nullum ipſo iure. Bal. in d. l. penulti. quod limitatur, niſi partes eſſent cõtentæ prorogando de loco ad locum. l. quæro. ff. de ſolutionibus. Secundò limitatur, niſi dominus non

poſſit ibi ſedere ex aliqua cauſa iuſta impeditus.arg.eorum quæ notantur l.j.C.de ſententijs ex periculo recitandis.Nota etiam gloſ. quæ quærit, qualiter Pares debeant eligi,qui cognoſcere debeant de cõtrouerſia inter dominũ & vaſallum? Et reſpondet quòd debent eligi de cõmuni conſenſu domini & vaſalli, & ſi diſcordant in eligendo,tunc dominus eligat vnũ vel duos, vel quot ſibi placuerit:quo facto,poſtea vaſallus eliget totidẽ.Nota etiã gl.quòd ſi dominus nõ habet Pares in ſua Curia, tunc iudex ordinarius rei, qui cõuenitur, erit iudex per regulã,quòd actor ſequitur forũ rei.Nota etiam gl.quæ quærit, in quo loco debeant ſedere Pares cognoſcẽtes de cauſa,quæ eſt inter dominũ & vaſallum: & pro intelligentia facies aliquos caſus. Primus eſt,quòd ſi de cõmuni cõſenſu actum eſt inter partes de loco, ille erit locus. Secundus caſus eſt,quòd ſi hoc nõ fuit actum, tunc Pares poſſunt ſibi eligere locum, dummodò ſit habilis litigantibus & honeſtus. Tertius caſus eſt,ſi Pares nõ poſſunt eligere propter diſcordiam eorũ, tunc erit locus ille, in quo dominus ſolebat iudicare inter Pares ſuos.l. pen.ff.de iuſti.& iure. dummodò ſit ſecurus litigantibus. Quartus caſus,ſi dominus non habet locum, tunc debet eligi ille locus, in quo ſolitũ ſit iudicari.l.ſi locus. ff. de iudi. dummodò ſit ſine incommodo litigantium. Quintus caſus eſt,quòd ſi talis locus non eſſet habilis litigantibus, tunc dominus tanquam maior & honorabilior eliget locum, dummodò eligat locum conuenientem:

tem:& ſi oriretur dubitatio, an ſit locus conueniens vel non, tunc haberetur recurſus ad arbitrium boni viri.l. continuus.§. cùm ita.ff. de verbo. obli. Et arbitri iuris, qui ſuccedunt in iuriſdictione iudicis ordinarij, recuſati ſecundum Bald. poſſunt ſibi eligere locum idoneum & habilem.l.ſi locus.ff.de iudi. Quaritur, quid ſi dominus agat coram Paribus cõtra vaſallum rei vendicatione, dicit eum cecidiſſe à feudo: iſte verò vaſallus nominat alium dominũ in iudicio, an iſte nominatus debeat cognoſcere? Bal.quòd nõ, quia dicitur reus.l.ij.C.vbi in rem actio. ergo non poteſt eſſe iudex.l.j.C.ne quis in ſua cauſa. Nota etiam, quòd Pares debent eſſe de eadem prouincia, quia eſſet incongruum ſecundum Bald.quòd deberent vagari extra ſuam prouinciam pro iudicando, niſi forte in ea prouincia non reperirentur Pares, quia tunc ſumerentur de locis vicinis.arg.l.iiij.§.ſi tam vicinum.ff.de dam.infect. Nota & ſecundum Bald. quòd ſi aliquis agat cõtra dominum, et dicit ſe vaſallum ipſius, & petit ſe inueſtiri de certo feudo, dominus verò negat, Pares erunt iudices ratione huius dubitationis.arg.l.ſi quis ex aliena.ff.de iudi. Et nota ſecundum Dd.quòd in cauſa feudali eſt ſeruandus ordo iuris: nam vbi deficit vſus feudorum, recurrimus ad legem ſcriptam.c.j. de feudi cognitione.

§.Illud.

Allegatur tex.iſte, quòd in omni ſacramento fidelitatis ſemper habetur memoria Imperatoris, quia ſemper exci-

excipitur non nominatim perſona Imperatoris: & eodem modo intelligas, quòd ſemper & perſona & auctoritas Papæ intelligitur excepta, etiamſi non nominatim exciperetur. c. venientes. de iureiuran. gloſ. in c. conſtitutus. de reſcrip. Et nota, quidquid dicat glo. hîc, quòd dominus nõ iurat vaſallo: ſed bene verum eſt, quòd intantùm tenetur dominus vaſallo ſine ſacramẽto, quantum vaſallus domino cum ſacramento, de quo vide in c. j. de forma fideli. in fin. nec debet vaſallus iurans excipere ſeipſum, quia in generali ſermone non continetur perſona loquentis ſecundum glo. & Dd. & ſi ille, cui iuratur, & iurans ſint ſub eodem Rege, debet excipi perſona Regis, ſicut ibi dicitur de Imperatore ſecundum Bal. ſed Alua. intelligit hoc, quando hoc dictaret ſolita conſuetudo: ſecùs ſi induceretur de nouo iſta forma, quia in exactione fidelitatis nou debet induci nouitas: ſed forte quod dicit Aluaro. non procedit in Rege non recognoſcente ſuperiorem. Et ſi aliquis iuraret expreſſè contra Imperatorem, non tenet iuramentum ſecundum Bald. tum quia dolus eſt expreſſus, tum quia eſt cõtra legem, immò ſi taliter iurans eſſet vaſallus, deberet perdere feudum ſecundum Aluaro. arg. c. j. de noua forma fideli. & ſi vaſallus exceptuabit Imperatorem ſecundum formam hîc traditam, & moriatur Imperator, & alter creetur, an iſte Imperator de nouo creatus intelligatur exceptuatus? & Bal. quòd ſic, quia ipſa dignitas imperialis videtur exceptuata. Nec proditor Imperatoris

per-

perdit feudum eccleſia, niſi per ſententiam eccleſiæ: & ideo ſi eccleſia ipſum abſoluit, non perdit. Clemen. paſtoralis. de re iudi. Bald. in l. j. ff. de rerum diui. q. xlij.

QVAE SINT REGALIA.

TITVLVS LVI.

In iſto titulo declarantur & ponuntur plura alia priuilegia & regalia, quæ ſpectant ad ipſum Imperatorem, vt patet in litera. Et ſi tu vis ſcire, quare magis appellantur regalia, quàm imperialia, poſtquam ad Imperatorem ſpectant: dicas, quòd ſecutus eſt vſum cõmunem loquendi, qui ſe habet, vt quòd quilibet Magiſtratus habens ratione officij ſui aliquas honorantias, dicitur habere ſua regalia: vel etiam quia Imperator appellatur Rex, vt dixit Alua. ſup. de noua for. fideli. in prin.

Regalia.

In hoc textu ponuntur quæ ſint præcipua, & ſpecialiter ad Imperatorem pertinentia. Et quia dicitur in textu, Regalia, dicas quòd ſunt res regni, quæ ſpecialiter ſpectant ad ipſum Regem vel Imperatorem. In textu, Armandiæ, eſt nomen certæ gabellæ, quæ ſoluitur ex licentia faciendi. argu. quod ſolùm Principi licet. in auth. de armis. in princ. Et dum dicitur viæ publicæ, dicas, quòd viæ tanquam ad Principẽ ſpectantes non poſſunt alterari ſine ſuo iuſſu. Et quæ ſint viæ publicæ, declaratur in l. ij. §. viam. ff. ne quid in lo. pub. In textu, Ripatica, id eſt gabellæ, quas ſoluunt tranſeuntes cum naui portum alicuius fluminis de ripa ad ripam. Ripæ tamen non ſunt de regalibus, quia earum vſus eſt publicus: ſed quantum ad protectionem, quòd nemo vſurpet ripas,

ripas, hoc cenſetur eſſe inter regalia. In textu, Vectigalia, ſunt gabellæ, quæ ſoluuntur de mercibus, quæ portantur de loco ad locum, & vide gloſ. in rubri. C. de vectiga. Et quia etiam in textu dicitur de angarijs, ſcias, quòd angaria eſt onus merè perſonale, videlicet vt quis ſeruiat cum perſona ipſi Imperatori & expenſis Imperatoris. Perangaria eſt onus mixtum, ſcilicet vt ſeruiat cum perſona expenſis proprijs, vel quòd etiam ſoluat pecuniam vltra ſeruitia perſonalia. l. munerum. §. patrimoniorum. ff. de mu. & hono. & per gloſ. hîc. Et dum dicitur in textu, Extraordinaria collatio, vt quando Imperator propter aliquam imminentem neceſſitatem publicam vult inducere & ponere aliquam collectam extraordinariam, vt pro defenſione imperij, & ſic iſtud tale impoſitum appellatur ſuperinductum, & cenſetur inter regalia: quia ſoli Imperatori licet imponere. Et de multis, quæ ſpectant ad Imperatorem, vide in meo libello, de poteſtate Papæ & Imperatoris.

QVOT TESTES SINT NEceſſarij ad probandum feudi ingratitudinem.

TITVLVS LVII.

Si vaſallus.

Allegatur textus iſte, quòd ad probandum ingratitudinem delicti commiſſi per vaſallum erga dominum, requiruntur quinque teſtes idonei, qui manifeſtè pro-

bent. Et ſic habes ex hoc textu caſum, in quo ad probationem legitimè faciendam requiruntur quinque teſtes: & ſic fallit regula, poſita in l. vbi numerus. ff. de teſti. Et ratio textus eſt, vt cautius ageretur cum vaſallis, ne de facili per viles & redemptos teſtes & paucos poſſint per dominos priuari feudis. Et ideo ſtatutum fuit, vt non per pauciores quinque teſtibus idoneis & integræ opinionis fieret probatio. Et tene, quòd iſta ſit lex Imperatoris, licet gloſ. hîc dubitet: & ita magis communiter tenetur per Dd. hîc, & per Bald. in c. ſi voluerit. ſup. de capita. qui Curiam ven.

DE NOTIS FEVDORVM.

TITVLVS LVIII.

Quia ſuprà in toto hoc opere tractatum eſt de varijs & diuerſis conſuetudinibus & legibus feudalibus: nunc verò generales traditiones & regulas ſeu notulas in dicta materia feudali adducere & ſubijcere intendit auctor hîc iuxta finem ſui tractatus.

Notandum.

Allegatur textus iſte, quòd feudum, quod de camera vel canipa debetur, tunc demùm exoluendũ eſt, quando camera vel canipa habet vnde ſoluat, deducto ære alieno. Et intellige textum, prout in eo dicitur, quando dominus non fuit in culpa: quia ſecùs ſi ſua culpa, quia tunc teneretur dominus ſoluere, dato, quòd nihil eſſet in camera vel canipa. Probat ergo textus iſte, quòd creditores præferuntur vaſallo concurrenti ſecum

in

in exigendo à camera vel canipa, quod ſibi debetur. Et ratio eſt, quia in creditore nulla eſt liberalitas domini, ſed in vaſallo ſic. Et quia dicta verba, quòd debeat habere de camera vel canipa, ſunt adiecta loco donationis, vt tantum de dictò loco fieri debeat dicta ſolutio. l. fin. ff. de contrah. empti. ſecùs autem vbi locus eſſet adiectus cauſa demonſtrationis, tunc dato, quòd in eo loco non eſſet, deberet tunc ſolui ex alijs bonis. l. quidam teſtamento. ff. de lega. j. Nota tamen, quòd iſta expectatio non aufert ius ſuum vaſallo, quia cùm facultas cameræ ſe obtulerit, ſoluetur etiam pro præterito tempore vaſallo, quo tempore fuit ceſſatum. Sed an iſte textus habeat locum in alijs feudis, vt ſi dominus veniat ad inopiam debeat vaſallus ſibi relinquere tantũ ne egeat? Et videtur concludi per Dd. quòd non, niſi dominus pro facto vaſalli conſumpſiſſet ſua bona. Et vide dicta in c. licet. ſup. ſi de feud. fue. contro. Et ſi apponeretur pactum in datione feudi, illud deberet ſeruari, licet ſit altercatio inter Scribentes, de quo vide dicta in d. c. licet.

§. Quòd autem Pares.

Allegatur textus iſte, quòd regula, quæ diſponit, quòd inueſtitura debeat fieri coram Paribus, habet locum quando dominus habet Pares: ſecùs ſi non haberet, quia tunc etiam fieri poſſet coram extraneis & idoneis teſtibus ſaltẽ duobus. Ex hoc textu habes duo: Primum eſt, quòd ad inſtituendam ſeu probandam nouam inueſtituram feudi acquiſiti de nouo, ſunt neceſſarij Pares

Curiæ,

Curiæ, vt hîc, & ſup. qui teſt. ſint neceſſ. Et ratio eſt, ne quid falſitatis excogitetur in perniciem domini: quod non facile eſt credendum in perſona Parium, qui iam iurauerunt fidelitatem ipſi domino. Et prædicta procedunt, quando dominus habet Pares: ſecùs autem ſi non habet, quia tunc ſufficiunt alij teſtes, dummodò aliàs ſint idonei, vt hîc, &. §. j. ſup. de conſue. rect. feu. Et ratio eſt, ne facultas probationis anguſtetur & tollatur. l. quoniam. C. de hæret. Habes & ſecundò ex hoc textu, quòd vbi lex non ſtatuit certum numerum teſtium, debent ſufficere duo. l. vbi numerus. ff. de teſti. quia in ore duorũ vel trium ſtat omne verbũ. c. cùm eſſes. de teſta.

§. Item ſciendum.

Allegatur textus iſte, quòd inueſtitura poteſt fieri de re communi: & ſi fiat, poterit tam inueſtitus quàm inueſtiens compellere conſortem ad diuidendum: quam inueſtituram hæres inueſtientis non poteſt infringere: ipſeque inueſtitus conſequitur ex dicta inueſtitura idem ius quod habebat inueſtiens, adeò quòd poterit vſque ad quadraginta annos petere, vt diuiſio malefacta iterùm fiat, & reducantur partes ad æqualitatem, & inueſtitura poteſt dari & accipi per procuratorem. Ex hoc textu habes, quòd nõ ſolùm poſſunt dari res propriæ in feudum, ſed etiam communes: quo caſu pars pro indiuiſo intelligitur data, quam inueſtitor habebat in re communi, vt hîc, & l. portionẽ. C. de donati. l. falſo. C. de communi re. alie. quod tamen intelligas verum, ſi

 non-

nondum erat prouocatus ad diuiſionem, vel aliter res eſſet effecta litigioſa. l. alienationes. ff. famil. erciſcund. poteſt tamen quis dare in feudum totam rem communem, in præiudiciũ ipſius dantis, ſed non in præiudicium alterius domini, prout dicimus quando quis dat in feudum rem alienam, de quo in titu. de inueſt. de re. aliena facta. Probat etiã textus iſte, quòd hæredes non poſſunt infringere factum defuncti, vt hîc, & in l. ex qua perſona. ff. de regu. iur. Probat etiam textus iſte, quòd inueſtitus de nouo, fungitur eodem iure in re feudata, quo fungebatur inueſtiens ante conceſſionem inueſtituræ: & ideo poteſt prouocare ſocium ad diuiſionem. l. ad officium. C. communi. diui. nemo enim compellitur ſtare in communione. l. fin. C. communi. diui. Et nota ſecundum Dd. quòd habens feudum cõmune cum alio, poteſt dare partem ſuam in feudum alteri per iſtum textum, dummodò ſeruet ea, ad quæ tenetur vaſallus, quãdo vult feudum ſuum alteri infeudare. Probat etiã textus iſte, quòd in iudicio communi diuidundo partes debent deduci ad æqualitatem, vt hîc, & l. penulti. in fin. C. communi. diui. Habes etiam ex textu, quòd illud, quod poſſum facere per me, poſſum facere per procuratorem, & ſic inueſtitura poteſt accipi per procuratorem.

§. Iccirco.

Allegatur textus iſte, quòd in inueſtitura feudi de nouo creandi ſunt neceſſarij Pares, quia in iſtis Paribus ceſſat ſuſpicio fraudis, & præſumptio ſuſpicionis, vt non

vt non committant falſitatem aliquam in damnum domini, tum quia ſemel iurauerunt fidelitatẽ domino, tum propter beneficium ſuum, quod habuerunt à domino: quæ rationes ceſſant in alijs teſtibus non Paribus, qui præſumuntur facilius excogitare fraudem aduerſus dominum, & citius corrumpi gratia, odio, vel pecunia: & ideo vbicunque extent Pares, illi debent admitti pro teſtibus ad ipſam inueſtituram creandam & probandam: ſecus autem ſi nulli eſſent Pares, quia tunc etiam extranei debent admitti, ne facultas probationum anguſtetur & tollatur. l. quoniam. C. de hære. Et ſic eſt notandum, quòd etiam per conſuetudines feudorum præcluduntur viæ, inquãtùm eſt poſſibile, aduerſus falſitates, ſicut eſt cautum de iure communi. l. j. §. editiones. ff. de edendo.

§. Si inſtrumentum.

Allegatur textus iſte, quòd vbi controuerſia oritur inter dominum & vaſallum de inſtrumento inueſtituræ, quia dominus illud dicat falſum, & ſe nullam inueſtiturã feciſſe, & vaſallus ſit in poſſeſſione feudi, vigore dicti inſtrumenti, quod apparet non abolitum neque cancellatum, ſtabitur ſacramento vaſalli, licet aliqua ſuſpicio ſeu præſumptio ſit cõtra dictum inſtrumẽtum: vbi verò dictus vaſallus nõ eſſet in poſſeſſione, tũc ſtabitur ſacramẽto domini iurantis ſe nõ inueſtiuiſſe. Pro intelligẽtia iſtius tex. facies iſtas concluſiones. Prima eſt,

quòdſi conſtat inueſtitura, quæ habet ſuas debitas ſolennitates, & dominus poſſidet, tenetur tradere poſſeſſionẽ feudi ipſi vaſallo, vt in tit. de contro. inueſti. primo reſponſo. Secunda concluſio eſt, ſi dubitatur de viribus inſtrumenti ipſius inueſtituræ, & tunc ſtatur ſacramento domini, qui nouit veritatẽ, vt in hoc textu: quod tamen intelligitur eſſe verum, niſi aliquid induceretur per vaſallum, quòd haberet mouere animum iudicis ad deferendum ſacramentum ipſi vaſallo: quia tunc iudex poſſet deferre, ſi ſibi videretur, per ea quæ habentur in. §. ſacramentum. in tit. do conſue. rect. feu. Tertia eſt concluſio, ſi vaſallus poſſidet, & dominus dicit non inueſtiuiſſe eum, & allegat inſtrumentũ inueſtituræ eſſe falſum: & tunc ſi vaſallus ſtetit in poſſeſſione per annũ pacificè domino ſciente & non contradicente, tunc debet ſtari ſacramẽto ipſius vaſalli, vt hîc. Quarta eſt concluſio, ſi vaſallus poſſedit minus anno, vel poſſedit anno domino ignorãte, et tunc debet deferri ſacramentũ domino. ſup. de cõſ. rect. feu. in fi. niſi aliquid ſit quod moueat iudicẽ ad deferendum ipſi poſſeſſori, vt ibi dicitur: quo caſu ſtabitur iuramẽto vaſalli, vt ſolus iuret, vel cũ duodecim ſacramentalibus, vt ſup. de cont. inter do. & vaſal. de inueſt. in prin. Et prædicta ſunt vera in vaſallo poſſidente, qui nõ eſt Caſtaldius ſeu actor ipſius domini, quia aliàs eſſet præſumptio cõtra ipſum, & deferretur ſacramentũ domino, vt ſup. de content. inter dominum & vaſallũ. §. hoc ita. Probat etiã textus iſte, quòdſi inſtru-

ſtrumentum feudi dicatur falſum, non fit acerrima indago, vt hîc, quia licet per aliquas coniecturas deducatur falſitas, tamẽ ſtabitur ſacramento vaſalli poſſidentis, qui illud producit. Et hoc ideo eſt, quia iſta falſitas deducebatur ciuiliter: ſecùs autẽ ſi criminaliter, quia tunc regula eſt in contrarium, quòd in crimine falſi acerrima fiat indago. l. vbi. C. ad l. Cornel. de falſis. ille enim, qui allegat falſitatẽ, debet probare plenè. l. ſciant cuncti. C. de proba. Vnde quanquam antequam ſuſpicionẽ adducat, purgabitur talis ſuſpicio per ſacramentum ipſius poſſidentis, & inſtrumentum producentis: ſtatur enim publico inſtrumento, donec probetur contrarium. l. cùm precibus. C. de proba.

§. Notandum.

Allegatur textus iſte, quòd Pares compelluntur per eorum iuramentum dicere veritatem de his, quæ ſciunt circa controuerſias vertentes inter dominum & vaſallos: & licet quandoque extra iudiciũ, & ſine iuramento dixerint ſe nihil ſcire, tamen ad dictum iuramentum cogendi ſunt. Et ſic eſt textus hîc, quòd pares habent iuriſdictionem in pares: poſſunt enim compellere Pares teſtes ad deponendum veritatem per eorum iuramentum, ſicut poſſunt cæteri iudices. l. ſi quando. C. de teſtibus. & in titu. de teſt. cogen. Vult etiam textus iſte, quòd licet teſtis primò dixerit extra iudicium, ſe neſcire, tamen ſi poſtea in iudicio iuratus deponat ſuper facto tanquam ſciens, valebit eius dictum ſecundum

Bald. Ex quo infertur, quòd teſtis nō incidit in falſum, quanquam primò celauerit veritatem extra iudicium. Quod intelligas verū, ſi nondum iurauerat: aliàs ſi cum iuramento affirmaſſet vnum extra iudicium, non poſſet poſtea cum iuramento affirmare contrarium in iudicio, quia incideret in falſum. argu. eorum quæ notantur in l. Lucius. ff. de his qui notant. infa. Not a tamen, ſi teſtis depoſuiſſet per iuramentum ſe non recordari, & poſtea etiam iuratus deponat ſuper facto, dicens ſe nunc recordari, quòd tunc non incidit in falſum: ſed probabit: quia poſſibile, quòd qui non recordatur hodie, recordabitur cras, ſecundum Bald. de qua materia per Barto. in l. eos. ff. ad l. Cor. de fal. per Bald. in l. geſta. C. de re iudica.

§. Cùm verò datur.

Allegatur textus iſte, quòd vbi controuerſia inueſtituræ feudalis debet terminari per ſacramentum domini, debet ipſe dominus, qui inueſtituram fecit, iurare de veritate, videlicet ſe inueſtituram non feciſſe: ſi verò ſit eius ſucceſſor, debet iurare de credulitate, videlicet ſe non credere, quòd anteceſſor fecerit dictam inueſtituram: & ideo per vaſallum declarandum eſt, quis fuit ille dominus, qui dictam inueſtituram fecit. Probat textus iſte, quòd ſacramentum principalis differt à ſacramento ſucceſſoris: & ideo diuerſo modo iuratur: quia alia eſt conſcientia principalis, qui debet iurare de veritate, cùm in facto proprio non ſit tolerabilis ignorantia. l.

tia.l. quanquam.ff. ad Velleia. & alia eſt conſcientia ipſius ſuccedentis, qui habet iuſtam ignorantiæ cauſam l. qui in alterius.ff. de regu. iur. Vult etiam textus iſte, quòd in controuerſia inueſtituræ debet vaſallus nominare dominum & inueſtitorem ſuum, & exprimere perſonam, à qua habuit inueſtituram.

CONSTITVTIONES FRIDERICHI ſecundi Imperatoris.

DE STATVTIS ET CONSVETVdinibus contra libertatem Eccleſiæ editis: & immunitate locorum religioſorum vbique morantium, & fori priuilegio, & Gazaris & Patarenis, & alijs hæreticis, eorumq; ſucceſſoribus, & nauigijs peregrinis, & aduenis quocunque locorum hoſpitantibus, eorumq; ſucceſſoribus: & de agricolarum ſecuritatibus,

TITVLVS VNICVS.

Poſtquam expediti ſunt varij conflictus in materia feudorum, nunc intendit auctor agere de libertate eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum.

Ad decus.

Allegatur textus iſte, quòd ſtatuta & conſuetudines contra libertatē Eccleſiæ vel eccleſiaſticarum perſonarum ipſo iure ſunt nulla: & debent dicta ſtatuta aboleri de volumine ſtatutorum: & cōtrafacientes vel obſeruantes, puniuntur pœnis hic deſcriptis. Habes ergo hic, quòd ſtatuta facta contra eccleſias & eccleſiaſticas perſonas, & quæ fierent in futuro, non valent, de quo in c. nouerint. de ſenten. excom. in auth. caſſa. C. de

ſacroſanct.eccle.In quibus locis habetur,quando ſtatuta dicantur contra libertatem eccleſiaſticam:& vltra ibi dicta,nota, vbicunque ſtatutum tollit illud, quod eſt eccleſijs vel clericis conceßum de iure communi, illud dicitur eſſe contra libertatem eccleſiaſticam,vt notant Dd:in c.eccleſia ſancta Mariæ.de cõſti.Vult etiam textus iſte, quòd non ſolùm ſtatuentes, ſed vtentes & conſentiẽtes puniantur.Et Officiales,qui nõ faciunt illa aboleri,ſunt excõmunicati, de quo in c. grauem.de ſen. excom.Et per illum textum habes,quòd vaſalli Eccleſiæ facientes aliquid contra libertatem Eccleſiæ, priuantur ſeudis.

§.Item nulla.

Allegatur textus iſte,quòd nullus laicus poteſt imponere collectam vel aliud onus clericis vel pijs locis, nec inuadere bona eccleſiarum: & ſi requiſiti neglexerint emendare,tenentur ad triplum, & banniuntur. Quatuor habes ex textu. Primò, quòd communitates nullam habent poteſtatem in Eccleſiam, nec eccleſiaſticas perſonas,nec poßunt eis imponere collectas.Et quia Aluaro.hîc dicit,quòd ſunt tamẽ quædam munera, à quibus etiã hodie clerici non excuſantur,de quibus in l.placet.in l.ad inſtructiõnẽ.C.de ſacroſ.eccl.Sed tu dicas,vt per Canoniſtas,et ibi aliquid dixi in c.nõ minus. de immunita. eccl.Secundò, quòd ſæculares inuadunt bona Eccleſiæ,ſiunt de foro Eccleſiæ ratione delicti,de quo per glo.in authent. item nulla communitas.C. de epiſc. & cleri.

cleri. quod eſt notabile ſecundum gloſ. ibi, & per Dd. in c. cùm ſit generale. de for. com. & iſtis diebus conſului in cauſa ardua, quòd non valet conſuetudo in contrarium, quòd coram iudice eccleſiaſtico non poſſit conueniri inuaſor bonorum Eccleſiæ. Tertiò, quòd extorquentes illicitas exactiones ab eccleſijs vel eccleſiaſticis perſonis, tenentur ad reſtitutionẽ tripli. Et textus iſte loquitur etiam de inuaſione bonorum immobilium, quod eſt ſingulare ſecundum Dd. Quartò, quòd bannum poteſt ex cauſa relaxari: ex quo infertur, quòd bannũ eſt quædam interloquutoria, quia diffinitiua nõ poſſet relaxari. l. quod iuſſit. ff. de re iudi.

§. Item quæcunque.

Allegatur textus iſte, quòd perſeuerans in excommunicatione ſibi iniuncta propter violationem adhibitam contra libertatem eccleſiarum, ipſo iure ſubiacet banno imperiali, de quo exire non poteſt, niſi priùs ab Eccleſia abſoluatur. Et ſi tu vis ſcire, quod ſit iſtud bannum, dicas, quòd capitur pro diffidatione quadã, quam facit Princeps, ponendo ipſum bannitũ extra ſuam protectionẽ: & eſt iſta diffidatio quemadmodum initium belli futuri ſecundum Bal. nam fidelis non debet offendere fidelem, niſi ipſum primò diffidauerit, vel habuerit auctoritatem à iure vel à iudice: aliàs reputaretur proditor, de quo per Ioan. And. in c. pro humani. de homicidio. in 6. Et dicit Aluaro. quòd per tale bannum non poteſt impunè offendi, niſi ſtatuto vel conſuetudine aliud

caueretur. Vel niſi eſſent diffidati tanquam hoſtes: in his enim diffidationibus attenderetur conſuetudo, operabitur ergo tale bannum ad futuram pœnam vel alia, de quibus per Aluaro. ſup. hîc finitur lex. & ſup. §. proximo. vbi dicitur, banno ſubiacebit, id eſt condemnationi imponendæ per Imperatorem, vel alium iudicem habentem auctoritatem ab eo condemnandi, relegando vel deportando ſecundum qualitatem ipſius delicti. Et vide quæ ponunt Doctores in l. j. C. de hæred. inſtitu. & ego multa allegaui in alphabeto, in verbo, Bannitus. Et probat textus iſte tria. Primò, quòd communitates poſſunt excommunicari, de quo per Innocen. in c. grauem. de ſentent. excom. Secundò, quòd in banno poteſt poni etiam communitas. Tertiò, quòd de banno poteſt quis extrahi, facta tamen ſatiſfactione, & habita concordia ab offenſo: & hoc eſt verum, quando bannum fuit impoſitũ ratione cõtumaciæ, vt in caſu iſto. Si verò bannum iam traxit effectum ſuum ſecum, tunc non relaxatur. l. j. ff. de requi. re. & vide quod habetur in c. ex literis. de conſti.

§. Item [illegible]atuimus.

Allegatur textus iſte, quòd clericus non poteſt trahi ad iudicium ſæculare, ſiue cauſa ſit ciuilis, ſiue criminalis: & ſi contrafactum fuerit, tunc actor cadit à iure ſuo, & non tenet ſententia, & iudex priuatur poteſtate iudicandi, quam poteſtatem etiam amittit, ſi denegat clericũ facere iuſtitiam. Ex hoc textu habes, quòd

etiam

etiam de iure ciuili non poſſunt clerici trahi coram iudice ſæculari. Hoc fallit quando eccleſia vel clericus recognoſcit feudum à domino laico, quia tunc ratione talis feudi efficitur de iuriſdictione domini laici, de quo per Docto. in c. caterùm. de iudi. Habes etiam, quòd ſi actor trahit clericum ad vetitum examen, debet priuari iure ſuo. Habes etiam, quòd iudex denegans facere iuſtitiam, priuatur iudicandi officio: & ſic priuilegium meretur amittere, qui conceſſa abutitur poteſtate. De hac materia dicas vt per Docto. in authent. ſtatuimus. C. de epiſc. & cleri.

§. Gazaros.

Allegatur textus iſte, quòd omnes hæretici ſunt infames atque banniti, & bona eorum confiſcantur, nec filij eorum eis ſuccedunt: & ſuſpectus de hæreſi, niſi ad mandatum Eccleſiæ ſe legitimè purgauerit, & per annum in dicta ſuſpicione hæreſis perſeuerauerit, tanquam infamis & bannitus ac hæreticus habeatur. Nota hic pœnam, quæ imponitur offendenti diuinam maieſtatem per hæreticam prauitatem: quoniam hæretici ſunt infames & banniti, bona eorum publicantur, filij eorum non ſuccedunt: quinimò excommunicantur per Eccleſiam, et damnantur. c. vt inquiſitionis. de hæreti. in 6. Cùm tale crimen ſit merè eccleſiaſticum, vt in d. c. §. prohibemus. Et quia dicitur in textu, Bannimus: poſſunt ergo impunè offendi, cùm ſint diffidati tanquam hoſtes & banniti. Quidam ſemel

mel proſtrauit in terram crucifixum: dubitatum fuit, an cenſeatur hæreticus? Et reſpõſum eſt quòd nõ, ſed debet puniri alia pœna duriſſima. c. ſi canonici. de offi. ordi. in 6. de quo in l. j. C. nemini li. ſig. ſal. Et de materia huius textus in c. vergentes. de hæreti. in c. cum contumacia. de hæreti. in 6.

§. Statuimus.

Allegatur textus iſte, quòd gubernatores terrarum ſiue perpetui ſint, ſiue ad tempus conſtituti, iurare tenentur in principio ſuæ aſſumptionis, quòd purgabunt terras ſuæ iuriſdictioni ſubiectas hæreticis & hæretica prauitate: qui ſi iurare recuſauerint, non potientur ſua iuriſdictione: & ſi poſt admonitionem debitam ſteterint per annum negligentes in purgando ſuam terram, licitè poterit dicta eorum terra per fideles occupari, qui dictam purgationem faciant, dummodò ex hac occupatione non fiat præiudicium maiori domino, non conſentienti eorum delicto. Et ſic adminiſtratores locorum pro defenſione fidei Chriſtianæ iurare tenentur expurgare prouinciam, quam regunt, ab hæretica prauitate. Vult etiam textus iſte, quòd ſententia lata per Prætorem & Rectorem, qui dictum iuramentum non præſtitit, eſt nulla: quod tamen intellige ſecundum Docto. niſi ſubditi fuiſſent ignorantes de tali iuramento non præſtito: & ſic litigarent, putantes illum verum Rectorem per ea quæ habẽtur in l. Barbarius. ff. de offi. Præt. de quo in c. excommunicamus. §. moneantur. de hæret. Procedit

dit etiam textus iſte aduerſus contumacem in exterminando hæreticos de terra ſua, quia quilibet fidelis poteſt eius terram violenter occupare, & talis terra applicabitur occupanti: & ſi habet alium dominum principalem, tunc occupās recognoſcet ab eo, eo iure, quo faciebat expulſus. argu. huius literæ, ſecundum magis communiter. Dd.

§. Credentes.

Allegatur textus iſte, quòd credentes hæreticis eoſque acceptantes, defenſantes, vel eis fauentes, banniuntur & excommunicantur: & ſi per annum perſeuerauerint in hac contumacia, tunc ipſo iure efficiuntur infames, & incapaces publicorum officiorum, atq; inteſtabiles actiuè & paſſiuè, & in iudicia alios trahere non poſſunt, licet tracti reſpondere cogantur. Et ſic habes ex hoc textu, quòd non ſolùm hæretici puniendi ſunt de hæreſi, ſed etiam auxilium eis præbentes & fauentes, & eorū errores defendentes ſimili pœna cum hæreticis puniendi ſunt, de quo in c. ſicut. in c. aduerſus. de hæreti. An autē ille, qui ſcit aliquem hæreticum, teneatur ipſum denuntiare? Et dicas quòd ſic, ſicut proditorem Principis, vt in authen. vt matri & auiæ. §. cauſas. Mitius tamen puniretur hoc caſu quàm receptans ſecundum Dd. & de materia huius textus dic vt habetur in c. excommunicamus. §. credentes. de hæreti.

§. Nauigia.

Allegatur textus iſte, quòd res naufragorum auferri non

ri non poſſunt prætextu alicuius cõſuetudinis vel ſtatuti, niſi eſſent piratarum vel hoſtiũ Chriſtiani nominis, vel imperij, & puniuntur contrafacientes. Probat ergo textus iſte, quòd conſuetudines vel ſtatuta, quæ caſſantur à principio, nõ excuſant tranſgreſſores à pœna, cùm ex dicta caſſatione, dicta ſtatuta vel conſuetudines non valeant. Probat etiam textus iſte, quòd ſi per aliquam tempeſtatem naues veniant in portum, non debent ſoluere gabellam, de quo in l. fina. §. ſi propter. ff. de publi. in l. j. C. de nau. lib. xj. Probat textus iſte, quòd piratæ æquiparantur hoſtibus fidei & Imperatoris: & poſſunt ab omnibus impunè ſpoliari, quia ſunt ipſo iure diffidati. Et de materia dicas, vt per Dd. in authenti. nauigia. C. de fur.

§. Omnes peregrini.

Allegatur textus iſte, quòd aduenæ & peregrini hoſpitentur ſecurè, & liberè teſtentur, & ſi inteſtati moriantur, bona eorum per Epiſcopum loci ſeruentur hæredibus, ſi fieri poteſt, aliàs diſtribuãtur in pias cauſas: & hoſpites tenentur aſſignare Epiſcopo bona ſua ſub pœna tripli, nõ obſtante aliqua conſuetudine vel ſtatuto in contrarium. Et qui impediuerit eorũ teſtamenta, fiet inteſtabilis, ac punietur etiam criminaliter, prout criminis qualitas exegerit. Et ſic habes ex hoc textu, quòd peregrini & aduenæ non debent ab hoſpitalitate repelli, de quo in l. j. §. j. ff. nau. cau. ſtab. in l. j. §. ſerui. ff. furti. aduer. nau. caup. Et ſecundũ Dd. peregrini, qui

ſunt in peregrinatione, nō poſſunt capi pro repreſalijs. Probat etiam textus iſte, quòd ſtatutum inualidum nō excuſat à delicto. Probat etiam textus iſte, quòd quando ſuperior caſſat ſtatuta, & conſuetudines, ſufficit apponere clauſulam generalem, licet non apponatur tenor ſtatutorum. Habes etiā in hoc textu caſum ſpecialem, in quo bona vacantia non perueniant in fiſcum, ſed in Chriſtum, hoc eſt, in Epiſcopum loci, qui diſpenſat in pias cauſas. Regulariter tamen ſuccedit fiſcus in talibus bonis. l. j. C. de bonis vacan. lib. x. & ſup. quæ ſunt regalia. Et de materia huius textus vide per Dd. in auth. omnes peregrini. C. commu. de ſucceſſ.

§. Agricultores.

Allegatur textus iſte, quòd perſonæ, animalia, & inſtrumenta pertinentia ad operam ruſticalem, non poſſunt capi pro debito: & cōtrafacientes incurrunt infamiā, & reſtituunt ablata in quadruplū, et nihilominus corporaliter puniuntur. Et ſic nota agricolas cōſeruandos eſſe in ſecuritate, vt non capiantur pro debitis. Et idem eſt in animalibus & inſtrumentis. Et eſt ratio, ne huius occaſione pereat cōmoditas cœleſti prouiſione conceſſa. l. ij. C. de ferijs. Eſt & alia ratio, ne detur cauſa ſterilitati agrorum, & cōſequenter penuriæ fructuum. Et intellige prædicta etiamſi ſponte fuiſſent pignorata vel hypothecata, niſi ſimul cum prædijs fuiſſent obligata: quia tunc bene teneret pignoratio, eò quia ceſſant rationes ſupradictæ ſecundum Docto. Et eodem modo intel-

intelligas, quòd non teneat talis pignoratio vel captura etiam in ſubſidium, etiamſi inhil aliud eſſet in bonis, niſi fieret vnà ſimul cum prædio. Et de hac materia in authen. agricultores. C. quæ res pigno. obli. poſ.

LIBER DE PACE CONSTANTIAE

compoſita inter Imperatorem Fridérichum & filium eius Henricum, & quoſdam nobiles Alemaniæ ex vna parte: & ciuitates Lombardiæ, Marchiæ & Romandiolæ ex altera.

Nota, quòd Bal. hìc in prin. adducit glo. in auth. vt præponatur nomen Imperatoris. §. nos enim. quòd conſuetudo formalis debet ſeruari, aliàs inſtrumentum non valet. Addo etiam, quòd hanc glo. allegat Abbas in proœmio Gregoriano.

Imperialis clementiæ.

Adde hìc Bald. in verbo, Debitam fidem, ad ea quæ dixi in meo libello de poteſtate Papæ & Imperatoris, quòd omnes tenentur Principi: quia vt Deus eſt Princeps in cœlis, ſic Imperatorem vicarium ſuum & dominatorem in fide ac veritate & iuſtitia conſtituit in terris. l. ij. §. ſi quid igitur. C. de vet. iur. enu. authenti. de Conſul. in fi. Et diuina pagina dicit, Omnis anima ſubdita ſit Principi & Ducibus ab eo miſſis. c. omnis anima. de cenſibus ſecundũ Bal. Et tu adde j. Pet. 2. Deum timete & Regem honorificate, ſcilicet inquantum tenet locum Dei. Nota textum in verbo, In plenitudinem gratiæ noſtræ recepimus, quòd ille intelligitur receptus ad plenitudinem gratiæ, cui remittuntur culpæ, & recipitur

cipitur ad fauores. Nota ibi, Credimus recepturos, quòd quãdo Princeps indulget beneficia, ſperat recipere grata ſeruitia, aliàs non facturus: & ideo non mirum, ſi ingrati perdunt gratias, nam oppoſitum diſſoluit propoſitum ſecundum Bald. & tu adde gloſ. in l. j ff. de obſe. patro. præſtan. in c. illud. viij. q. ij. Nota ſecundum Bald. in verbo, Sigillo communiri, quòd contractus probatur per ſigilla, vbi deficit tabellio, vt notatur in c. ij. de foro compe. in 6. in nouella. quia ſigillum habet vim conſenſus & confirmationis. gloſ. in l. ij. C. de re alie. non alienand. ſine literis tamen mutus & incertus eſt teſtis ſigillum. & ideo per ſolius ſigilli præſentationẽ non probatur commiſſio, præſertim ſpecialis, vt notatur in c. quamuis. de pa. in 6. in nouella. Et tu adde quæ allegaui latè in alphabeto meo, in verbo, Sigillũ. Nota ſecundum Bal. in verbo, Nos Romanorum, quòd ciuitas mori poteſt, ſi auctoritate ſuperioris damnetur ad aratrum. Adducit Inno. in c. cùm ex iniuncto. de operis noui nuntia. & tu adde Abba. in c. gratũ. de poſtu. prælat. Bal. in procemio. ff. in prin. gl. in c. & hæc diximus. xvj. q. vij. & ſi cõburatur ciuitas cum ſpe reparationis, durat ciuitas habitu, licet nõ actu ſecundũ Bal. & in iſtis caſibus priuilegia aut debentur, aut in ſuſpenſo retinentur. Nota pulchrũ tex. in verbo, In priuilegio. ſecundũ Bald. quòd ſicut per rebellionẽ contra Principẽ perduntur priuilegia, ita cõſuetudines priuilegiatæ, quod eſt memoriæ cõmendandum ſecundum eum. Nota in verbo, Munitionẽ

ciuitatum: Et breuiter cõclude ſecundum ipſum, quòd ſi ſit ad ornatum, non tenentur Eccleſiæ conferre, aut ad neceßitatem, & tenentur: quia eſt eadem ratio, quæ eſt in via & in pontibus, propter vtilitatem publicam. Ad collectas autẽ tenetur Eccleſia, ad quam tranſiuit poſſeßio onerata, ſi talis collecta ſit perpetua & certa: ſecus ſi propter varietatem negociorum imminentium immutetur, quia tunc tale onus non durat, poſtquam peruenit ad perſonam priuilegiatam ſecundum Bald. Et tu vide quæ dixi in Compendio, in titu. de immu. eccle. in verbo, In criminalibus. concludit Bald. quòd poteſtates terrarum hodie exercent merum imperium ex conſuetudine. Et adde notata per Bart. in extrauaganti. qui ſunt rebelles, in verbo, Longobardiæ. gl. in c. j. & ibi per Bald. hic finitur lex. Bald. in l. magiſtratibus. ff. de iuriſ. om. iudi. in l. penulti. C. commu. epiſt. Et in ſua diſputatione incipiente, Appulus Romanus. Nota quod in verbo, volumus, dicit Bald. quòd ad ſaluandum iurantes de periurio, ſufficit in omni iuramento dicere verum ſecundum conſcientiam. Allegat notata in c. præſentiũ. de teſti. in 6. in nouel. Nota in verbo, ſi quis autem, quòd non debet quis audiri contra illud, quod facit Princeps ex certa ſcientia: immò debet repelli, & imponi ei perpetuum ſilentium. facit quod habetur in l. fina. C. de legi. in l. ij. C. de crimi. ſacri. Et ſi ſtatutum dicit, quòd talis non audiatur, non valet ſententia pro eo lata, ſi eſt talis, qui habeatur pro mortuo,

tuo, vt eſt bannitus. & tu adde Bald. in l. quos prohibet.ff. de poſtu. in l.j.C. de pa. po. & modernos in l.j. §.ſublata.ff. ad Trebellia.Nota textum in verbo, Hoc quod nos. quòd Rex Romanorum viuente Imperatore poteſt concedere priuilegia. Nota vnum textum valde notabilem ſecundum Bald. in verbo Priuilegia omnia.quòd ſi bona rebellium tempore rebellionis ſunt conceſſa alijs perſonis,facta pace ſunt reddenda primis dominis,ita quòd ipſa pax non habet vim ſimplicis indulgentiæ, ſed reſtitutionis in integrū,quod eſt notabile ſecundum eum. Nota textū notabilem ſecundum Bal. in ver. Caſſentur: quod verbum, caſſentur, iunctum cū verbo irritentur,ſignificat ipſo iure: non enim requiritur alia ſententia,licet textus vtatur verbo futuri temporis,quod eſt notabile ſecundum eum. & tu adde multa,quæ ego dixi in alphabeto,in ver.Verba.Nota in verbo, mittit nuntium, ſecundum Bald. quòd qui mittit nuntium, vult obligari per ſeipſum, non per alium: & ideo poteſt reuocare mandatum clàm.Sed ille,qui mittit procuratorem, vult obligari per alium, non per ſeipſum,ita quòd transfert conſenſum ſuum in procuratorem.Nec valet reuocatio,niſi in notitiam deducatur. Allegat notata in c.vlti.de procura.in 6.in nouel.et vide quæ habentur in l.multum.C.ſi quis alte.vel ſi. Nota quod Bald. in verbo Diuina vocatione allegat gloſ. Inſtit. de capi.dimi. in princip. quòd etiam ſi aliquis gladio moriatur, dicitur mors de iudicio prouenire.

Nota ſecundum Bald. in ver. Secundum mores & leges illius ciuitatis, quod in cauſis appellationum non habet locum prorogatio iuriſdictionis, quia cauſa appellationis pertinẽt ad auctoritatem ſuperioris: vnde etiã vtraque parte conſentiente, non poßunt ventilari apud iudices incompotentes. authent. ad hæc. C. de iudi. Nota etiam ſecundum Bal. ibi. quòd tabellio de conſenſu partium ſine præſentia iudicis nõ poteſt recipere iuramenta teſtium nulla ſibi facta commißione: cui adde notata per Bal. in authen. ſed iudex. C. de epiſc. & cleri. in l. iudices. C. de fide inſtru. Eſt optimus textus de iure cano. in c. ij. de iudi. in 6. de quo per modernos in l. hac conſultißima. §. fin. C. de teſta. Nota ſecundum Bald. in verbo Conſenſu, quòd conſenſu partiũ poßunt prorogari tempora appellationum, etiamſi cauſa appellationis ventiletur per priuilegium vel ſpeciale ſtatutum Principis, quod eſt notabile ſecundum eum. Nota in verbo, Vaſalli noſtri, ſecundum Bal. quòd de periurio poteſt cognoſcere iudex laicus. Allegat notata in c. licet. de iureiurand. in 6. in nouel. nam iſtud crimẽ eſt mixti fori. Adde quod habetur in c. cùm ſit generale. de foro compe. Nota etiã quòd Bal. ibi in fin. allegat gloſ. quam dicit ſingularem in l. j. C. de fal. cauſ. adiect. lega. quòd ſi moriens confeſſus fuit, mutuum recepiße, quòd hæres eius non poterit opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ. Nota, quòd in verbo Vaſalli qui. Bal. quærit, an guerra connumeretur inter caſus fortuitos: & tenet quòd ſic, niſi tẽ-

pore

pore cõtractus potuerit prouidere, quia tunc culpæ connumeratur, quod dicit eſſe notabile. Et eſt bonus textus iuncta gl. in l. habitatores. §. vlti. ff. loca. Quærit etiam, materia erat præparata ad guerram, tamen nondum erat mota guerra inter duos Principes: fecerunt inter ſe treugam decem annorum: elapſo tempore, erit neceſſaria diffidatio, aliàs ille, qui aggrederetur territoriũ alterius, diceretur latrunculator: ſecùs ſi guerra præceſſiſſet, quia tunc non eſſet opus noua diffidatione. & adducit Bald. dictum Io. An. in nouella, in c. pro humani. de homi. in 6. quod dictum allegatur, quòd quis non debet aliũ offendere, niſi primò illum diffidauerit, aliàs dicitur proditor, de quo etiam per Bal. in authent. item nulla. C. de epiſc. & cleri. in l. ſi manumiſſori. C. de obſe. pa. præſt. in l. ex hoc iure. ff. de iuſti. & iure. in c. ſicut. de iurciuran. Nota in verbo Damna, quòd Imperatori ſit iniuria, non ſolùm per ſe, ſed per ſuos. facit textus in l. oſſa. in fi. ff. de relig. & quod voluit Bar. in l. hoſtes. ff. de capt. & vide Bald. inf. in verbo, Opizoni: & vult Bald. hîc, quòd ſi conſiliarij ſeu anciani aliquid faciant, tota vniuerſitas feciſſe videtur. & adde glo. in rubri. C. quæ ſit long. conſue. quæ voluit, quòd cõcilium ciuitatis totum populum repræſentet. in l. ſi ex dolo. §. j. ff. de dolo. Bar. in rubri. ff. de decu. in l. ciuitas. ff. ſi certum peta. Nota, quòd Bal. in fin. allegat glo. in c. cùm homo. xxiij. q. v. quòd fideiuſſores non poſſunt ſe obligare ad pœnam corporalem: & adde etiã Bal. in l. ſi quis in conſcriben-

do.C. de pact. in l.programma.C. cõmi. epiſt.in rubri. de vita & honeſt. cler. Et quia Bal.hîc vult,quòd de cõſuetudine in quibuſdã locis ſeruetur contrariũ, adde tu quod in d.c.cùm homo.eſt gl.ſingularis de hoc,quam allegat Romanus in ſingularibus ſuis. Nota textũ in verbo Morã ſuperfluam,quòd Imperator in ciuitate nõ debet facere ſuperfluam morã in damnũ ciuitatis ſeu territorij, per quæ tranſit: quia vere impoßibile eſt, quin exercitus eius nõ inferat damna:et quando dicatur mora ſuperflua. Bal. ponit duas expoſitiones, vel vltra ſex menſes, vel cõmittitur hoc arbitrio boni viri.l. continuus.§.cùm ita.ff.de ver.obl.Nota quod in.§. itẽ ſocietatẽ. Bal. quærit,facta eſt liga inter duas ciuitates duratura per quinquennĩũ, vtrũ ſi poſt quinquenniũ præſtent ſibi mutuos fauores,intelligatur liga tacitè renouata?& cõcludit quòd nõ, niſi renouetur expreſſè.arg. l.ſi cùm Hermes.C. locati.Nota in verbo Pactiões.quòd Imperator nõ poteſt inferre metũ ſicut qualibet priuata perſona:et illud quod fit per metũ Principũ,nõ valet. & dicit Io.An.allegatus à Bal. in c.j.de præſcri.in 6.in nouel.quòd indebita ſeruitia præſumũtur à dominis per metũ extorta. Et nota tex.ſecundũ Bal. in dicto verbo, Pactiones,ad cõtractus,qui tota die fiunt cum dominis terrarũ. Et nota ſecundũ Bal.ibi.quòd ſi Imperator facit iniuſtitiã,poteſt adiri Papa per ſupplicationẽ vel denuntiationẽ.c.j.de proba.Nota hũc textũ valde notabi. ſecundum Bal.in verbo, Sententia,quòd ſententia per Impe-

Imperatorem latæ contra rebelles occaſione rebellionis reſcinduntur facta pace: ſecùs ſi nõ occaſione rebellionis, ſi aliàs iuſtè ſunt latæ, puta ex cauſa mutui vel depoſiti: quod eſt notabile ad exules terrarũ, vt ſciamus, qui proceſſus facti contra eos reſcindantur, eis ad ciuitatem reuerſis, & qui non: & ſi poſſunt comparere per procuratorem, citatio arctat eos ſecundum Bald. ſecùs ſi nec etiam per procuratorem: quia nullus audet comparere. Clemen. paſtoralis. de re iudi. & iudicia non tenent contra tales bannitos ademptis omnibus bonis. Et nota in verbo, Poſſeſſionem ſecundum Bal. quòd in iſtis reſtitutionibus, quæ fiunt vigore capitulorum pacis, obſtat exceptio, dolo factis, quod eſt notabile ſecundum eum. Nota in verbo, Sine fructibus & damno, quòd fructus & damnum ponuntur tanquam diuerſa. & ſic non dicitur damnum dare, qui tanquam poſſeſſor percipit fructus, quod commenda memoriæ ſecundum Bal. Nota ibi in fi. ſecundũ eum, quòd arbiter non habet territorium, & tamẽ citat partes, de quo in c. j. de fo. cõp. in 6. in nouel. ex quo ſequitur, quòd territorium non eſt de ſubſtantia citationis. Nota textum notabilem ſecundum Bald. in verbo, Amplius, quòd poſſeſſio iuriſdictionis probatur per exercitia, quibus quis eſt vſus liberè & quietè. Nota etiam, quòd Princeps non poteſt concedere regalia in præiudicium ſucceſſorum: & ſi Princeps concedit alicui beneficiũ, qui prior eſt tempore, eſt potior in iure. & hoc facit ad cõceſſiones, quas fa-

ciunt Principes de aquis publicis, quia ſemper videntur reſeruata iura & cōmoditates eius, cui prima conceſſio facta eſt. Nota in verbo, Nobis intrantibus, quòd Imperator non debet auferre res aliorū, ſed debet emere, niſi forte deficeret ſibi pecunia. l. ij. ff. ad l. Rho. de iact. vel niſi ruſtici adeò eſſent tenaces, quòd nollent eis vendere victualia ſecundum Bal. Nota in verbo, Si qua controuerſia, quòd in feudis attenditur cōſuetudo loci, vbi res eſt. Et nota ſecundum Bal. quòd ſi quæritur, quæ cauſa ſit feudalis, ſi criminaliter agitur, vel vltra librum feudorum, non eſt cauſa feudalis: ſed ſi de inueſtitura facta vel facienda, vel de poſſeſſione ablata vel turbata per dominum vaſallo, vel per vaſallum vaſallo: & vbicunq; ſit commemoratio feudi ad intentionem fundandam, adiuuandam vel repellendam: ſecùs ſi non agatur, vel excipiatur ex hoc capite per Innoc. in. c. verùm. de foro compe. per Bal. in c. j. §. præterea. de probi. alie. feud. per Fed. Et vnum ſcias ſecundum Bal. quòd ille, qui nō vult inueſtire vaſallū de recto feudo, de alio feudo cognoſcere non poteſt, quia iniuſtus in vno, præſumitur iniuſtus & ſuſpectus in alio: allegat textum notabilem in c. j. de cōtrouerſia inter vaſallum & Epiſcopum. Nota ſecundum Bal. in verbo, Pacta, quòd inſtrumentum non vitiatur, licet anni domini, dies & menſes ponantur in fine. Tangit etiam, quòd ſi tabellio errauit in die vel in appoſitione loci, quòd ſi eſt quæſtio ſuper die vel loco, nō poteſt propria auctoritate emendare: nam raſura caderet

ret in loco ſuſpecto: ſi autem alibi, vbi non pendet quaſtio, tunc emendare poteſt, & radere verbum erroneũ: ſed ſi nõ errauit in ſolennitate inſtrumenti, ſed in qualitate facti, tunc poſtquam inſtrumentũ eſt redactum in mundum & publicatũ, nihil ſua auctoritate emendare poteſt, ſed debet facere errore comperto de mandato iudicis: quod intelligas, quando eſt talis error, qui noceat. Et adde notata per Bart. in l. ſi librarius. ff. de regu. iur. & quæ dixi in alphabeto, in verbo, Notarius. Nota in verbo, Bono intellectu, ſecundũ Bal. quòd contractus debet intelligi ad bonum et ſanum intellectum, quod nota. Vult etiam Bald. ibi, in verbo, In nomine Chriſti, quòd ſi Papa deponit Imperatorem ſine legitima & ardua cauſa, depoſitio eſt ipſo iure nulla, quia Papa debet procedere tanquam Deus, qui eſt veritas. Et Imperator poſſet ſe defendere cum exercitu ſuo: vnde cùm Papa Ioannes XXII. minaretur Regi Roberto de faciendo mirabilia, Rex Robertus reſpondit, Vos facietis & nos faciemus, & me iuuabo. Nota ſecundũ Bal. in verbo, Ego, quòd illud, quod facit maior pars colligatorum ſeu confœderatorum, minori parte contradicente, ratum quoad omnes debet haberi: quia omnes colligati rediguntur ad inſtar vnius corporis, quod eſt nota. ſecundum Bald. ex his ſcilicet, quæ pertinent ad totum corpus. & ille, qui eſt nobilior & potentior in liga, ille intelligitur ſuperior ad conuocandum alios. argu. in l. ſi. ff. de fide inſtrumen. Nota in verbo, Credentia, quòd

ſi Conſules alicuius ciuitatis iurarunt tenere aliquam credentiam,& aliquis eorum reuelat eam in damnum cōmunitatis,debet ab officio remoueri. Nota ſecundum Bal.in verbo,Hæc ſunt nomina, quòd ſi tabellio ſcripſit primò dicta vnius teſtis, & poſtea dixit, Iſte teſtis dixit per omnia idem, vt alius: quòd talis ſcriptura probat, nec obſtat, quòd videantur proferre vnum, & eundem præmeditatum ſermonem: quia illud procedit, quando teſtes ſunt ſuſpecti:ſecùs ſi bonæ famæ.

FINIS COMPENDII IN CONſuetudines feudorum.

QVAESTIONES IN MATERIA FEVDORVM SECVNDVM SPECV. ET IOAN. AND. IN titu.de feudis ſub breuiloquio collectæ.

NOn ſufficit vaſallo ſeruire per ſubſtitutū domino,niſi valetudine,ætate,vel alia iuſta cauſa impediretur.Sed ſi ſeruitiū conſiſteret in præſtatione pecuniæ,quolibet ſoluente liberatus eſt Io. An. in additionibus in rubri.de feudis. Valet conuentio, quòd propter iuramentū fidelitatis non præſtitum,vel ſeruitia vaſallitica, vel propter quidquā aliud, propter quod iure vel cōſuetudine feudum ſolet vel debet perdi,illud non perdat,ſed incidat in pœnam xxv florenorum. Io. An. in d. rubri. Sed ſi pœna perditionis feudi nō eſſet tranſlata in pecu-

pecuniariam, ſed ſimpliciter conueniſſet, quòd propter culpas nõ perderetur feudum, valeret pactum in ſpecificatis, in alijs nõ, ne dolus futurus videretur remitti per pactum. l. ſi vnus. §. illud. ff. de pact. de quo ibi per Io. An. Tangit etiam ibi de feudo alienato per vaſallum, quod dominus reuocare non poteſt, quòd alienans remaneat vaſallus, quia ſuccedit precium loco rei. l. ſi rem & precium. ff. de peti. hæredi. Et ſi in inſtrumento renouationis inueſtituræ feudi dicatur ſic, Sicut genitor meus tibi conceſſit tale feudum, & nos concedimus, non tenetur vaſallus oſtendere primam conceſſionem, de quo per Io. An. in d. tit. de feudis. §. j. in prin. Et per Oldrad. conſil. cxxj. Nota etiã quòd Spe. in. §. quoniam ver. j. cõcludit, quòd liber homo poteſt pacto mihi promittere per ſe ſuoſque hæredes quòd ſit homo meus, & certum mihi ſeruitium faciat, & tale pactum ſeruandum eſt: nec obſtat, quòd videatur habere aliquam ſpeciem ſeruitutis, quia propter hoc non minuitur ſua libertas, immò dominus eum tenetur contra alios in perſona & rebus tueri. xxij. q. vlti. c. de forma. in fin. Et quòd hoc poſſit fieri, eſt textus in c. grandi. de ſupplen. negligen. præla. in 6. Et iſtud homagium fuit introductum moribus & diuturno vſu, non legibus. Iuuatur tamen legibus: nam pacta licita cuſtodienda ſunt. c. j. de pact. Nota etiam, quòd quis homo alterius ſit præſcriptione, puta recipiendo ab eo per xxx annos ſeruitia præſtari ſolita, per homines ligios; et quòd pro homagio ſint præſtita.

ſtita. Speculator in d. §. quoniam. verſ. iij. Et ſi aliquis mihi promittit quòd vult eſſe homo meus nulla adiecta cauſa, valet talis promiſſio. Specula. in d. §. verſ. iiij. Nec obſtant iura, quæ requirunt cauſam c. ſi cautio. de fide inſtrumen. l. cùm de indebito. in fin. ff. de probati. quia illa iura non loquuntur in eo qui ſimpliciter promittit, non dicens ſe ex præcedenti cauſa debere, ſed de nouo conſtituitur obligatio: quia tunc valet ſine ſpecificatione cauſæ, vt ibi per Ioan. And. in additionibus. Eſt tamen bonum conſilium ſecundum Specu. quòd ſpecificetur aliqua cauſa. Nota etiam, quòd filius hominis mei eſt homo meus, de quo per Specula. latè in d. §. verſ. v. Et etiam, ſi eſſet exhæredatus filius à patre, vt ibi in verſ. vij. quæritur, quia per iſtam viam poſſet quis ab homagio liberari. Nota etiam, quòd homo meus ligius poteſt ſe conſtituere hominem nō ligium alterius, me irrequiſito. Specu. in d. §. verſ. xj. quæritur, niſi ſubeſſet cauſa prohibitionis, vt ſi vellet facere homagiū inimico meo. Nota etiam, quòd ſi aliquis eſt vaſallus duorum propter diuerſa feuda, quæ tenet, & contingat, quòd iſti duo domini ſibi adinuicem moueant guerram, & vterque requirit eum, quòd iuuet cōtra alterum, eſt tutum ſecundum Specu. in verſ. xij. d. §. quòd iuuet perſonaliter illum, cui primò præſtitit fidelitatem: alium autem per ſubſtitutum. & adde Roma. conſil. xlvij. Nota etiam, quòd homo hominis mei non eſt homo meus: ex quo patet, quòd licet magni Barones & Duces ſint immediatè va-

tè vaſalli, ſuie homines ligij Regis ſeu Imperatoris, in regno cuius ſunt: tamen homines ipſorum Baronum nō ſunt ipſius Regis vel Imperatoris, licet Rex vel Imperator in omnes, qui ſunt in regno vel imperio, habeat generalem iuriſdictionem. Spe. in d. §. verſ. xiiij. Et ſi aliquis Baro Regis Franciæ facit guerram ipſi Regi, ſi Baro præcipit ex debito ſacramenti fidelitatis hominibus ſuis, quòd ipſum iuuent contra Regem, non tenentur: quia in iuramēto ſuperioris auctoritaas intelligitur excepta c. venientes. de iureiuran. Specul. in d. §. verſ. xv. quæritur. Sed quid ſi aliquis Baro Regis Franciæ habet guerram cum alio Barone: Rex verò habet guerrā cum Rege Romanorum, qui vult occupare Regem Franciæ: Baro præcipit hominibus ſuis, quòd iuuent eum contra alium Baronē: Rex verò præcipit eis, quòd iuuent contra Regem Romanorum: tenentur magis obedire Regi, quia ſunt vocati ad maius tribunal, quia vocat eos pro defenſione patriæ & coronæ, & pro communi bono: ſecùs ſi Rex vocaret eos pro aliquo negocio, non tangente publicam vtilitatem, de quo per Specu. in verſ. xvj. Et nota, quòd ratione homagij dominus habet iuriſdictionem in eo, non tamen merum imperium: nam eo ipſo, quòd aliquis eſt homo meus ligius, eſt iuriſdictioni meæ ſubiectus, & omnia bona eius ſunt mihi ſubiecta ratione iuriſdictionis, quæ ab alio nō tenet in feudū. Si autem ſit homo nō ligius, nō habet dominus in eum iuriſdictionē, niſi inquantùm feudū ſe extendit: quia homo ligius prin-

principaliter ſe aſtringit, ratiõe perſonæ ſuæ: vnde obligando perſonã principaliter, per cõſequens ſubijcit oĩa bona ſua. Spe. in ver. xvij. Et nota, quòd iure ciuili, ſi certũ eſt aliquẽ hominẽ eſſe domini, poteſt dominus ꝓpria auctoritate exigere debitũ ſuũ. Spe. in ver. xviij. Nota etiam, quòd homo meus poteſt de bonis ſuis teſtari, donare ſuis, nõ extraneis, et vendere pro ſuis neceſſitatibus. Sed ſi ſponte alienaret, poſſet dominus repetere, niſi domino ſciẽte, alienare cõſueuerit: ſalua tamẽ cõſuetudine cuiuſcunq; regiõis, quæ pro lege ſeruanda eſt. Spe. in ver. xix. Nec vxor hominis mei cũ illo longo tẽpore viuens efficitur mea fœmina, quia vxor ꝓ marito nõ obligatur. Spe. in ver. xx. Et quia in aliquibus locis eſt cõſuetudo, quòd mulier ſuccedat in feudũ. c. ſignificauit. de reſcri. ſolet quæri, qualiter ipſa ſeruiet feudo? & dicas, quòd ipſa erit vaſalla, & iurabit per ſe fidelitatẽ, ſed ſeruiet feudo per ſubſtitutum. Spec. in ver. xxj. Et homo ligius pingue feudũ habens, vel ſi eſt diues, tenetur ſequi dominum in exercitũ ſuis ſumptibus, aliàs ſecùs. Spec. in ver. xxij. Et ſi Rex vult ire ad partes remotas, puta vltra mare, ad pugnandũ cũ Barbaris, & talis Rex cõſueuit vel præceſſores ſui pugnare cũ Barbaris, tenentur eũ ſequi ſui homines: tenetur tamẽ Rex eis in totũ vel in partẽ prouidere de expẽſis arbitrio boni viri. Spe. ver. xxiij. Et ſi moritur vaſallus relictis duobus filijs, quorũ vnus vtilis eſt, alter inutilis ad ſeruitiũ. Io. An. in d. §. quoniã in additione, incipiente, Pileus, ponit diſtinctionẽ Pilei, an poſ-

ſit

ſit vel nō ſine parte feudi ſuſtentari, vt primo caſu totū habeat vtilis: ſecundo caſu de parte, aliàs ſibi obuētura aſsignetur, vnde ſuſtentari poſsit. Et recitatis opinionibus, videtur reſidere cū iſta diſtinctiōe. Et ſi dicatur ſic: Cōcedo tale feudū tibi et hæredibus tuis ſolùm, nō ſuccedunt, niſi hæredes de ſuo corpore deſcēdentes. l. ex facto. §. fi. ff ad Tre. Spe. in ver. xxvj. Et ſi mortuo vaſallo, eius filius nō petita inueſtitura decimo mēſe deceſsit, relicto filio adulto, an iſte nepos habeat ſolùm reſiduū anni, an integrū annū? Et concludit Io. An. in d. §. quoniā. in additione, incipiēte, Si minor xxv annis, quòd habebit integrū annū: quia negligētia patris non nocebit filio, nec illius tēpus ſibi imputabitur. Nō tenetur vaſallus iurare fidelitatē omnibus filijs ſui domini defuncti, quia non cogitur pro vno feudo habere plures dominos. Spe. in ver. xxix. Et ibi dicit Io. An. quòd erit in electiōe vaſalli, cui iuret ex dominis, niſi ad vnum peruenerit ex diuiſione, vel aliter inter eos conuenerit, quòd vnus habeat, ſed contrariū habetur in c. j. §. ꝑterea. ſup de ꝓhi. ali. feu. per Fed. Non poteſt dominus vaſallū inuitum in aliū transferre, niſi in caſu neceſsitatis. Io. An. in d. §. in additione incipiente, Et hanc ratione. Et domini inter ſe diuidentes feuda, diuidunt etiā vaſallos. Spec. in ver. xxxj. Et vaſalli inter ſe non poſſunt feuda permutare, quia ſub alienationis verbo cōtinetur permutatio. Spec. in ver. xxxij. Nec vaſalli poſſunt inter ſe diuidere feuda, quādo nō ꝓueniunt hæreditario iure. Spe. in ver. xxxiij.

Et ſi

Et ſi primus vaſallus infeudat ſecundo, & ſecundus tertio, et tertius illud vendit, primus dominus habens directū dominiū, illud reuocat. Io. An. in d. §. quoniā. in additione incipiēte, Hoc vide, quod dixi. Et an bona feudalia confiſcentur, ꝑpter delictū, an reuertantur ad dominū, plenè per Spec. et Io. An. in d. §. quoniā. ver. xl. Et videtur, quod nō publicētur, de quo per Bar. et moder. in l. ſi finita. §. ſi de vectigalib. ff. de dam. infec. Et nota, quòd Spe. & Io. An. in d. §. quoniam. in ver. et nota. tractant, quādo dominus trāſit per loca vaſalli, quòd debet habere hoſpitia, et alia neceſſaria ad victū iuſto precio: itē, an teneatur vaſallus cōferre ad filiā domini maritandā? Et cōcluditur quòd nō: et tractatur de quibuſdam alijs, an vaſallus teneatur? et cōcluditur quòd non. Et ſi dominus vult grauare vaſallū vltra debitū, poteſt implorare officiū iudicis, vt releuetur ab illo onere, vt ibi. Nec debet induci nouitas in homagij ſeu fidelitatis exactiōe, alioquin negari poteſt. Spec. in d. ver. et nota. Et vtrū felonia à patre meo cōmiſſa mihi noceat, vt nō poſſim in feudo ſuccedere. per Spe. et Io. An. in. §. nūc dicamus. in ver. ſed quæritur. Et cōcludit Io. An. quòd præiudicat, quando feudum non poteſt venire in filium, niſi per ſucceſſionem patris: ſecùs ſi aliàs venire poterat, quia conceſſum fuit patri & filijs, de quo per Cy. in l. ij. in fin. C. de libert. & eor. lib.

FINIS QVAESTIONVM.

PETRI

PETRI RAVENNATIS, ITALI, I.V. DOCTORIS ET EQVITIS AVRATI, *allegationes & concluſiones in materia feudorum.*

SI quæritur, quid eſt conſuetudo? Et dicas, quòd eſt ius non ſcriptum moribus & vſibus populi, vel à maiori parte ipſius ratione initiatum, & continuatum, & introductum, habens vim legis. Iſta eſt definitio Bar. in l. de quibus. ff. de legibus. quæ probatur ibi. & in. §. ex non ſcripto. Inſti. de iure natura. in l. quod maior. ff. ad municipa. in l. quod non ratione. ff. de legi.

Sed nunquid conſuetudo ſit ius? Et reſpondetur quòd ſic, nec obſtat quòd iura non probantur. l. ab ea parte. ff. de proba. & ideo nõ admittuntur poſitiones iuris. l. ij. §. quod obſeruari cum ibi notatis. C. de iuramen. calum. Sed conſuetudo probatur l. ij. C. quæ ſit lon. conſue. quia iura communia non probantur, quia ſunt ſcripta, & ab omnibus ſciri debent. l. leges. C. de legibus. Sed conſuetudo conſiſtit in facto, quod ſæpè prudentiſſimos fallit, & ideo probari debet. Et dicit Bald. in l. fina. in iij. col. C. vnde cogna. quòd conſuetudo populi eſt ius ciuile: ſed

conſuetudo fori ſeu ſtylus eſt ius prætorium, & non viget generaliter, ſed tantùm in curia, in qua viget, vnde Prætor non tenetur ſequi ſtylum epiſcopalis curiæ.

Et nunquid ad eſſe conſuetudinis ſit, non eſſe ſcriptum? Et reſpondetur, quòd aut quæritur de conſuetudine introducenda, & in eius introductione non requiritur ſcriptura: circa tamen eius obſeruantiam, & vt melius poſſit memoriæ cõmendari, poteſt redigi in ſcriptis ad memoriam eius, vt videmus in vſibus feudorum. Et licet conſuetudo redigatur in ſcriptis, permanet conſuetudo, vt in vſibus feudorum: & ſi eſt redacta in ſcriptis ſuperioris, vel populi auctoritate: tunc eo caſu probatur conſuetudo per apertionem librorum, de quo per Dd. in c. eccleſiaſticarum. xj. diſt.

Et ad eſſe conſuetudinis requiritur & ſufficit tempus triginta annorum: de iure ciuili requiritur etiam frequentia actuum. l. j. C. quæ ſit long. conſuetu. l. an in totum. C. de ædifi. priua. & binus actus ſufficit, de quo per glo. in d. l. de quibus. ff. de legibus.

Sed quid ſi iudex iudicauit pluries contra legem, & decennium præterijt, an inducatur conſuetudo? Et reſponde quòd ſic, & licet ſententia ſit nulla, & ex ea non inducatur cõſuetudo, tanquam ex ſententia, inducitur tamen tanquam ex actu, ex quo comprehenditur tacitus conſenſus populi.

Et conſuetudo poteſt tribuere iuriſdictionem contentioſam. Bart. in l. fin. ff. de aqua & aq. plu. arcen. l. j.

C. de

C.de emancipa.libero.per glo.& Dd. in c. cùm contingat. de foro compe.

Et conſuetudo,quæ reſpicit rem, ita ligat minores ſicut maiores. Bart.in l.ſi ſine.§. Lucius.ff. de adminiſt. tuto.& vide Bart.in l.omnes populi.ff.de iuſti.& iure. in illa quæſtione,quos ligent ſtatuta. & adde quod notat Bart..in l.ſi.in fin.C.in quibus cau.in inte.reſt.non eſt neceſ.in illa quæſtione,an præſcriptiones ſtatutariæ currant contra minores:vbi concludit quòd non,quando eſt talis præſcriptio,quæ aufert minori,quod ſibi iam eſt quæſitum:ſecùs ſi per præſcriptionē minor amittit lucrum,tunc currit,ſed reſtituitur.

Et quando oritur aliquod dubium ex verbis, debet inſpici cōſuetudo regioniis proferentis,& hoc in vltimis voluntatibus.Bart.in l.nummis.ff. de lega. iij. Sed ſi in cōtractibus oritur dubium ex verbis,recurritur ad materiam.l.veteribus ff. de pac.

Et cōſuetudo ciuitatis habet etiam locū in caſtris & locis ipſi ciuitati ſubiectis.Bar in l.ex ea.ff.de poſtulan.

Conſuetudo ex iuſta cauſa poteſt auferre de iure vnius,& dare alteri.Bart.in l.j.ff.de his qui ſunt ſui vel alie.iur.quod dicit eſſe notabile.

Ius conſuetudinariū poteſt Princeps,& quilibet iudex ignorare probabiliter.c.j. de conſti.in 6.& ideo licet iura non debeant produci coram iudice,nec de eis fieri poſitiones: hoc eſt verum in iure ſcripto. Ius autem non ſcriptum debet probari.Barto.in l.præſcriptione.

 adſi.

ad ſi.C.ſi contra ius.& in d.l.præſcriptione.eſt vna glo. ſingularis ſecundum Ange.& Imol.in l.ij.ff.de re iudi. quòd conſuetudo poteſt alterare tempus appellandi.nec mirum: quia ſtatutum & conſuetudo poteſt detrahere diſpoſitioni legis.l.omnes populi.ff.de iuſti.& iure. l.de quibus.ff.de legibus.

Nota,quòd ad introducendum conſuetudinem non ſufficit ſæpiùs aliquid eſſe factum, niſi eo animo factum fuerit, vt conſuetudo introducatur: vt ſi ex gratia vel permiſſione hoc ſæpè ſit toleratum, non ſufficit: vt ex hoc conſuetudo cenſeatur introducta,vt notant gloſ.& Dd in c.conſuetudo.j.diſt. Ex quibus autem ſit ſumenda cõiectura,quòd vtentes voluerint vti iure ſuo, & introducere conſuetudinẽ,an voluntario quodam vſu ſeu iure facultatis, vt in l. vt pomum.ff. de ſeruitu. poteris colligere ex his,quæ in materia iurium incorporalium præſcribendorũ ponit Inno.in c. Bonæ. de poſtula. Prælato.in c.cùm Eccleſia.de cauſa poſſeſſ.in c.cõquerente. de offi.ordina.in c.dilectus. de capel. monacho.Dd.in c. Ioannes.de cleri.coniuga.in c.ſi.de conſue. Bar. in l.j.§. hoc interdicto.ff.de itinere actuque priua.

Ius conſuetudinarium incepit à Cain,& ius conſtitutionis à Moyſe,tex.glo.& Dd.in c.non eſt.§. ius verò. vj.diſt.& ſic ius conſuetudinis præceſſit ius conſtitutionis tempore,& vide per moder.in c.fruſtrà.viij.diſt.

Conſuetudo tantùm habet originem ex moribus & vſu vtentiũ.c.mos eſt.j.diſt. Ex quo infertur,quòd ſi ius ſcri-

ſcriptum diu fuit in obſeruantia, non poterit illa longa obſeruantia appellari cõſuetudo: quoniã non eſt ex moribus, ſed ex lege traxit originem: & ideo ſublato iure, cenſetur ſublata conſuetudo. gloſ. in c. j. de conſtit. in 6. Salice. in l. ij. C. quæ ſit lon. conſuetu. quod tamen limita, niſi vbi immineret ſcandalum in infrigendo talem conſuetudinem: nam tunc non cenſetur ſublata. glo. eſt notabilis in c. ſuper eo. de cogna. ſpiritu. Domi. in c. j. de conſtit. in 6. Hoc etiam limitatur, vbi ius clarum eſſet, ſuper quo conſuetudo emanauit: ſecùs ſi eſſet dubium in intellectu ſuo, vel multipliciter intelligeretur: nam permaneret conſuetudo tali caſu. Imol. in Cl. ſtatutum de elect. moder. in c. mos eſt. j. diſt. Abb. in c. fin. de conſuetu. & adde quod notat Bart. in l. j. §. lex Falcidia. ff. ad le. Falci. Et ibi per Alexan. Ioan. in c. j. de fil. presby. in 6. in nouella.

Non ſolùm, quando conſuetudo eſt contra ius canonicum, ſed etiam quando eſt contra rationem ſcriptam in iure, licet non contra iuris diſpoſitionem, requiruntur quadraginta anni. gloſ. eſt notabilis in c. vt litigantes. de offi. ordina. in 6.

In eadem gente & populo nõ debet eſſe diuerſa conſuetudo, vt probatur in c. omnes leges. j. diſt. quod intellige, vt dicitur in ſtatuto per Bart. in l. omnes populi. ff. de iuſti. & iure. quòd certa pars populi non poteſt facere ſtatuta concernentia deciſionem cauſarum ſine confirmatione totius populi. Sed ſtatuta concernentia mo-

dum expediendi ea,quæ incumbunt ipſi parti,poterunt facere ſtatuta, cùm iſta iuriſdictionẽ non ſapiant: quia poteſtas populi non reſidet in certa parte ciuitatis,ſed in toto populo vel conſilio,quod totum populum repræſentat,de quo per Barto.in l. de quibus.ff.de legibus. in vlti.colum.

Vbicunque ius facit mentionem de conſuetudine legitimè præſcripta,etiam eo caſu,quo non eſſet contra ius,tamen propter iſtam adiectionem requiritur,quòd ſit quadragenaria,vt eſt textus iuncta glo.in c. cùm de beneficio.de præben.in 6.gloſ.in c.fin.de conſuetu.in 6. & ibi Ioan. And. in nouella. Moderni in d. c. mos eſt. j.diſt.

Mala conſuetudo perdit nomen conſuetudinis, & dicitur vſurpatio.c.fin. de conſuetu.c. conſuetudinem. xj.diſt.& quando conſuetudo eſt mala,ita quòd nutrit peccatum,vel venit in odium eccleſiarum, tunc Epiſcopus contra quemcunque laicum habet iuriſdictionem, vt non ſeruetur talis conſuetudo. Abb.per illum textum in c.ad apoſtolicam.de Simo.

Conditiones,quas debet habere conſuetudo, vt teneat glo.xj.diſt.in ſumma.& inter alias ponit, niſi ſit oneroſa Eccleſiæ,de quo eſt textus in c.j.de conſue.quod procedit etiam ſecundum Docto. ſi eſſet conſuetudo, de cuius initio nõ conſtaret,etiamſi non ſit euidenter oneroſa,ſed poſſit eſſe, vt ſi Epiſcopus prætendit, quòd quotiens ad aliquã Eccleſiam declinauerit,debeat ex conſue-

ſuetudine ſplendidè procurari:talis conſuetudo non tenet, quia poſſet eſſe grauoſa Eccleſiæ, ſi Epiſcopus ſæpè vſitaret. Hoſt. in titu. de conſuetu. §. fina. & adde etiam in materia glo. in c. fruſtrà. viij. diſt.

Deficiente iure canonico iudex eccleſiaſticus debet potius iudicare ſecundũ ius ciuile, quàm ſecundum generalem, vel particularem conſuetudinem. gl. in c. conſuetudo. j. diſt. quod tamen limita ſecundum Dd. quando eſſet tantùm cõſuetudo laicorum: ſed ſecùs ſi nõ eſſet tantùm laicorũ, ſed etiam clericorum c. cùm veniſſent. de eo qui mitti. in poſſeſſ & ſic recurrendum eſt potius ad leges ciuiles, quàm ad alias leges laicorum. Et per hoc poteſt decidi, quòd in Hiſpania, vbi ſunt leges Regis, debeat potius iudex eccleſiaſticus iudicare ſecundum leges imperiales.

Tranſgreſſores conſuetudinis puniuntur vt in c. in his. xj. diſt. & intellige vbi eſt valida.

Quando aliqua reproba conſuetudo inoleuit, nec tolli ſine periculo poteſt, debet per ſuperiorem ſub quadam diſſimulatione intacta permitti. c. denique. iiij. diſtinct. & adde quod habetur in c. audacter. viij. q. j. vbi non videtur per hoc ſuperior approbare: & ita procedit textus in c. hac ratione. xxxj. q. j. c. permittimus. quia malas hominum voluntates prohibere non poſſumus &c. facit quod notat gloſ. in c. inter opera. de ſponſali. Abb. in c. cùm iamdudum. de prabend.

Tunc demùm conſuetudo non habet vires, vt conſtitutionem apoſtolicam tollat, quando non habet fundamentum rationis efficacis, ſed ſolùm nuda voluntate fundatur: & ſic requiritur, quòd cōſuetudo ſi debet tollere ius canonicū, quòd aliqua ratione fulciatur. c. conſequens. xj. diſt.

Conſuetudo laicorum, quæ poteſt ſe habere ad commodum & incommodum clericorum, non ligat illos, licet ſit ſecùs in lege imperiali: & ſic non tenetur dictum Bart. in l. cunctos populos. C. de ſumma trinita. & fide Catho. de quo per Bal. in authenti. caſſa. C. de ſacroſan. eccle. per Dd. in c. fin. de vita & honeſta. clerico.

Non valet ſtatutum nec conſuetudo, quæ eſt contra bonos mores. c. conſtitutiones. x. diſt. & ideo nō valet ſtatutum nec conſuetudo, quòd filius ſpurius ſuccedat patri, de quo per Hoſti. in ſumma. in tit. qui filij ſint legiti. §. qualiter. verſ. quid ſi Imperator. quia hoc eſſet cauſa multorum peccatorum mortalium per Bart. in l. teſtamenti. ff. de teſtamen. per Bald. in l. eam quam. C. de fideicommiſ. per Ioan. An. in titu. de ſucceſ. ab inteſt. §. fi. verſ. ſed ex facto. per Frede. de ſe. conſil. cc. lxxv. per Bald. in l. j. C. de iure aureo, annulo. & per Dd. in l. non ambigitur. ff. de legi. vbi dicunt, quòd per ſtatuta inferiorum non poſſunt legitimari ſpurij. per Cardi. in c. per venerabilem. qui filij ſint legitimi: & ratio eſt, quia legitimatio eſt Principis donum, & nullius inferioris, vt in auth. quibus mo. natura. effician. ſui. §. ſi verò is qui.

Nec

Nec mirum, quia legitimatio deducit de nõ eſſe ad eſſe, quod ſoli Principi licet. Et quia omnis ſpurius eſt infamis & vilis conditionis, vt egregiè voluit Azo in ſumma. C. ex quibus cauſis infa. irroga. quem refert Bal. in d. l. j. C. de iure aureo, annulo: ideo ſolus Princeps reſtituit. l. imperialis. C. de nup. & adde Bal. conſil. ccxxvj. iij. lib. Pau. de Caſ. conſil. cc. xxvij. Fred. conſil. cc. lxxv. & ſequenti.

Non valet conſuetudo, quòd Papa non poſsit facere etiam ardua ſine conſenſu Cardinalium, licet de honeſtate non deberet facere: quia eorum poteſtas emanat ab eo ſolo. c. ita dominus. xix. diſt. & ipſe ſolus eos creat. glo. ſingularis. in Cl. ne Romani. de elect. Domi. in c. ſuper eo. de hæret. in 6. Moderni in c. in iſtis. iiij. & ego latè dixi in libello meo de poteſtate Papæ & Imperatoris.

Conſuetudo contra expreſſam conſtitutionem Papæ prohibitiuam non valet, maximè ſi habet decretum, quantocunque tempore obſeruata, niſi dato conſenſu Papæ. Dictum eſt pulchrum Ioan. And. & Dd. in c. cùm de beneficio. de præben. in 6. in nouella. auctoritas enim Papæ nõ eſt ab homine. c. nouit. de iudi. ideo inferioribus ſine eius expreſſo conſenſu non licet contrauenire.

Conſuetudo, quæ prebet cauſam malignandi & delinquendi non tenet, glo. xj. diſt. in ſumma. & ideo non valet conſuetudo, quòd ſi vxor intra quinquennium nõ peperit filios, licitè poſsint filij ex concubinis procreari. Non valet etiam, quod homicida poſsit ſatisfacere cum

pecunia, de quo dixi ſup. in alphabeto, in litera S.

Si per abuſum fructuum beneficij Eccleſia paſſa ſit detrimentum, tenetur clericus omne damnũ reſtituere Eccleſiæ, & bona ſua erũt hypothecata pro tali damno. glo. notabilis in c. ex literis. de pigno. glo. in c. ſimiliter. xvj. q. j. de qua non fuit recordatus Bald. in l. ſi quis presbyter. C. de epiſc. & cleri. Neque conſuetudo aliqua valet, vbi tractaretur de damno Eccleſiæ, vel etiam de diminutione cultùs diuini, puta quia clericus ita dilapidaret fructus beneficij, quòd non ſupereſſet ſibi ad faciendum deſeruiri Eccleſiæ, talis conſuetudo non excuſaret clericũ, & teneretur de patrimonio facere, quod Eccleſia haberet debitum. textus & Abb. in c. penulti. de cleri. non reſiden. quia conſuetudo grauoſa Eccleſijs, & contra eccleſiaſticam diſciplinam non tenet. c. j. c. cùm venerabilis. de conſuetudi. Ioan. And. in regula, Nemo poteſt in Mercu. nec diſpenſatio & tolerantia Papæ hoc caſu excuſaret. Et nota text. xliij. diſt. in princi. quòd ſacerdoti permiſſum eſt de altari viuere, non luxuriari. quem textum allegat Abb. in c. fina. de pecu. cleri. & ibi adducit Archidia. dicentem, quòd ſi clericus expendit de fructibus Eccleſiæ voluptuoſe, tenetur ad reſtitutionem. & hoc dictum ligent digito ſuo clerici. Addo etiam Abba. in c. cùm ſecundum. de prabend.

Ex actibus iudicialibus inducitur cõſuetudo, quando tot vicibus iudicatum eſt, quòd completa ſit conſuetudo.

tudo.gloſ. in l. nemo.C. de ſentent. & in dubio præſumitur illud in notitiam populi perueniſſe.l.j.C. quæ ſit long.conſuetu.l.& an in totum.C.de ædifi priua. l.cùm de conſuetudine.ſecundum vnam lecturam.ff. de legib. Barto.in l.de quibus.ff.de legibus. Et quando iudex dubitat de conſuetudine,ſeu ſtylo iudiciorum,recipiat informationem à Notario,qui coram eo ſcribit,qui diu in illo tribunali verſatus eſt,textus notabilis,vbi per Bar. in l.iij.in fin.ff. de teſtibus. & adde Bald.in l.j.C.de his quæ deſunt aduoca. Anto. de Butr. in c. cùm in tua. de ſponſa.in c.fin.de conſuetu.in pen.col.Cy. in l.ij.C. quæ ſit long.conſuetu.

Ad introducendam conſuetudinem non ſufficiunt ſingulares perſonæ,ſed requiritur vt multi conueniant in vnum, vt Vniuerſitas. c. non eſt. §. ius verò. vj. diſt. gloſ. in c. fruſtrà. viij. diſt. quia cùm conſuetudo obtineat vim legis.l. de quibus.ff. de legibus. ſicut ſingulares perſonæ non habent auctoritatem legis condendæ. l. omnes populi.ff. de iuſti. & iure, ita & de conſuetudine pari ratione eſt dicendum. Barto. in d.l. de quibus. Et cùm Collegium approbatum poſſit facere leges ſecundum Barto.in l. omnes populi.ff. de iuſti. & iure. & Collegium poſſit ex tribus tantùm conſtitui.gloſ.in c.j. de elect. l. Neratius.ff. de verborum ſignificat. per tres ſolos poterit conſuetudo introduci, & conſuetudo cauſata,& in eſſe producta poteſt conſeruari in paucis, qui manſerunt in Vniuerſitate,vt probat textus cũ glo.

in d.

in d.c.non eſt.§.ius verò.vj.diſt.adeò,quòd etiam in vno conſeruari poteſt, ſicut & alia iura Vniuerſitatis, quæ redacta ſunt ex multis in vnum,cõſeruantur in eo, per ea quæ notantur in l.ſicut.ff.quod cuiuſq; Vniuerſi.nomi.gl.in c.ij.de poſtula.præla. non tamen per vnum: & ſi per vnum Vniuerſitas ius retineat, conſuetudo poſſet de nouo introduci, quia repugnaret naturæ & vocabulo conſuetudinis: quia conſuetudo dicitur communis aſſuetudo.

Et an, vbi dominium eſt violentum vel tyrannicum,poſſit introduci conſuetudo? de iure enim eſt,quòd geſta tempore tyrannidis nõ habent iuris effectum, aut ſaltē debent reuocari, vt per Bald.in l.decernimus.C.de ſacroſanct. eccleſ.& per Bart.in tract. de tyrannide.& cõcludeſic:quòd illa,quæ per ſolum tyrannum exercentur,vel per alios eius auctoritate,& illa veniunt caſſanda.d.l.decernimus.Sed illa, quæ populus, qui ſub eo eſt, gerit proprio ſuo iure, vt facere ſtatuta, vel inducere conſuetudines, quæ ad populum ſpectant, & iſta bene valent,dummodò ꝑpria voluntate in his gerendis vtantur.hoc videtur eſſe de mente Bald. in d. l.decernimus. bene facit quod voluit Inno.in c.cùm ex iniuncto.de noui ope.nuntia.non enim propter delictũ & violentiam debent priuari iure ſuo,& facultate eis à iure conceſſa: & pro hoc facit, quòd expulſus iniuſtè non perdit ius ſuum.Cl.j.de ſo. compe.facit text. quod ibi per Abb. in c.ij.de arbi.vbi ſi clericus exulat ſine ſui culpa, non debet

bet

bet priuari beneficio.& quod habetur in c.tanta.de exceſ.Prælato.& ibi per Anto.de Bu.Domi. in c. ſi epiſcopus.de ſupplen. negligen. Prælato.in 6. vbi loquitur de epiſcopo capto,quòd poſſit conſtituere vicarium.

Licet conſuetudo ſit præter ius,ſi tamen læditur ius alterius Eccleſiæ, requiritur ſpaciũ xl annorum.Dd.in c.cum Eccleſia Sutrina. de can. poſſeſ. & proprie. in c. mos eſt.j.diſt.

Contra legem diuinam non poteſt induci aliqua conſuetudo.c.in his.xj.diſt.c.ex parte.c.ſi. de conſuetu. immò huiuſmodi cõſuetudo quanto eſt diuturnior,tanto eſt deterior.d. c.ſi. Sed vbi diſpoſitio legis diuinæ non eſt certa,ſed dubitatur de eius intellectu,poſſet conſuetudo vires habere,vt in d. c. in his. & ſic interpretaretur legem diuinam.c cùm venerabilis.vbi per Abba.de conſuetu.& adde Bar.in l.omnes populi.in iij.q.principali.ff.de iuſti.& iure.quòd ſi ea,quæ ſunt ſtatuta à iure diuino,ſunt ſpiritualia, nec populus nec Imperator poteſt cõdere legem. Et nota vnum argumentum ſecundum Dd. in d. c. in his. quòd laici de temporali iuriſdictione Eccleſiæ non poſſunt facere ſtatuta cõtra ius canonicum, quod eſt pulchrum.

Vbi lex prohibet conſuetudinem, & illam reprobat, non poteſt de nouo induci.l. eos.§. penulti. C de vſu. c. quanto.de conſuetu.c. Meſſana. de elect. Moderni in c. conſuetudinis.xj.diſt.

Et nota dictum Dd.in d. c. conſuetudinis. quòd vbi

conſuetudo obuiat omni iuri, ita quæ non toleratur aliquo iure, tunc indiſtinctè ſuccumbit conſuetudo: vbi verò concordat iuri, ſeu toleratur aliquo iure, quamuis alijs iuribus contradicere videatur, huiuſmodi conſuetudo vires obtinet. vel ſic poteſt dici, quòd quando conſuetudo obuiat omni iuri, quia ius penitùs reſiſtit, nec reperitur eodem iure aliquo caſu limitatum, tunc indiſtinctè conſuetudo ſuccumbit, & non valet propter bonum obedientiæ, & contrarium faciens, peccat grauiter.

Non valet conſuetudo, quòd exiſtens in minoribus non poßit cõtrahere matrimonium ad finem, quòd contractum dirimatur: ſed bene valet, quòd impediat contrahendum, vt habetur per Docto. in c. placuit. xxxij. diſt. quia conſuetudo non eſt tantæ potentiæ, vt matrimonium contractum ſecundum legem Dei poßit dirimere. & textus in c. ſuper eo. de cogna. ſpiritu. intelligitur de ſeparatione, quæ fit ad tempus, quoad mutuam ſeruitutem, non autem quoad ſeparationem perpetuam quoad vinculum matrimonij. vel intellige iſtum textum ſecundum alium intellectum, quem ibi ponunt Doctores.

Et ſi quæritur, an conſuetudo in matrimonio diſponens valeat? conclude ſic aliquos caſus, quorum primus ſit: quòd ſi conſuetudo diſponit ſuper ipſo cõtractu matrimonij, talis conſuetudo non valet, & ſi non ſeruatur cõſuetudo, nihilominus matrimonium valet. textus

eſt in

eſt in c. j. de ſponſa. ſecundum vnum intellectum. Secundus caſus eſt, quando conſuetudo diſponit circa ſolennia matrimonij, & tunc conſuetudo valet tantum, quantum ad hoc videlicet, quia non ſeruantes tales conſuetudines, vel ſolennitates à conſuetudine introductas, peccant, vt notatur xxx. q. v. c. aliter. & hoc maximè, quando omittuntur ſolennitates inductæ ex conſuetudine, quarum omißione matrimoniũ redditur incertum, vt quod fiat publicè & præſentibus parentibus vel ſimilibus: quantum autem ad nullitatem inducendam matrimonij, conſuetudo nõ valeret. d. c. j. de ſponſa. & ibi notant Dd. Tertius caſus eſt, quando conſuetudo diſponit de pœnis, ſi illa pœna fundatur ſuper fauore alicuius tertiæ perſonæ, & tunc talis conſuetudo valeret, vt patet de pœnis ſecundarum nuptiarum fundatis ſuper fauore filiorum primij matrimonij. l. hac edictali. C. de ſecund. nupt. Innocen. in c. fina. de ſecun. nupt. Quartus caſus eſt, quando conſuetudo imponit pœnam fundando eam ſuper matrimonio, & tunc eſt conſiderandum quid auferat conſuetudo: quia ſi pœna infligit damnũ, non valet, vt notatur in d. c. fi. de ſecun. nup. & ideo leges & conſuetudines imponentes pœnam mulieribus cõtrahentibus ſecundas nuptias intra annũ luctus, nõ valent. Et ex iſto infertur, quòd ſi conſuetudo vel ſtatutũ diſponeret, quòd non valeret matrimonium contractũ ſine conſenſu patris: & contrahentes matrimoniũ certam pœnam incurrerent, talis cõſuetudo vel ſtatu-

ſtatutum non valeret, de quo per Ioan. And. in c. ſtatutum. de hæret. in 6. in nouella. Quintus caſus eſt, quando conſuetudo imponit pœnã non ablatiuam rerũ, ſed priuat contrahentes matrimonium lucris á conſuetudine vel iure ciuili conceſſis, etiam in odium matrimonij, & talis conſuetudo valet. glo eſt notabilis in c. cùm ſecundum. de hæreti. in 6. ſed glo, tenet contrarium in c. de puellis, xxxvj. q. ij. quã approbat Abb. in c. j. de ſponſ. Sextus caſus eſt, valet conſuetudo diſponens circa accidentalia matrimonij, vt de dote lucranda. c. Rainucius. de teſtamen. Septimus caſus eſt, quòd ſi conſuetudo inhabilitaret extantes in quinto vel ſexto gradu poſt c. non debet. de conſang. & affinita. talis conſuetudo tanquam habens colorem iuris antiqui, valeret in loco, vbi eſſet, & ſeruanda eſſet, vt ꝓbatur in d. c. placuit. xxxij. diſt. & eſt gloſ. notabilis in d. c. ſuper eo. de cogna. ſpirituali.

Vbi lex prohibet conſuetudinem, non poteſt noua conſuetudo contra legem illam induci, niſi per Papam ſpecificè approbetur. Dictũ eſt notabile Hoſti. per illum textum in c. quod ſuper his. de conſang. & affini. quem referunt Moderni in d. c. placuit. & iſto modo intelligatur glo. iiij. diſt. §. leges.

Non valet cõſuetudo, vt inferior habeat iuriſdictionem in ſuperiorẽ. c. inferior. xxj. diſt. vbi per Dd. c. cùm inferior. de maiorita. & obedien. quia eſt omninò irrationabilis, ideo non valet. c. fin. de conſuetu. Nec obſtat textus

textus in c. dilectus. de appellat. quia intellige illum textum, vt ibi per Dd. & in d. c. inferior.

Damnata conſuetudine propter irrationabilitatem, cenſetur damnata etiam illa, de cuius initio non extat memoria. c. ſi cõſuetudinem. vbi per Dd. viij. diſt.

Ad officium iudicis ſpectat celerrimè obuiare, ne mala conſuetudo radices faciat. c. mala conſuetudo. viij. diſt. & ideo iſta celeritas deſideratur, quia vbi diu praua conſuetudo inualuit, quod amodò eſt conuerſa in naturam: nam conſuetudo eſt altera natura: & ideo propter illam difficultatem in ea tollenda, quando eſt antiqua, ſeruari debet modus, de quo in c. commeſſationes. xliiij. diſt. Et iſte eſt caſus, in quo Archiepiſcopus habet iuriſdictionem in diœceſi Suffraganeorum ſuorũ, ſcilicet ad extirpandam malam conſuetudinem, quæ eſt generalis in prouincia ſua. textus notabilis in c. ex frequentibus. de inſtitu. in c. in tantum. de Simo. & eſt caſus, in quo inter laicos Epiſcopus habet iuriſdictionẽ, vt à prauis conſuetudinibus cohibeantur. Abb. per illum textum in c. ad Apoſtolicam. de Simo.

Conſuetudo contra ius publicum auctoritate & vtilitate non valet, niſi habeat expreſſum conſenſum Principis, vel ex certa ſcientia toleretur per Principem. Ioan. And. in c. fin. de cenſi. in 6. Et ſi lex, contra quam inducitur conſuetudo, improbat conſuetudinem, tunc requiritur expreſſus conſenſus Principis. Dictum eſt Ioan. And. in additio. Specu. in titu: de inſtru-

mento edito.§.cõpendioſe.verſ.ſed nunquid. Et ita poteſt intelligi glo.in.§.leges.iiij.diſt. & contrà reſeruata Principi non valet conſuetudo.gloſ.in c.j.de cleri. ægrotan.in 6.in c.penulti.de fil.presby.niſi eſſet conſuetudo tanti temporis, cuius initij memoria in contrarium non extaret.c.ſuper quibuſdam.§.præterea.de verborum ſignifi.

Reprobatur gl.cõmuniter in c.& ſi non ſanctificatur.de conſe.diſt.iiij. quæ voluit valere conſuetudinem baptizandi, quæ addit formam baptiſmi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti & diaboli, quia corrumpit fidẽ, quaſi videatur virtutẽ baptizandi ponere nõ ſolùm in Trinitate, vt verè in illa eſt, ſed etiã in creatura & damnata, vt eſt diabolus. hanc reprobant Dd.in c.conſuetudinem.xj.diſt.

Si Eccleſia habet ſtatuta vel conſuetudines honorabiles Eccleſiæ, etiamſi Epiſcopus & Capitulum in ſimul cõueniant, & vellent illis renuntiare, vel contra illa facere aliqua ſtatuta, nihil valeret, quod agerent, immò omnibus de Eccleſia conſentientibus vnus ſolus poſſet ſe opponere: & ſi nullus cõtradiceret, ſuperior deberet ſtatim illud reuocare. Inno.in c.accedentibus.de priuile. referunt Moderni in c.catholica.xj.diſt.

Glo.in d.c.catholica.xj.diſt.tangit, an illa, quæ poſſunt quæri priuilegio tantùm, ſint acquiſibilia conſuetudine? & cõcludit quòd particulari non, ſed exigitur, quòd conſuetudo ſit vniuerſalis: ſed ſecundum Dd.dicas, quòd

quòd ſi cõſuetudo eſt obtenta de certa ſciẽtia Principis, qui illam ſcit & tolerat, & tunc quæri poſſunt talia gl. in c. penul. de fil. presby. etiamſi ſint talia, quæ poſſideri nõ poſſunt, ex quo poſſunt dari per priuilegium, poſſunt etiam conſuetudine induci, quam Princeps ex certa ſcientia tolerat, dummodò non ſit conſuetudo irrationabilis. Abb. in c. fina. de conſuetu. aut non interuenit certa ſcientia Principis, & ſint talia, quæ de iure communi poſſideri non poſſint per volentem quærere, & hæc conſuetudine non quæruntur gl. eſt in c. illud. xciij. diſt. Ioan. An. in c. ij. de præben. in 6. & ſi conſuetudo tendit ad tollendum neruum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & conſuetudine quæri non poteſt. c. cùm inter. de conſuetudi. & tamen priuilegio quæri poteſt. c. vt priuilegia. de priuileg. ſed ſi non tendit ad tollendum neruum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & tunc ſi eſt tanti temporis, de cuius initio non extat memoria, & quæri poſſunt glo. in c. ſuper quibuſdam. §. præterea, de verborum ſignifi. aut non eſt tanti temporis: & tunc, ſi eſt conſuetudo generalis, quæri poſſunt: ſecùs, ſi eſt particularis, de quo per glo. in d. c. catholica.

Et ſi aliqua Eccleſia vult cõſuetudine quærere ea quæ tendunt ad honorẽ, vt quia vult inducere, vt præ cæteris habeat aliquam praeeminentiã, vt voluit Archiepiſcopus Rauennæ. c. contra morem. c diſt. hoc non poſſet, quia Eccleſia non poteſt ſe alijs præferre, & ſibi aſſumere honorem. c. in ſcripturis. viij. q. j. gloſ. in d. c. contra

morem. & intellige de illis quæ tendunt ad honorẽ, quæ communiter non conceduntur eccleſijs ſine priuilegio Apoſtolico, vt eſſet, vt ibi haberet Canonicos, Cardinales, vel vteretur inſignibus Epiſcopalibus vel Cardinalatus: ſecùs in illis, quæ licet tendant ad honorẽ, tamen cõmuniter per inferiores eccleſias habentur, per textũ in c. cùm olim. de conſuetu. Dd. in. d. c. catholica.

Si conſuetudo non innititur rationi, abolenda eſt ſecundum Dd. in c. fruſtrà. viij. diſt. & ideo dicunt, quòd conſuetudo nõ poteſt diſponere, quòd quis retineat plura beneficia curata vel incompatibilia contra c. de multa. de præben. eſt enim contra omnem rationẽ talis pluralitas beneficiorum ex fomite auaritiæ procedens, & ꝓbatur in extrauaganti. Execrabilis, de quo per Hoſti. in c. nonnulli. de cleri. non reſiden. Ioan. And. in regula, quæ contra iura in Mercu.

Quomodo autem conſuetudo dicatur irrationabilis relinquendum eſt arbitrio iudicis conſideratis circumſtantijs loci, temporis, vtilitate publica & ſimilibus. Archidia. in. §. leges. iiij. diſt. Dd. in c. fin. de conſue. Et in dubio, niſi appareat eius irrationabilitas, præſumitur rationabilis, vt probatur in c. illa. xij. diſt.

Vt inducatur conſuetudo, requiritur, quòd res ſit præſcriptibilis. gl. in c. fruſtrà. viij. diſt. et pone exemplũ in c. cauſam quæ. de præſcrip. Quantumcunque enim longo tempore laici conſueuerunt recipere decimas, nequaquam tamen ſibi ex tali conſuetudine vendicare

poſſunt

poſſunt decimas, intantùm, quòd etiã hoc caſu propter incapacitatem eorum etiam præſcriptio ſeu conſuetudo, de cuius initio &c. illis non prodeſſet. Ioan. And. & communiter Dd. in c. ij. de præbend. in 6. in nouella. Dd. in d. c. fruſtrà.

Et licet Papa ſciat conſuetudinem induci, & non contradicat, tamen conſuetudo impeditur propter ſui irrationabilitatem: nam ratio eſt quaſi cauſa formalis ipſius cõſuetudinis, & forma dat eſſe rei. c. quia propter. de elect. Addo etiam Abba. in c. quanto. de conſuetu. in notabilibus.

Non valet conſuetudo tanquã irrationabilis, quòd tempore quadrageſimali comedantur carnes & alia prohibita. c. denique. iiij. diſt. & ibi per Dd. quod limitatur niſi ex cauſa, vt propter defectum piſcium. facit quod habetur in c. licet. de pœnit. & remiſſ. de quo per Dd. in rubri. de obſerua. ieiunio. & etiam in obſeruantia iſtius ieiunij non operatur conſuetudo: quantum autem ad alia ieiunia, vide per Dd. in d. rubri.

Licet conſuetudo habeat certa ſigna in contrahendo matrimonium, vel certam formam: ſi tamen illa non ſeruetur apparente conſenſu partium, valet matrimonium. gl. & Dd. in c. j. de ſponſa duorum. & ideo, vbi eſſet cõſuetudo oſculandi ſponſam vel bibendi, verba ſufficerent, licet hæc ſigna non ſeruarentur: tamen de ſo oſculũ non eſt ſignum contracti matrimonij, textus eſt notabilis, vbi per Bal. in l. ſi à ſponſo. C. de don. ante nup.

Licet lex poſitiua & canon poſſint facere ſtatutum vel diſpoſitionem ſuper matrimonio, tamen conſuetudo illud facere non poteſt ad illud inualidandum. glo.eſt in c.j.de ſpon.duorum.in ver. priori vxori.

Conſuetudo habet conſtituere probabile dubium iuris, etiã in his, quæ expreſſa ſunt & clara in iure ſcripto. glo.eſt in c.licet.de ſpon.duorum. facit gl.in c. cùm venerabilis.de conſuetu.in c.vnico.de poſtu. præla. in 6. & ſic error iuris excuſabit malam fidẽ, ſi pallietur conſuetudine: & ideo dicit ibi Hoſti. quòd iſta conſuetudo excuſaret matrimonia retrò contracta, dummodò non fuiſſent contrahentes in mala fide, quia ſcirent conſuetudinem non valere.

Licet Papa poſſit ſtatuere in viam generalis ſtatuti, vel etiam diſponere in viam particularis conceſſionis, vel inhibitionis ſuper matrimonio contracto, ſed nõ confirmato per copulam, & nouum impedimentum inducere. c. ex publico. c. verùm. de conuerſio. coniuga. tamen conſuetudo hoc non poteſt facere, quia non poteſt irritare matrimonium contractum, etiam non ſequuta copula. c. fina. c. licet. de ſponſa duorum. Et ratio eſt propter illam auctoritatem, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: quod non procedit in Papa, quia cùm ſit vicarius Chriſti, homo non ſeparat, ſed Deus: & ideo Papa poteſt facere, non conſuetudo: &, quia etiam ſuper matrimonio non ſpectat ad laicos diſponere, conſuetudo diſponens quòd ſecundum matrimonium

ſecu-

ſecuta copula praualeat primo nõn ſecutā copula, non valet.text.glo.& Dd.in c.fin.de ſponſa duorum.

Conſuetudo eſt ſtricti iuris & ad vnguem obſeruanda. Bald.in l.quicunque. C.de ſeruis fugi. Abb. in c.ij.de conſue.& ideo dicunt Moderni in c.j.qui clerici vel vouentes, quòd ſi aliquòd eſt conceſſum ex conſuetudine Cardinalibus, Legatis de latere, nõ extenditur ad alios Legatos de latere creatos non Cardinales.

Conſuetudo, per quam inducitur ſeparatio matrimonij, vel vt vxor non teneatur ſequi maritum, non eſt ſeruanda ab Eccleſia tanquã obuians iuri diuino.text. iuncta glo.in c.j. de coniugio leproſor.

Conſuetudo poteſt facere legitimum & habilem ad contrahendum inhabilem.glo.in c.fin.de ſponſa duo. & ideo dicunt Dd.quòd licet illa conſuetudo non valeret, tamen ex quo erat tolerata, excuſat matrimonia præcedentia ante illam reprobationẽ & prolem ſuſceptam antè: & ſic probabilis error iuris, id eſt, cauſatus ex tolerata conſuetudine contra ius, & quæ non valet, habet excuſare prolem ab illegitimitate, ſicut error facti, & etiã habet excuſare matrimonia prohibita ante hanc reprobationem, ſed poſt illam decretalem ſecùs.

Et nota, quòd ſi cõſtitutio eſt declaratoria ratiõis, quæ ſuberat de antiquo, ſi habet conſuetudinẽ, vel cõmunem interpretationem in contrariũ, tunc geſta excuſantur: & ſic nõ trahitur ad præterita.gl. in c.j.in verbo, de cætero.de poſtu.præla.in 6.in c.cùm venerabilis. de cõſue.

ſed ſi conſtitutio non ſolùm eſt declaratoria iuris antiqui, vel rationis de antiquo, ſed etiam reprobat conſuetudinem contrariam: et tunc, ſi declarat irrationabilitatem conſuetudinis, cùm conſuetudo irrationabilis ſit potius corruptela. c. fin. de conſuetudine. talis conſuetudo non excuſat præterita: & ideo conſtitutio ad ea trahitur. d. c. cùm venerabilis. ſed ſi aliter non declarat irrationabilitatem cõſuetudinis, ſed tantùm eam reprobat, et tũc ſi dicitur de cetero, vel ſimile, clarũ eſt, quòd non trahitur. d. c. fi. de ſponſa duorũ. ſed ſi non exprimitur tale verbum, tunc trahitur ad præterita. gl. in Cl. ij. in fi. de rebus eccle. non alie. Abb. in c. fin. de conſtitutio.

Si in aliquo loco eſſet hodie conſuetudo, vt in quinto gradu non poſſet contrahi matrimonium, & ex contractu generaretur ſcandalum, non valeret matrimonium, licet in c. nõ debet. de conſang. & affini. permittatur hoc. glo. notabilis in c. ſuper eo. de cogna. ſpiri. & ratio eſt, quia conſuetudo concurrit cum omni iure antiquo, nec cenſetur ſublata per nouum, ex quo non reprobatur illud ius, & concurrit ſecum ſcandalũ: ſed vbi à principio nullum fuiſſet impedimentum, ſolum ſcandalum ſuperueniens nõ poteſt diſſoluere matrimoniũ, vt eſt glo. in d. c. ſuper eo. quod eſt notabile.

Conſuetudo ligat incolas, etiam ſolùm inhabitantes in loco. c. quod dilecto. de conſang. & affini. per quod videtur, quòd non liget extraneos, de quo per Dd. in rubri. de conſuetudine.

Conſuetudo inferens grauamen Eccleſiæ, non tenet.c.j.de conſue. quia non poteſt eſſe rationabilis, cùm ſit contra religionem Deo debitam & Sanctis eius: valet tamen priuilegium eiuſdem effectus.c. ſi propter.de reſcript.in 6.c. ij. de pœniten. & remiſſ.in 6. & per hoc infert Abb.in c.j.cõtra quoſdam ruſticos, nolentes ſoluere decimas Eccleſijs, niſi priùs aliquod munus tradatur à presbytero, & allegant conſuetudinem, quod eſt contra textum in c. decimas.xvj.q.vij. videtur tamen dictum, quòd ruſtici præſcriptione xl annorum nõ cum titulo, vel ſine titulo præſcriptionis, cuius memoria extat in contrarium, tueri ſe poſſint: vel ſi maior pars eccleſiarum ita ſeruat. Fred.de Senis conſil.clv.vbi ponit, an Parochiani vigore conſuetudinis poſſint conuenire Plebanum, vt det candelas benedictas in feſto Purificationis: hoc tamen intelligitur, quando affert magnum grauamen, quia conſuetudo contra Eccleſiam non reprobatur ratione cuiuſcunque grauaminis. facit textus in c.fin.de donat.in c.frequens.de reſtitu.ſpoliato.in 6. in l.ſcio.ff.de in integ.reſt.glo.in c.j.eod.titu.in 6.

Et nota dictum notabile Inno.in c. quod ſicut.de elect.vbi voluit, quòd poſſit induci conſuetudine, vt Eccleſia vacante Canonici non procedant ad electionem, niſi priùs morte Prælati Regi nuntiata, & poſtulato aſſenſu regio de procedendo ad nouam electionem, quod eſt notabile ſecundum Abb.d.c.j. & hoc dictum approbat etiam Abb.in c.j.de elect.in c.cùm inter vniuerſos

eod.tit.& ibi quærit, nunquid Papa, qui hodie prouidet Eccleſijs cathedralibus, teneatur requirere conſenſum Regis in illis locis, in quibus erat dicta cõſuetudo? & tenet quòd nõ: & mouetur, quia cùm Papa prouideat iure ſuo, nõ iure Capituli, & illa cõſuetudo ſit grauoſa eccleſiæ, nõ debet extendi de perſona ad perſonam: ſed aduerte, quia Abb. in d.c.j. in fi. de conſue. dixit, quòd talis cõſuetudo non affert magnũ præiudicium eccleſiæ: nam ſi afferret, nõ valeret, niſi dicamus, quòd omninò eſt grauoſa, ſed quia non affert magnum grauamen, valet: & ideo tanquam grauoſa non debet extendi. & iſtud dictum Innoc. dixit ſingulare Roma. in ſingularibus ſuis.

Ex conſuetudine poteſt introduci actus ſiue ſolennitas, per quem ſine apprehenſione reali transferatur poſſeſſio rei abſentis. caſus eſt ſingularis ſecundum Abb. in c. ex literis. de conſuetu. & facit ille textus ad illam quæſtionẽ, vtrum ſtatutum vel conſuetudo poſſit transferre poſſeſſionem ſine aliquo actu corporali apprehenſiuo ſeu figuratiuo poſſeſſionis apprehenſæ. & adde textum & Barto. in l. raptores. C. de epiſco. & cleri. & textum ſingularem in l. quamuis. ff. de bo. auctorita. iudi. poſſiden. Et valet ſtatutum, quòd fingatur poſſeſſio continuata in hæredem, de quo per Alexan. in l. cùm hæredes. in princ. ff de acquiren. poſſeſſ.

Et licet ex conſuetudine poſſit acquiri iuriſdictio. c. cùm contingat. de foro compe. non tamen valet conſuetudo, vt ſententia à non ſuo iudice lata teneat: eſt enim

enim irrationabile, vt valeat ſententia lata à non habente iuriſdictionem.c.ad noſtram.de conſuetu.

Conſuetudo nō poteſt operari, vt clericus non Epiſcopus, poſſit exercere ea quæ ſunt reſeruata ordini Epiſcopali. textus eſt notabilis in c.quanto.de conſue.& intellige etiā de conſuetudine vetuſtiſſima. Et ratio eſt, quia conſuetudo nō facit quem capacem, & ideo Io.An. in c. ij.de præbend. in 6.in nouella.dicit quòd quantocunque tēpore longo laicus exercuerit actum ſpiritualem, nunquam tamen illum poteſt præſcribere: nā poſſeſſio tanti temporis, cuius initij nō eſt memoria, habet vim tituli, quando datur capacitas in exercente, aliàs non: quod verbum dicit Abb.in d. c. quanto. commendabis memoriæ. Et hoc dictum Ioan. And. approbauit Abb. pro notabili in multis locis in c. nouit.de iudi. in c. Meſſana. in c. ſacroſancta. in c. quiſquis. de elect. in c. cum inſtantia. de cenſi. in c. quod autem. de iure patro. in c.fin. de pœniten. & remiſſ. in c.ad aures. de præſcript. & eſt gloſ.in c. nobis. in ver. de ſua iuriſdictione. de iure patrona.

Non valet conſuetudo, per quam ſententia interdicti violatur, c.cùm inter.de conſue. Et ſic contra vires ſententiæ cenſuræ non poteſt induci conſuetudo, nec cōtra eccleſiaſticā diſciplinam: vnde nulla eſt cōſuetudo contra honeſtatē, c.cùm decorem.de vita & honeſta. cleri.

Si hodie de nouo erigeretur ſtudiū generale in aliquo loco, deberet illa Vniuerſitas habere integrà priuilegia

authen.

authen.habita.C.ne filius pro pa.vt etiam in criminalibus haberent ſcholares iudices proprios, non obſtante quod ibi glo. dicat, quòd Dd. & ſcholares renuntiauerunt illi authenticæ in criminalibus per non vſum ſeu per conſuetudinem: conſuetudo enim nocet duntaxat in his locis, vbi viguit: ſed ex quo ſtudium erigitur de nouo, debet priùs recurri ad ius commune, vt notabiliter declarat Abb.in c.cùm olim.ad fin. de conſuetu.

Gerens actum contra iūs prætextu conſuetudinis prauæ, ex quo adhuc prauitas conſuetudinis non erat per ius declarata, nō debet puniri tanquam legis tranſgreſſor, ſed debet tolerari reſpectu conſuetudinis.gl. eſt notabilis in c.cùm venerabilis.de conſue.& eſt glo.in c. denique.iiij.diſt.quæ dicit, quòd licet praua conſuetudo excuſet quoad pœnam huius ſæculi, nō tamen quoad Deum, quod eſt notabile ſecundum Abb.in d.c.cùm venerabilis.& adde glo.in c.ij.de tempo. ordinan.

Et nota textum in d.c.cùm venerabilis. quod nòn poteſt induci ex cōnſuetudine, quòd quis poſſit dimittere dignitatē ſine ſuperioris licentia: vel, vt poſſit electus adminiſtrare non habita confirmatione à ſuperiore,& ob hoc, vt refert Abb.fuit caſſata electio cuiuſdam Prioris ſanctæ Crucis: per priuilegium tamē hoc quandoque Papa concedit, vt fratribus Carthuſienſibus.

Conſuetudo eſt optima legum interpres: & lege exiſtente dubia, debemus recurrere ad conſuetudinē loci,& ſi de ea apparet, non eſt recedendum ab illo intellectu,

lectu, quem conſuetudo tribuit. textus eſt in c. cùm dilectus. de conſuetu. facit quod habetur in l. minimè. in l. ſi de interpretatione. ff. de legibus.

* *Vicarius Epiſcopi debet præferri Archidiacono, quia facit idem tribunal cum Epiſcopo, & habet iuriſdictionem ſuper Archidiaconum: nec valet cõſuetudo in contrarium tanquam ſit contra honeſtum. ita notabiliter conſuluit Abb. in ſuo conſil. xxj. vel xxij. in j. lib.*

Tranſgreſſor cõſuetudinis debet puniri ſicut tranſgreſſor legis. c. in his. xj. diſt. quod intellige de conſuetudine rationabili: nam conſuetudo irrationabilis eſt extirpanda. c. quanto. c. cùm venerabilis. de conſuetu. c. mala conſuetudo. viij. diſt.

* *Non valet conſuetudo, inducens pronitatem ad peccandum. c. ex parte. de conſuetu. Et eodem modo dicendum eſt de ſtatuto ſecundum Abb. ibi. & ratio eſt, quia lex debet eſſe rationabilis, ſancta & honeſta. c. erit autem lex. iiij. diſt. facit quod voluit Ange. in l. teſtamenti. ff. de teſtamen. textus in l. conuenire. ff. de pact. dotali. in l. ſi à reo. §. item quod vulgo. ff. de fideiuſſo. & quod ibi per Barto. l. j. cum glo. ff. de eo quod certo loco. l. in commodato. in prin. ff. commo. & quod voluit Bart. in l. cùm lex. ff. de legibus. Bald. in l. j. in vj. col. C. de his quæ pœnæ nomine. in l. eam quam. in xij. col. C. de fideicommiſſ. & ibi dixit, quòd non poteſt Princeps legitimare naſcituros ex aliquo, qui adhuc non ſunt concepti.*

Poteſt quis ſe defendere contra antiquam conſuetudi-

tudinem, allegando eius irrationabilitatē, & quod nutriat peccatum, vt in d.c. ex parte. & non ſolùm poteſt adiri iudex eccleſiaſticus, ſed etiā ſæcularis: quia etiam ad iudicem ſæcularē ſpectat obuiare peccato. ita Abb. in d.c. ex parte. facit quod voluit Bar. in l. ſub prætextu. ff. de varijs & extraordina. crimi. vbi dixi, quòd poteſtates & capitanei terrarū poſſunt videre ſtatuta, & ordinamenta iſtorum diſciplinatorum: et ſi repererint ibi aliquid quod nō ſpectat ad religionē, poſſunt illud Collegiū diſſoluere. & idem voluit Bal. in c. j. §. cōuenticula. in tit. de pace iura. firman. vbi etiam dicit quòd coguntur iſti edere ſua ſtatuta Epiſcopo, & Epiſcopi contra malas conuentiones habent iuriſdictionem à iure. d. §. conuenticula. Adde etiam Bald. in l. j C. de monopolijs. in l. collegium. C. de hære. inſtituen.

Et quia dictū eſt ſuprà, quòd non valet cōſuetudo vel ſtatutū, quòd homicida puniri debeat pœna pecuniaria, quia inducit talis conſuetudo pronitatē peccandi: addo quod idem voluit Abb. in c. fi. de conſue. & licet allegetur Bart. quòd voluerit contrariū in l. j. ff. quod quiſque iuris. in l. pen. §. ad crimē. ff. de publi. iudi in l. j. ff. vi bono. rapto. tamē ſemper mihi viſum eſt, quòd nō poſſit allegari ad hoc: quia licet faciat mentionē de tali ſtatuto quod viget in aliquibus locis, tamē per hoc nō concludit, quòd tale ſtatutū vel conſuetudo valeat, quia ſtatuētes volunt, quòd ſua ſtatuta ſeruētur ſiue valeant ſiue non: non enim dicit Barto. decidendo tale ſtatutum valere.

Mala

Mala eſt conſuetudo, quæ punit totam Parochiam vel villam pro delicto vnius, cùm cæteri non ſint in culpa. Bald. in c. fin. de conſue.

Quando dicatur conſuetudo rationabilis vel irrationabilis, relinquitur iudicis arbitrio: communis eſt opinio in c. fin. de conſuetu. & adde glo. in c. j. de conſti. in 6. in verbo, rationabilia.

Omnia iura canonica dicunt, quòd conſuetudo debet eſſe præſcripta, intellige, id eſt, obtenta per curſum tẽporis requiſiti ad præſcriptionẽ. Abb. in d. c. fi. & Bal. in l. de quibus. ff. de legi. exponit præſcripta, id eſt, roborata ſeu firmata. Et dicit, quòd conſuetudo reſultat ex communi aſſuefactione totius vel minoris partis populi.

Conſuetudo nõ poteſt induci, niſi ab habentibus poteſtatem legis condendæ. l. de quibus. ff. de legi. & ideo dixit notabi. Bar. in l. j. in fi. ff. de legi. quòd vſus & mores mulierum non introducunt conſuetudinem, quia non poſſunt mulieres legem condere, vt in l. j. ff. de legi. quod eſt notabile ſecundum Abb. in d. c. fi. de conſue. & hoc dictum pro ſingulari refert Romanus in ſuis dictis ſingularibus, et Bal. in l. de quibus. ff. de legi. dicit, quòd talis ſit populus, qui poſſit ſtatuere: nam ſi non poteſt in expreſſo, nec in tacito, cùm vtrobiq; requiratur par potentia cauſæ efficientis: & ideo, ſi ſtatuto ciuitatis caueatur, quòd ſyndici villarũ teneantur denũtiare maleficia, et quadã villa ſtetit per centũ annos, quòd in ea nõ fuerunt denũtiata maleficia: tamẽ iſta cõſuetudo eſt inualida

lida, cùm illi de illa villa non habeant poteſtatem ſtatuendi, niſi iſta conſuetudo eſſet expreſſè approbata per ſuperiorem.

Vbi ius requirit antiquam conſuetudinem, requiritur tempus, de cuius initio non eſt memoria: ita voluit Anto. de Bu. in. d. c. fin. de conſuetu. dicit tamen ibi Abb. quòd originaliter fuit dictum Io. Monachi. & Archi. in c. generali. de elect. in 6. ſed hoc reprehendit Abb. per textum in l. de quibus. ff. de legi. vbi conſuetudo dicitur inueterata, licet ſit obtenta per tempus x annorũ: quia non importat plus antiquata quàm inueterata. & licet in apoſtilla Abbatis fiat vna diſtinctio, quòd aut iſta verba antiqua, & ſicut ab antiquo proferuntur ſimpliciter ſine alio adiuncto, & tunc importãt tempus, cuius non extat memoria in contrarium: ſecùs ſi diceretur antiqua conſuetudo, quia in materia conſuetudinis talia verba non intelliguntur pro tempore, de cuius initio non extat memoria in contrariũ. d. l. de quibus. Hoc videtur eſſe contra textum & glo. in c. cùm contingat. in c. cùm in tua. de decimis. vbi habetur, quòd dicitur res ad aliquem pertinere ab antiquo, quando illam præſcripſit: & tamen illud verbum ſimpliciter profertur ſine alio adiuncto. & notat Abb. in d. c. cùm contingat.

Ex actu iudiciario inducitur cõſuetudo, puta quia iudex iudicauit contra legem populo ſciente & nõ contradicente, vnde actus iudicialis ſufficit ad probandum conſuetudinem, non vt actus iudiciarius, ſed quia per illum

illum actum detegitur conſenſus populi. Abb. in d.c. fin. de conſuetu. de quo etiam per Abb. in c. Abbate. de verborum ſigni. Si vnicus actus habet cauſam ſucceſſiuam, ſufficit ad inducendum conſuetudinem, ſi habuit continuationem per tempus, intra quod inducitur conſuetudo. textus eſt ſingularis in c. cùm de beneficio. de praben. in 6. & idem dic, ſi adificaretur pons in publico, & haberet cauſam permanentem. ita Abb. in d.c. fina. ſed Bar. in l. de quibus. ff. de legi. quarit, nunquid vnus actus multùm notorius toti populo ſufficiat ad conſuetudinem inducendam, & concludit quòd non, quia conſuetudo requirit frequentiam actuum. l. j. & ij. C. qua ſit long. conſue. l. ſed an in totum. C. de adifi. priua. & ea qua vno caſu contingunt, non dicuntur frequenter fieri. l. ex his. l. nam ad ea. ff. de legi. Vnicus actus interueniens contra conſuetudinem, non interrumpit conſuetudinem completam, ſed oportet quòd tollatur eo tempore & modo, quibus fuit inducta: quia iam lex eſt, & ideo debet tolli tanquam lex, & ſufficit tempus decem annorum ſecundum Abb. in d.c. fin. & ita intellexit gl. notabilis in l. nemo. §. temporales ff. de reg. iur.

Principalis & fundamentalis differentia inter conſuetudinem & praſcriptionem eſt iſta, quia ex praſcriptione acquiritur ius priuato, ſiue illud ius trahatur ex publico, ſiue ex priuato: conſuetudine verò non acquiritur ius alicui priuato, ſed in publico vndecunque cauſetur, etiamſi ius trahatur ex priuato. l. venditor. §. ſi cō-

ſtat.ff.communia prædiorum: nam conſuetudo eſt lex, quæ debet eſſe communis.c.erit autem lex.iiij.diſt.ſi ergo acquiritur priuato, non poteſt dici lex, quia non eſt communis:item in præſcriptione contra ius requiritur titulus.c.j.de præſcript.in 6.ſecùs in cõſuetudine: nam in conſuetudine cùm ſit quædam lex,inſpicitur ſola voluntas ſeu tacitus conſenſus:iſta ſunt verba Abb.in d.c. ſi.qui dicit,quòd ſunt aliæ differentiæ,ſed iſtæ ſunt fundamentales & præſtantiores.& addo notata per Inno. in c.dilecto.de offi.Archi. per Bald. in l.ſi quis ad declinandam.C.de epiſco.& cleri.in auth. quas actiones.C. de ſacroſan.eccle.Io.And.in c.iij. de conſuetu. in 6.Abb. in conſil.vj.ij.lib. Alex. conſil. lxxvij.ij.lib.& in l.more.ff.de iuriſdict.om.iudicum.

Non valet conſuetudo contra ius naturale, quia naturalia iura ſunt immutabilia.§.ſed naturalia. Inſtit. de iure natu.gentium & ciui. & ideo dicit Abb.in c. fina.de conſuetu.quòd ſi haberet conſuetudo, quòd filij non educarentur à parentibus,non valeret,quia de iure naturali ſunt eis debita alimẽta.facit quod voluit Bal. in l.j.ff.de conſtit.Princi.quòd Princeps non poteſt facere,quòd alimenta non debeantur: & ideo dixit Spec. in tit.qui filij ſint legiti.§.j.ver.ſed pone. quòd ſi filius fecit pactũ cum patre,quòd non peteret alimenta,non obſtante pacto poterit petere, quia hoc eſſet contra ius naturale.Bart. in l.ſi quis à liberis.§.ſi vel parens.ff.de libe.agnoſcen.Roma.in l.alia.§.eleganter.ff.ſolu. matri.

tri.in l. j. in vlti. col. eod.titu. quòd non valet pactum, quòd pater non teneatur dotare filiam.

Non valet conſuetudo contra vtilitatē publicam.ſicut nō valet lex.l.fi.C.ſi contra ius vel vtilitatē publicam.Notat Abb.in d.c.fin. de conſuetu. quod dicit eſſe notabile.

Si præcedit lex derogatoria ad conſuetudinem, non valet conſuetudo ſequens ſecundum Barto.in l. de quibus.ff.de legi.quem refert Abb.in d.c.fi. quod dicit eſſe notabile.ex hoc infertur ſecundum eum, quòd conſuetudo ſemel à lege reprobata non poteſt amplius induci: limitat tamen hoc,quòd ſi ſubeſſet ratio noua,quæ non ſuberat tempore legis damnantis conſuetudinem,quòd tunc poterit de nouo induci, de quo etiā per Abb.in c.ij. de proba.& addo quod notat Barto. in l. cunctos populos.in vij.col.C.de ſumma tri.& fide catho.Cyn.in l. ij. C.de contrahen.empti.glo.in c.j. in verbo, expreſſè, de conſtitu.in 6. tenet, quòd quando ius commune reſiſtit conſuetudini,quòd contra illud ius non poſſit noua conſuetudo creari.& pro clariori concluſione in hac materia notabili tu potes dicere, prout ex intentione multorum concludit Domi. in d. c. j. ex cuius dictis colligo iſtos caſus, quorum primus eſt, ſi ius commune reſiſtit conſuetudini, declarando ipſam irrationabilem, vel ipſam improbando,tunc noua conſuetudo contra illud ius induci non poteſt.allegat glo.fina.& ibi Dd. in Cl.ſi vna.de rebus eccle.non alienan. Innoc. in c. ex parte.de

conſuetudine.Secundus caſus eſt,ſi ius commune reſiſtit conſuetudini,tantùm ad finem,vt præteritam conſuetudinem tollat.& hoc conſtat, quia non facit mentionem de conſuetudine,niſi vt illam tollat, quæ non tolleretur aliter, vt in c.j. de conſtitu.in 6.& tunc contra tale ius poſſet induci noua conſuetudo:& ita intelligatur glo.in Cl.ſtatutum.de elect.allegat Petrũ de Peruſio in tract.de canonica portione,circa finem in v. q.vbi tenet, quòd contra Cle. dudum. de ſepulturis. poſſit induci noua conſuetudo, dicens: quòd illa Cle. non improbat conſuetudinem,ſed de ea facit mentionem,vt illam tollat,quia aliter non fuiſſet ſublata conſuetudo. Tertius caſus eſt,ſi ius commune ſimpliciter tollit conſuetudinem, nec apparet de fine quare lex illam tollat, & lex diſponat ſuper his quæ ſunt ſeruata in priuilegiũ Principis, & videtur tollere conſuetudinem etiam de nouo creandam.gl.in c.j.de clerico ægrotan.in 6.Quartus caſus eſt,ſi lex non diſponit in his quæ ſunt reſeruata Principi,tunc ſi iuuatur noua ratione ſeu vtilitate, & valet cõſuetudo,argumento.text.in c.j. de conſti.in 6.ſed ſi non iuuatur noua ratione, nõ valet, quia ex quo habet repugnantiam iuris reuocantis conſuetudinẽ,in dubio præſumitur irrationabilis,& ita voluit gl.in d.c. j. Quintus caſus eſt, ſi lex non reuocat conſuetudinem, nec de ea facit aliquam mentionem,ſed reprobat quandam rationem, & tunc licet lex non formaliter tollat conſuetudinẽ,tamen contra illam legẽ non poſſet noua

con-

conſuetudo creari. allegat Paulũ in Cl. j. de elect. ſuper verbo, eligatur. vbi tenet quòd cõtra illam Clemen. non poſſet induci noua conſuetudo per illum textum, & tamen ibi nulla ſit mentio de conſuetudine: & poteſt eſſe ratio, quia ex quo lex improbat rationem, & conſuetudo irrationabilis nõ valeat, ſequitur, quòd talis conſuetudo tanquam ratione carens, poſtea eſſet inualida: cuius dictum dicit Dominicus, credo verũ, niſi noua conſuetudo alia ratione probabili iuuaretur, prout dictum eſt ſuprà.

Si ciues faciunt ſtatutum contra ſuam conſuetudinem, tollitur conſuetudo, licet de ea nõ faciant mentionem, quia ciues præſumuntur ſcire ſuam conſuetudinem, & ſic ceſſat ratio. c. j. de conſtit. in 6. ita Abb. in d. c. fina. in fin.

Conſtitutio antiqui iuris declaratoria trahitur ad præterita, etiam dato, quòd habeat in oppoſitum cõtrariam conſuetudinem obſeruatam, quando declaratur conſuetudinẽ fore irrationabilem. textus in c. j. de conſuetu. in 6. & vbi per Dominicum.

Conſuetudo pro ſubſtantia requirit rationabilitatem. textus vbi Domi. in c. nõ putamus. de conſue. in 6.

Cùm in conſuetudine populus declaret ſuam voluntatem. l. de quibus. ff. de legi. conſtat, quòd circa ius ſuperioris nihil declarare poſſunt, quibus manet neceſſitas obſequendi, non imperandi auctoritas. text. glo. & Dd. in d. c. nõ putamus. de conſue. quod tamen intellige,

quando talis conſuetudo eſſet cõtra ſubſtantiam actus, vt in d.c.non putamus.ſed ſi non ſit cõtra ſubſtantiam actus,& ſubſiſteret patientia ſuperioris,cui præiudicaretur,tunc valeret conſuetudo contra ius ſuum. Domi. in d.c.non putamus.

Quod poteſt fieri per pactum, poteſt etiã introduci cõſuetudine,& econuerſo id,quod nõ poteſt fieri per pactum,nõ poteſt introduci conſuetudine.gl.in d.c.nõ putamus.quod intellige ſecundũ Domi.ibi quòd iſtud argumentum procedit, quando ratio,quare nõ valeat pactũ,concludit ad conſuetudinẽ:vbi verò non cõcludit ad conſuetudinẽ,vel econtrà nõ procedit argumentum;de quo ibi per eũ.& adde Bar.in l.j.§.familiæ.ff. de publica.quod poteſt fieri per pactũ, poteſt fieri per ſtatutũ. allegat notata in l. non impoſſibile.ff.de pac.in l.nec ex prætorio.ff.de reg.iur.gl. in rub.C.de decre.decurio.lib. x.& in d.l.nec ex prætorio.dicit quòd nõ poteſt fieri per pactũ ratione turpitudinis, nõ poteſt fieri per ſtatutũ: ſi autẽ non poteſt fieri per pactum,quia cõtra publicam vtilitatẽ,poteſt fieri per ſtatutũ,quia Reſpub.poteſt derogare ſuæ publicæ vtilitati,de quo per Bar. in l.omnes populi.ff.de iuſti.& iur. in l. non impoſſibile.ff. de pac.

Conſuetudo an extendatur de caſu vero ad fictum, ponunt Dd.in c.fin.de conſuetu.in 6. Et conclude,quòd ſi conſuetudo non eſt contra ius,ſed præter,tunc extenditur ſicut arguitur à contrario ſenſu. Bart.in d.l.omnes populi.ſecùs ſi eſt contra ius.

Lex & conſuetudo differunt ſicut inſtantaneum & ſucceſſiuum, quia ſtatutum vno inſtanti fieri poteſt, ſed conſuetudo ſimilis eſt homini, quæ non perficitur niſi temporis curſu, & niſi ſit, vt ita dixerim, prouectæ ætatis: lentiori igitur paſſu procedunt potius tacita quàm expreſſa, quia non ſunt ita certa, neque ita ſolennia ea quæ ex coniecturis veniunt ſicut ea quæ expreſſa ſunt, verba ſunt Bal. in l. de quibus. in ij. col. ff. de legibus.

Vbi lex non eſt omninò lata, procedimus in conſuetudine vltra tenorem conſuetudinis per ſimilitudinem: ſed vbi lex eſt in pluribus caſibus ſimilibus lata, & eſt in vno caſu per deſuetudinem abrogata, tunc conſuetudo nõ extenditur ad alterius caſus correctionem. l. præcipimus. in fi. C. de appel. quia legum correctio eſt odioſa. Bal. in d. l. de quibus.

Conſuetudo, quæ eſt contra auctoritatem legis ſuperioris, non valet, quia minor auctoritas nõ tollit maiorem. & hoc eſt vbicuuq; ſuperior, hoc eſt Imperator, prohibet cõſuetudinem authen. nauigia. C. de fur. concluſio eſt Bal. in d. l. de quibus.

Bona eſt conſuetudo, quæ cõtinet bonum, honeſtum, vt nõ eatur de nocte, quia malè agens odit lucem. l. j. ff. de vent. inſpi. item bona eſt conſuetudo, quæ cõtinet bonum cõmune, id eſt vtile Reipub. & ideo eſt bona cõſuetudo, quòd in cauſis dotiũ ꝓcedatur ſummariè, & quòd inſtrumẽta mandentur executioni & ſimilia. Bona eſt etiam cõſuetudo, quæ cõtinet bonum honorabile, quod

doctorandi doctorentur publicè, nõ ſecretè, quia eſt honor publicus: item, quòd debeant portare certum habitum, quia habitus virum oſtendit: mala autem eſt conſuetudo, quæ inducit malum culpæ, vt conſuetudo, quòd liceat fœnerari ad duos denarios pro libra, quia ordinat ad delicta: ergo conſuetudo, quæ de vitijs facit mores, nõ valet, quoniam ineſt ſibi vitiũ à radice: malè enim adinuenta maláque conſuetudines, nec ex longo tempore, nec ex longa conſuetudine confirmantur: & conſuetudo fouens malos mores, & inducens peccatum, non tollit legem: Imperator enim, qui dat cõſuetudinibus auctoritatem, nõ intendit per hoc eſſe auctor delictorum: quod enim ipſe nulla ratione concederet alijs committere non videtur. Et ſi conſuetudo inducat malum pœnæ, id eſt pœnã quadam occaſione prætenſa infligat innocenti, ſi talis pœna poteſt deduci in pactum, vt pœna pecuniaria, valet conſuetudo: aut non poteſt deduci in pactum, vt pœna corporalis, non valet conſuetudo: iſta ſunt pulchra verba Bal. in d. l. de quibus.

In conſuetudine requiritur frequentia actuum, quia textus in d. l. de quibus loquitur in plurali, moribus. §. ex non ſcripto. Inſti. de iure natura. gen. & ciui. l j. C. quæ ſit long. conſue. l. an in totũ. C. de ædifi. priua. & an duo actus ſufficiant, dicunt Dd. quòd de numero actuum non poteſt dari certa regula: poſſunt enim eſſe actus multùm nominati in populo, & tunc ſufficiunt duo actus vallati temporis adminiculo. Poſſunt eſſe alij

actus

actus parum ſciti in populo, & tunc requiruntur plurimi actus: ergo in cauſis grauibus, quæ non dirimuntur ſine magno ſtrepitu & longo certamine ſufficiunt duæ ſententiæ, quia perueniunt veriſimiliter in notitiam gentium. ſed in cauſis leuibus, & maximè vilium perſonarum, non reſonat ita negotium, nec efficitur notorium: & ideo actus debent eſſe ſæpiſſimi, & per multas manus iuiſſe, ita, quòd ſit veriſimile, quòd populus ſciuerit & ratum habuerit, et probata publica fama eſt ſatis probata ſcientia populi. Bal. in d. l. de quibus.

Ad hoc, quòd conſuetudo inducatur, non exigitur actuum validitas: nam etiam per actum nullum voluntas comprobatur, & verè eſt de neceſſitate, quòd cōſuetudo inducatur ex actibus nullis: nam valet cōſuetudo, quòd ſententia feratur ſtādo vel ſine ſcriptura, vel quòd recitetur per aliū: et hoc nō poteſt fieri niſi per ſententias latas, hoc modo, quæ nullæ fuerunt à principio, nec roborantur ex ſuperuenienti robore cōſuetudinis, quia virtus cōſuetudinis non fingit retrò. Bal. in d. l. de quib.

Ex actibus arbitrorum inducitur conſuetudo in eodem ſtylo, id eſt coram arbitris, ſed illa cōſuetudo non extenditur ad vera iudicia, quod intellige de modo procedendi: ſecùs ſi actus reſpiciunt facti rationem & naturam, & tunc vbique valet: vt ſi ſæpiùs eſt pronuntiatum per arbitros, quòd primogenitus ſuccedat, nam conſenſus firmat ſententiam latam à prorſus priuatis. Bal. in d. l. de quibus.

Si negatiua cōſuetudo poteſt elici ex actibus, præſcribi poteſt, aliàs ſecùs. Concluſio eſt Bal. in d. l. de quibus.

Ex actibus excommunicatorū poteſt introduci conſuetudo, quia licet ſint excommunicati, habent tamen conſenſum, concluſio Bal. in d. l. de quibus.

Conſuetudo ligat infantes & furioſos, quia Reſpub. poteſt ligare vniuerſos & ſingulos, etiam infantes. l ſi ſine. §. Lucius. ff. de adminiſtra. tuto. ad pœnam tamen nulla conſtitutio ligat non capaces delicti. Bal. in d. l. de quibus.

Conſuetudo ligat abſentes ſicut præſentes, quia ſi ligat non natos & pupillos: ergo abſentes. Bald. in d. l. de quibus.

Conſuetudo permiſſiua extēdit virtutē ſuam ad omnes forēſes, quia vtendo cōſuetudine cōſentiunt in ipſa, ſed ſi conſuetudo eſt cōpulſiua, prohibitiua vel pœnalis, nō ligat immediatè, ſed mediante aliquo facto vel delicto intra territorium cōmiſſo, tunc ligat, quia cōſentire videtur qui delinquit. iſta eſt concluſio Bal. in d. l. de quibus.

Si eſt conſuetudo, quòd inſtrumenta mandentur executioni, niſi ſint elápſi decem anni, poteſt Eccleſia & clericus vti beneficio conſuetudinis, dum tamen non ſint elapſi decem anni, quia nō poſſunt formam conſuetudinis mutare. concluſio Bal. in d. l. de quibus.

Si conſuetudo iam erat præſcripta, nihil operatur actus cōtrarius: ſi autem erat præſcribenda, tunc eſt interru-

terrupta, ſi talis actus eſt publicus & notorius. glo. notabilis in l. nemo. §. temporales. ff. de regu. iur. & ſic actuum deformitas reddit cõſuetudinem impræſcriptibilem, quia varia rerum obſeruantia non dicitur conſuetudo, concluſio Bal. d. l. de quibus.

Poteſt induci per conſuetudinem, quòd non valeat conſuetudo de præterito, de futuro non, quia tacita non poßunt habere clauſulam derogatoriam, & in dubio præſumendum eſt conſuetudinem ex iuſta cauſa proceßiße. concluſio Bal. in d. l. de quibus.

Dicit teſtis quòd ita eſt conſuetudo, interrogatus de cauſa ſcientiæ, dicit quòd ita audiuit & vidit obſeruari, practicari & fieri in palatio Communis & populi publicè & notoriè longo tempore in multis litibus & cauſis, & in omnibus, quibus ipſe interfuit, interrogatus, ſi potuißet eße & fieri contrarium eo neſciente, reſpondet quòd ſic: hic teſtis reddit bonam rationem. Bal. in d. l. de quibus. & ſi habet conteſtem, probat, etiamſi vterque reddit eundem ſermonem, quia eſt ſermo iuris neceßarius prolationi. Non obſtat, quòd ſi dixit ſe neſcire contrarium, quia non præſumitur contrarium: ſi ergo teſtis aßertio eſt ſufficiens, illa adiectio non vitiat, quia id quod eſt poßibile, non præſumitur verum ſecundum Bald.

Ex non actibus poteſt probari cõſuetudo, quia ſi implicant contemptũ legis, tunc ex omißo inducitur conſuetudo: quia ille, qui contemnit aliquid, facere videtur:

tur:probatur autem contemptus, vel quia expreſſè contemnitur, vel quia monitioni hominis vel legis certum terminum aſsignantis nunquam paritum eſt: ſed ſi omnia ſilent, lex & homo, nõ fit conſuetudo, nec inductitia de nouo, nec derogatoria legis antiquæ, quia derogatio non fit niſi ex contrarijs: item, ſi conſuetudo excluderet formam, vel ordinem legis, ex tali abuſu fit conſuetudo. l. rem non nouam. C. de iudi. quia negligentia formæ in actibus exercitis eſt diſſuetudo. Bald. in d. l. de quibus.

Libellus, qui eſt contra conſuetudinem, poteſt lacerari per iudicem, ſicut ſi eſſet contra legem ſcriptam. glo. habes notabilem in d. l. de quibus. quod Bald. ibi dicit eſſe notabile.

Sicut conſuetudo interpretatur legem, ſic lex interpretatur conſuetudinem. textus eſt notabilis in c. cùm dilectus. de conſuetu. ſecundum Bald. in l. ſi de interpretatione. ff. de legi.

Quæro, an pro omni grauamine debeat ſuccurri Eccleſiæ contra conſuetudinem? Et reſpondeo quòd ſolùm pro magno & non pro modico, quia ex quo inducta eſt conſuetudo, licet in aliquo grauet Eccleſiam, ſtandum eſt ei, vt notant Dd. in c. j. de conſuetu. vbi gloſ. & hoc propter auctoritatem conſuetudinis tenetur Eccleſia tollere incommoda non multùm lædentia: ex quo infert Cardinalis in d. c. j. quòd ſi eſt conſuetudo, quòd presbyteri teneantur ſuis Parochianis in Paſchate dare agnum paſchalem, vel quid aliud, ſi eſt tale quid, pro-

propter

pterquod multùm Eccleſia grauatur, non valet, aliàs ſecùs: ſed an illud, quod dicitur de cõſuetudine grauante Eccleſias, habeat etiam locum in clericis, & dicas quòd ſic ſecundum Hoſti. & Cardi. in d. c. j.

Si ex conſuetudine non licet coniugato dicere, Tu es bonus homo, poteſt agi actione iniuriarum, quia per hoc ſignificatur quòd vxor eius ſit adultera. Cardina. in c. ex literis. de conſuetu.

Quæritur quot ſunt ſpecies conſuetudinis? Et reſpondeo quatuor. Generaliſſima, exemplum, quando eſt inter omnes catholicos, vt orare verſus Orientem. c. eccleſiaſticarum. xj. diſt. Generalis eſt, quam non ſolùm ciuitas, ſed tota prouincia ſeruat. c. ex tuarũ. de aucto. & vſurpa. c. cùm Eccleſia. de elect. Specialis autem eſt, quæ in vna ciuitate locum obtinet. l. venditor. §. ſi conſtat. ff. communia prædiorum. Specialiſſima verò eſt, vt patrisfamilias. l. vel vniuerſorum. ff. de pignoratitia actio. l. qui ſemiſſes. ff. de vſur. & hæc inducit præſumptionem, cui ſtatur donec probetur contrarium ſecundum Hoſti. quem allegat Cardina. in c. cùm dilectus. de conſuetu.

Quæritur, an valeat conſuetudo, quæ eſt in quibuſdam locis, quòd vxor ſuccedat in bonis mobilibus, etiamſi relinqueret filios. & Rota tenet quòd ſic, vt refert Cardina. in c. ex parte. de conſue.

Conſuetudo non derogat legi, quando eſt expreſſè reprobata à lege: poteſt enim reprobari tanquam mi-

nus rationabilis, & dicitur reprobari eo ipſo, quod in l. canonica vel ciuili dicitur, non obſtante conſuetudine, & licet glo. in Cl. ſtatutum. de elect. velit, quòd tollatur tantùm conſuetudo præcedens, tamen Cardina. ibi & in c. fi. de conſue. tenet contrarium, quia lex ſemper eſt in viridi obſeruantia. l. Arriani. C. de hære. et ſemper loquitur & concernit futura: dicit tamen Cardina. in d. c. fi. quòd ſi cõſtat de ſcientia & tacita patientia Principis, ſtabitur cõſuetudini non rationabili: videtur enim approbare ex quo non reprobat, non enim poſſet ſine periculo tolerari, niſi approbaret, quia obſeruantes eam eſſent in peccato, nec obſtat c. cùm iam dudum. de præben. quia loquitur de patientia non ita longæua, nam mala quandoque tolerantur ad tempus. hoc tamen dictum Cardina. non videtur procedere ſine dubio per ea quæ iam dicta ſunt.

Si conſuetudo eſt contra bonos mores, conſenſus Principis nullum robur tribuit, vt notabiliter voluit Inno. in c. ad noſtram. de probat. quod eſt ſingulare ſecundum Cardi. in d c. fin.

Conſuetudo eſt ius moribus illius inſtitutũ, qui auctoritate publica ius condere poteſt. Io. An. in c. fina. de conſue. & ex hoc infertur, quòd ex moribus vnius hominis, puta Principis, poteſt induci conſuetudo. & idem in alio, qui poſſet condere ius: hinc dicitur, quòd mos Papæ, quem ſeruat in curia ſua, facit ius. c. ex literis. de conſtitu. communiter tamen cùm de conſuetudine loquimur,

mur, attendimus eam quæ cauſatur à tacito conſenſu alicuius Vniuerſitatis totius vel maioris partis, intelligendo quòd ſit Vniuerſitas, quæ poſſit in loco cōdere ius.

Si quæritur, in quo differt conſuetudo ab vſu? Dicitur quòd conſuetudo ſonat in ius, vſus in factum: vnde, quando dicitur conſuetudinis vſusq́ue longæui, exponitur, id eſt cōſuetudinis introductæ per vſum longæuum.

In quo differat conſuetudo à ſtylo? Dicit Petrus de Bel. Perti. quòd ſtylus eſt ius non ſcriptum, vſibus introductum ab vno iudice ſtylatum: & in hoc differt à conſuetudine, quæ eſt ius introductum vſibus plurium, vt à populo. et de ſtylo exemplificat in eo quod lex dicit, quòd libellus in ſcriptis debet edi, niſi in breuioribus litibus, & quæ tales ſint, lex non determinat: vnde, ſi iudex vſus eſt in cauſis xx ſolidorum non exigere libellum, talis dicitur ſtylus: ſed Io. An. dicit, quòd ſtylus eſt conſuetudo vel vſus in ſcribendo ratione͂. c. quàm graui. de crimine fal. vnde dicitur à ſtylo, quo ſcribitur in cera vel tabula. Bal. in l. de quibus. ff. de legi. dicit: Conſuetudo eſt ducis Venetorū, quòd literæ ſuæ ſint bullatæ bulla plumbea: certè non ſeruata bulla, nō valent literæ, quia quotiens ſtylus infringitur, nō valet quod agitur. l. ſacri affatus. C. de diuer. reſcriptis. nota tamen, dicit Bald. quòd illa nō eſt propriè conſuetudo, ſed ſtylus, quia Dux, ſicut Epiſcopus, non facit corpus vniuerſitatis, quia non eſt pluralis, nec poteſt ei addi ſignificatio, quæ ex vniuerſis ſumitur: nimirū ergo, ſi non inducitur cōſuetudo

quia

quia non eſt commune præceptum ſeu vniuerſale volitum, id eſt voluntas vniuerſorum.

Quæ dicatur conſuetudo rationabilis? Et reſpondetur, quòd ſi conſuetudo non eſt contra legem diuinam ſeu gentium, ſeu poſitiuam, eo ipſo cenſenda eſt rationabilis, quòd non apparet irrationabilis: nam conſuetudinis magna eſt auctoritas. l. ij. C. quæ ſit long. conſue. ſurgit enim eius auctoritas ex quadam tacita conuentione eorũ, inter quos eſt conſuetudo. c. illa. xij. diſt. & ibi glo. quam intellige, quòd loquatur de conſuetudine præter ius; & qui hoc caſu dicit irrationabilẽ, hoc probet: ſi autem conſuetudo eſt contra legem, tunc eo ipſo dicitur irrationabilis, non enim debent inferiores propria voluntate venire cõtra id, quod à ſuperiore ſtatutum eſt. xj. diſt. c. conſequens. & c. ſeq. Et hoc vult textus in d. c. fina. cùm dicit, quòd conſuetudo non præiudicat iuri poſitiuo, niſi ſit rationabilis quaſi prima facie præſumatur irrationabilis: nam arguitur temeritas eorum, qui contra ius inducunt conſuetudinem. c. quanta. de conſue. in ver. præſumat. c. quæ contra. viij. diſt. cum ſeq. alleganti ergo conſuetudinem incumbit probatio, quòd ſit rationabilis, & poterit eſſe rationabilis, dato, quòd ſit contra ius, vt quia aliqua ratione particulari fuit inducta, propter quam veriſimile eſt, quòd Princeps conceſſiſſet veniri contra ius. c. cùm dilectus. de conſue. Et ſi tu vis habere exempla de rationabili cõſuetudine, vide in c. certificari. de ſepulturis. in c. de

trina.

trina.de conſe.diſt.iiij.in c.ſuper eo de cognat.ſpiri.in c.j.xvj.diſt.in c.vtinam.lxxvj.diſt.in c. cùm omnes. de conſti.in c.j.de cleri.ægrotan. in c.ex parte. de conceſſ. præben.in c.cùm ad quorundam.lxxxiiij. diſt. in c. pudenda.xxiiij.q.j.in l.item eorum.in prin.ff.quod cuiuſque vniuer.nomi.in l.et ſi ſine.§:Lucius.ff.de adminiſt. tuto.in l.iij.§.non tantùm.ff.quod vi aut clam.in l. non tãtùm.ff.de decurio.in l.ſemper.§.legem.ff.de iure immu.in l.fin.C. de teſtamen.in l. miſſi.C. de exacto. tributo.lib.x.in l.j.C.quæ ſit long.conſue.in l.j.C.de peti. bono.ſubla.libr.x. in l.ſi fundus.ff.de euictio.in l.cùm de laneonis.§.aſinam.ff. de fun. inſtruct.in l. ſi ſeruus plurium.§ fi.ff.de lega.j.in l.vel vniuerſorum.ff. de pignora.actio.in l.excepto.C.locati. in l.ſi publicanus.in fin. ff.de publica.in l.parabolani.C.de epiſc. & cleri. in l.j. §.fi.ff.de vent.inſpi.§.pauonum.Inſti. de rerum diuiſio.

Et valet conſuetudo, quòd inſtallatio, quæ de electo per ſuperiorem fit, habeat vim confirmationis, quia conſuetudo poteſt inducere, quòd vnus actus habeat vim alterius.c.ij.de conſue.et in confirmatione non eſt facienda vis in verbis, dictum eſt notabile Inno.in c.cùm Bertol. de re iudi. vnde ſufficit quomodocunque conſtet de mente ſuperioris, vt ibi vult Innoc. quod eſt ſingulare. Archidi.in c.vt quis.de elect.in 6.pro hoc quod priuilegio induci poteſt, quòd nõ confirmatus adminiſtret.c.j. de ſupplen.negli.prælato.ergo & cõſuetudine, quæ priuilegio æquiparatur.Inno.in c.tranſmiſſam.de elect.&

ſic fortius valet cõſuetudo, quòd inſtallatio vim habeat confirmationis: ſed quòd conſuetudo non valeat, quòd electus adminiſtret ſine cõfirmatione, videatur textus. & ibi per Abb. in c. cùm venerabilis. de conſuetu. & ibi Cardi refert alios Dd. tamen dicit ſe tenere contrarium in c. fi. de conſue. ſed forte non eſſet malum credere, quòd opinio communis procederet, quando non interuenit aliquis actus à ſuperiore factus, qui ſit loco confirmationis: ſecùs vbi interueniſſet, vt in exemplo poſito per Cardi. per deducta per ipſum.

Si autem vis habere exempla conſuetudinis irrationabilis, habes in gl. in c. fi. de conſue. quæ dicit, quòd illa cõſuetudo dicitur irrationabilis, quæ iure improbatur conſuetudo oneroſa Eccleſijs. et generaliter, vbi aliquid fit contra neruum eccleſiaſticæ diſciplinæ, vel contrà libertatẽ eccleſiaſticam. Habeas aliud exemplum, Conſuetudo eſt, quam quidam ſeruant, quòd debitorẽ ſuum vel eius fideiuſſorem poſſit licitè pignorare creditor & ſua auctoritate: irrationabilis eſt hæc conſuetudo propter rixas, vulnera & homicidia, quæ inde proueniunt. argu. l. æquiſſimum. ff. de vſufruct. ſecundum Hoſti. & Card. in d. c. fi. item habes alia exempla in c. ij. de tempo. ordinan. in c. certum. de iuramen. calum. in c. ij. de proba. & in c. ad noſtram. eod. tit. in c. cùm decorem. de vita & honeſt. cleri. in c. extirpandæ. in c. fi. de præben. c. conſtitutus. de fideiuſſ. in c. aqua. de conſ. eccle. vel alta. in c. quanto. de conſuetu. in c. j. de cleri. non reſi. in 6.

in c.

in c.j. de cleri. ægrotan. in 6. in c.j. de conſuetu. in 6. in c.j. de capel. Monacho. in 6. in c. quanquam. in c. fina. de cenſi. in 6. in c.j. de biga. in 6. in c.j. de iniur. & dam. dato. in 6. in c.j. de præbend. in 6. in c. ſi Epiſcopus. de pœniten. & remiſſ. in 6. in c. cùm non deceat. de elect. in 6. in Cle. ſtatutum. de elect. & de iure ciuili in l. j. in princ. ff. de vſur. in l. eos. C. eodem. in authenti. habita. C. ne fil. pro pat. in authenti. nauigia. C. de fur. in authenti. omnes peregrini. C. commu. de ſucceſſ. in authenti. caſſa. C. de ſacroſanct. eccleſ. & videtur communis opinio, quòd relinquatur iudicis arbitrio, quæ conſuetudo dicatur rationabilis, & quæ non.

Quærit Cardina. in c. fina. de conſuetudi. in xiiij. q. quomodo inducatur conſuetudo, an requiratur vnus actus, vel ſufficiat ſemel fieri? Et reſpondet, quòd ſi actus habet effectum ſucceſſiuum, & talis etiam vnicus ſufficere poteſt: quia eſt, ac ſi omni die fieret, quia videtur omni die repeti, ex quo durat. Aut actus eſt momentaneus, & tunc vnicus actus non ſufficit: & ſic ſola obſeruantia vna vice ſuper re ſucceſſiua facit conſuetudinem, ita tamen, quòd ſit longæua obſeruantia. l. de quibus. l. diuturna. ff. de legibus. de quo latè per Cardina. in d. q. cuius dicta videntur eſſe contra quædam iura ſuprà deducta.

Quærit etiam Cardi. in d. c. fi. in xv. & xvj. q. quia dictum eſt de conſenſu maioris partis populi, an talis

conſenſus indiſtinctè ſufficiat ad inducendum cõſuetudinem? & dicit quòd non, ſed oportet quòd populus ſit habilis ad legem vel conſuetudinẽ. et hoc propter amentes & furioſos. c. cùm dilectus. de ſucceſſ. ab inteſt. & propter minores xxv annis. l. ad Rempublicam. ff de mune. & hono. & propter mulieres, quarum conſenſus non requiritur, ſicut nec in lege condenda. l. j. ff. de legibus: ſi tamen inter mulieres eſt aliquid ſeruatum, puta quòd ſuccedat primogenita, poterit ex hoc induci conſuetudo non ex ipſorum conſenſu, ſed aſſiſtentium: ſi tamen eſſent mulieres, quæ poſſent legem condere, poſſent conſuetudinem inducere. c. dilecti. de arbi. & colligitur tacitus conſenſus populi, quia habetur reſpectus quod erant præſentes, quia præſentes in talibus habẽtur pro conſentientibus, quæ publicam vtilitatem reſpiciunt: poſſunt tamen contradicere, ne inducatur conſuetudo.

Quærit etiam idem Cardi. in d. c. fina. in xvij. q. an per conſenſum erroneum inducatur conſuetudo, vt puta, quia credebat populus, quòd maior natu ſuccederet vel quid ſimile. & in hoc ſunt aliquæ opiniones, quarum prima eſt, quòd erronea conſuetudo valet, ſed non trahitur ad ſimilia. Et licet errent, tamen tacitè conſentiunt: ſed hoc intelligitur de conſuetudine, cuius non eſt memoria, & exponitur errore inducta, id eſt, nõ ex certa ſcientia, nec expreſſo conſenſu, ſed tacito. Et ſicut populus poteſt facere contra legem per vſum ſcienter tranſgredientium: fortius ergo per vſum ignoranter id agen-

agentium. Alia eſt opinio, quòd non inducatur conſuetudo, quia errans non conſentit. l. ſi per errorem. ff. de iuriſdict. om. iudi. & cùm populus errat, non vult tollere legem. Tertia eſt opinio eorum, qui diſtinguunt inter errorem facti & iuris. Primo caſu error non habet conſenſum. d. l. ſi per errorem. Exemplum, ſi mortua vxore vir tenuit dotē & parpahernalia, et hoc pluries factum eſt tempore legitimo populo patiente, qui tamen credebat omnia illa eſſe dotalia, tunc in illis deficit conſenſus. Secundo caſu, cùm populus errat in iure aut naturali, aut poſitiuo: ſi naturali, nō tollitur tale ius, quia nec ex certa ſcientia tolleretur. c. fin. de conſue. ſi poſitiuo, tollitur, quia etiam expreſſè poſſet contrauenire. Alia eſt opinio, quòd aut quæritur de conſuetudine per conſenſum erroneum inducenda contra legem, aut præter legem: ſi contra tunc per erroneum conſenſum non inducitur, quia quod fit ad defenſionem legis & eius obſeruantiam, ipſius diminutionem operari non debet. Populus autem vtitur ad legis obſeruantiam, credens legem ſic iubere. Si præter legem, aut populus errat in cauſa impulſiua, aut finali. Primo caſu inducitur conſuetudo, ſecundo caſu non, arguendo ab vltima voluntate, quæ legi æquipollet. l. cùm tale. §. falſam. ff. de conditio. & demonſtra.

Quærit etiam idem Cardina. in d. c. fin. in xviij. q. an per cōſenſum coactum inducatur cōſuetudo? Exemplum, cùm per maiorem partem populi duobus exceptis

vſitatum eſt primogenitum ſuccedere: modò quidam primogenitus ſperans paternam hæreditatem ſolus habere, illos compulit conſentire, vt ſic compleretur numerus maioris partis: & ſic compleretur conſuetudo, & reſpondetur per tres caſus. Primus eſt, quòd ſi fuerunt compulſi per priuatum, talis conſenſus non prodeſt. Secundus caſus eſt, quando fuerunt coacti à iudice iudicialiter procedente, & tunc prodeſt conſenſus. Tertius caſus eſt, quando iudex non iudicialiter procedit, & tunc non prodeſt conſenſus, quia habetur perinde ac ſi priuatus compuliſſet.

Quæritur etiam, an per non vſum inducatur conſuetudo? Et Nico. de Materel. & Cy. in l. ij. C. quæ ſit long. conſue. dicunt, quòd conſuetudo negatiua quandoq; dicitur contraria conſuetudo, quandoq; deſuetudo, quandoque non vſus. Contraria conſuetudo dicitur, quando ius permittit, & cõſuetudo vetat, vel econtrà. Deſuetudo verò dicitur, quaſi diuerſa aſſuetudo, vt quando lex aliquid ſub certa forma ſtatuit, & conſuetudo ſtatuit illud ſine illa forma, vt in alienatione rerũ minoris: hæc autem non eſt propriè contraria conſuetudo, quia ad idem tendit cum lege, ſcilicet ad permiſſionem alienationis, ſed in aliquo detrahit, ſcilicet in diminutione ſolennitatis: ſed tamen etiam hæc deſuetudo inquantùm contradicit legi, eſt cõtraria conſuetudo, & corrigit legem: & ſic in effectu non eſt differentia inter contrariã conſuetudinẽ & deſuetudinem: non vſus autem eſt id,

quod

quod non habet implicitam affirmationem contrariam legi, nec in ſubſtantia, nec in forma: vt, quia non accidit caſus, vel ſi accidit, homines non fuerunt vſi lege pro tali caſu, tamen non fecerunt contrarium: et talis nō vſus non tollit legem. Exemplum primi, quando caſus nō accidit, dicit lex, quòd Hermaphroditus iudicatur ſecundum ſexum, qui præualet. l. quæritur. ff. de ſta. hom. Modò pone, quòd in mille annis caſus non fuit, non per hoc erit ſublata lex. Exemplum ſecundi, quando caſus accidit, et populus non eſt vſus lege. Sæpè domus alicubi minantur ruinam, ſi ponitur quòd ibi nunquam fuit præſtita cautio de damno infecto, nec petita: non per hoc eſt præiudicatum legi de cautione diſponenti, niſi interueniſſet aliquod affirmatum, quia tunc eſſet inducta conſuetudo, vt quia petebatur cautio, & fuit repulſus petens.

Item quæritur, an ad conſuetudinem inducendam requiratur actus iudiciarius? Et conclude quòd nō, quia conſuetudo reſultat ex moribus & vſibus, qui poſſunt eſſe in iudicio & extra: & dato, quòd actus iudiciarius interueniat, tamē per ipſum tanquam per iudiciarium non inducitur conſuetudo: ſed per hoc, quòd oſtenditur tacitus conſenſus populi aſſentientis. l. j. & ij. C. quæ ſit long. conſuetu. l. diuturna. ff. de legi. & de iſtis per Cardi. in d. c. fina. q. xix. & xx. & quoad iſtud vltimum adde Abb. in c. Abbate. de verborum ſignifi. in d. c. fin. de conſue. & licet ſententiæ eſſent nullæ, tamen inducere-

tur conſuetudo reſpectu conſenſus. Et intellige quando diuturnitas fuit ſubſecuta. Et ſi poſt conſuetudinem præſcriptam ſemel vel bis aliquis facit contrà, non per hoc eſt interrupta, niſi totiens contrà fieret, quòd induceretur contraria conſuetudo. gl. in l. nemo. §. j. ff. de regu. iur. Cardi. in xxiij. & xxv. q. in d. c. fin.

Ex ſententijs arbitrorum non inducitur conſuetudo, ſi ſententia eſt talis quæ non poſſit mandari executioni: ſecùs ſi ſententia poteſt executioni mandari, vt in l. cùm antea. C. de arbi. tamen plures ſententiæ requiruntur quàm in iudice, cùm iudex ſit perſona publica, & facilius detegitur conſenſus tacitus populi in aſſentiendo ſententiæ iudicis quàm arbitri. Cardi. in d. c. fin. q. xxvj. Et quantum ad ſententias arbitratoris dicas, quòd ſicut ex actibus frequentatis poteſt ſurgere cõſuetudo, ita poſſent eſſe tot arbitramenta, quod induceretur. Cardi. q. xxvij. in d. c. fin.

An per ſententias latas inter non ſubditos ex prorogatione inducatur conſuetudo? Dicas, quòd circa iudiciarium ordinem poteſt induci. l. iij. in fin. ff. de teſti. Sed ſi quæritur de inducenda conſuetudine territorij, in quo eſt determinatio cauſæ, & non poteſt induci, quia ſeruari debet conſuetudo non loci, in quo iudicatur, ſed litigantium. l. ſi fundus. ff. de euict. ſed ſi ageretur inter perſonas non ſubditas ratione domicilij, ſed tamen ſubditas ratione delicti vel contractus, tunc ex talibus ſententijs poteſt induci conſuetudo. d. l. ſi fundus. l. iij. ff. de

offi.

offi.Præſi.Cardina.q.xxviij. in d.c.fina. In conſuetudine requiritur temporis diuturnitas, non ſic in lege, quia in lege apparet ſtatim expreſſus cõſenſus Principis vel populi, & in certis non eſt locus coniecturis.c. ij.de reg.iur.ſed vbi aliquid actum eſt.nec apparet, quo animo fiat, recurritur ad præſumptionẽ perſeuerantiæ ſeu diuturnitatis.c. ad noſtram.cum glo. de regula. ex quo enim non contradixerunt intra tempus diuturnũ, præſumitur conſenſus durare, ſed ante tempus diuturnum non præſumitur quis voluiſſe recedere à lege ſcripta. Cardi.q.xxxj.in d.c.fin.

Glo. in l. domini prædiorum.C. de agri. & cenſi. lib. xj. vult, quòd de iure ciuili, ſi conſuetudo eſt mala, requiratur ad eam præſcribendam tempus, cuius non extat memoria, vel ſaltem xxx anni, in contrarium, quòd talis conſuetudo non poſſit præſcribi. & textus in c.mala conſuetudo.viij.diſt.ſed pro glo.facit l. quod nõ ratione.ff.de legi.vbi dicitur, quòd illud, quod nõ ratione inductum eſt, ſed errore, deinde conſuetudine obtentum eſt, in alijs ſimilibus non obtinet: & ſic in eo caſu, quo eſt talis conſuetudo, ei ſtandum eſt, vt ſentit ille textus & ibi glo.in quo dicas, quòd ſi cõſuetudo eſt contra rationem, quòd inducat peccatum, non valet, etiam de iure ciuili: ſi autem conſuetudo eſt contra rationem, non tamen aliàs inducit peccatũ, valet in caſu ſuo tantùm.d.l.quod non ratione.dummodò ſit præſcripta ſpacio x annorum: ſed ſi eſt præſcripta tanto tempore, quòd

de contrario non eſt memoria, ſtatur ei etiam quoad alios caſus, vt ex tanto tempore intelligatur factum iuſtum id quod erat iniuſtum. c. j. de præſcrip. in 6. idem propter auctoritatē. glo. in d. l domini. poteſt dici, ſi eſt præſcripta ſpacio xxx annorum: tutius tamen eſt tenere quod in conſuetudine, quæ eſt contra rationem, vt valeat quoad alios caſus requiratur tempus, de cuius contrario non ſit memoria. Conſuetudo autem mala nullo modo tenet. l. omnes iudices. in glo. C. de decurio. lib. x. glo. in authenti. habita. in verbo, non peruerſam. C. ne filius pro patre. iſta habentur per Cardina. in d. c. fina. q. xxxij.

Quando incipiat currere tempus præſcribendæ conſuetudinis, & dicas quòd eo caſu, quo requiritur actuū frequentia, quòd à primo actu, per quem apparet de conſenſu: ergo incipit præſcribi: vnde ad probandum conſuetudinem præſcriptam ſpacio decem annorum, vel alio ſpacio ſufficit probare, quòd tanto tempore ſic ſit obſeruatum. & iſta eſt cōmunis opinio ſecundum Cardina. in d. c. fin. q. xxxiij.

Poteſt induci cōſuetudine decem annorum, vt nulla conſuetudo inducatur in loco, niſi per diuturnitatem xl annorum: nec obſtat, quòd videatur ſibijpſi contraria, quia in generali ſermone videtur ſeipſam excludere. l. inquiſitio. C. de ſolutio. c. petitio. de iureiuran. Cardina. q. xxxiiij. Et conſuetudo in iudicio proponitur ſecundum Dd. in modum actionis perſonalis, & realis

realis in modum exceptionis,& per officiũ iudicis.Cardina.q.xxxv.

Agens in libello habet neceſſe allegare conſuetudinem,etiamſi ſit notoria, quia conſuetudo eſt facti: ideo oportet proponi & declarari, & etiam notorium debet proponi.glo.in Cl.appellanti.de appel. Cardi.q.xxxvj. Et etiam per duos teſtes probabitur conſuetudo.l.vbi numerus.ff.de teſti.& requiritur plena probatio ſecundum communiter Dd. Barto.in l.præſcriptione.in fin.C.ſi contra ius vel vtilitatem publicam. Et in probanda conſuetudine fiant capitula hoc modo, quòd fuit ſic ſeruatum,& quòd tanto tempore & populo ſciente vel maiori parte.

Si vnus teſtis deponat ſe vidiſſe aliquibus præſentibus,alius idem vidiſſe alijs præſentibus, non valent tanquam ſingulares.Cardi.q.xlj.

Si per maiorem partem inducitur conſuetudo, non obſtat cõtradictio aliorum, niſi inſtent coram ſuperiore,habente poteſtatem, vt reprobetur conſuetudo, non obſtabit contradictio, facit quod habetur in c.j.de his quæ fiunt à maiore parte capituli.Cardi.q.xlij.

Si quæritur,qualiter ſuper cõſuetudine in iudicium deducta pronuntietur? Dicas, quòd ſi eſt probata conſuetudo,pronuntiabitur ſecundum eam,aliàs ſecùs:debet enim iudex ſe cõfirmare actis.c. licet Heli.de Simo. l.vt fundus.ff.communi diuidun.

Quid,ſi agens ex conſuetudine probauit ſtatutũ non con-

conſuetudinem vel econuerſo? Dicas quòd ſuccumbit, quia agenti ex vna cauſa non ſufficit aliam probare.c. Abbate.de re iudi.in 6.tamen reſeruatur ius ipſi actori, ſi aptè voluerit proponere. Cardi.q.xliij.

Quæritur, an extraneus aſtringatur conſuetudine loci, vbi contraxit vel deliquit? Inno.in rubri.de conſue. dicit, quòd ſeruanda eſt conſuetudo loci, vbi contractus eſt celebratus. & idem in maleficio, quòd ſeruanda eſt conſuetudo loci, in quo commiſſum eſt. Cardi.q.xlvij.

In his, quæ ſpectant ad merita & deciſiones cauſæ iudex appellationis debet obſeruare conſuetudinē, quam debet obſeruare iudex cauſæ principalis, cùm ſit ſubrogatus loco illius, vt in auth. vt cùm de appella. cognoſci. in prin glo. in c. illud.xij.diſt. Inno.in rubri. de conſue. Ad ea autem, quæ concernunt ordinem procedendi, debet inſpici conſuetudo tribunalis ipſius iudicis appellationis, & non iudicis cauſæ principalis, vt colligitur ex notatis per glo.in c.licet canon.in verbo, de cæterò. de elect.in 6. Anto.de Bu.in d.rubr. nam in his, quæ concernunt ordinem procedendi, debet attendi locus, vbi cauſa agitur.l.ij.§.fin.ff.de teſti.Bart.in l.cunctos populos. C.de ſumma trini. & fide catho. Et nota, quòd ſi clericus agat contra laicum in foro ſæculari, attenditur conſuetudo laici contra ipſum laicum. Et idem, ſi in foro eccleſiaſtico & in terris eccleſiæ: ſed ſi laicus excipit contra clericum de præſcriptione, vel alio, attenditur præſcriptio ſecundum ius canonicum, vel ſecundum cō-

ſuetu-

ſuetudinem eccleſiaſticam. Similiter, ſi laicus agit contra clericum, quantum ad ipſum clericum, attenditur ius canonicum ſeu conſuetudo eccleſiaſtica: quantum autem ad ligandum laicum, attendetur ius ciuile, ſeu conſuetudo laici, vt ſi clericus excipit de præſcriptione, ſufficit de decem vel viginti annis, vt notatur in c. ſanctorum. de præſcrip. de quo per Cardi. in c. quod clericis. de for. compe. & in d. c. fin. q. xlix. Quia dicitur, quòd conſuetudo loci eſt ſeruanda, an intelligatur de conſuetudine caſtri vel ciuitatis, vel diœceſis, aut prouinciæ, ſiue regni: dicas, quòd primò eſt attendenda conſuetudo ciuitatis ſeu caſtri. Si verò hæc conſuetudo non inuenitur, attenditur ſecunda conſuetudo diœceſis: tertiò conſuetudo prouinciæ: quartò conſuetudo regni ſiue vicinarũ prouinciarum: quintò cõſuetudo Romana. Cardina. in d. c. fin. q. lj. licet non teneat hoc quantum ad conſuetudinẽ Romanam hodie, cùm populus Romanus hodie non habeat poteſtatem legis condendæ, nec inducendi conſuetudinem generalem, vt ipſe declarat in d. c. fin. in iij. contrario.

Quæritur, an ſicut prætextu conſuetudinis licet venire contra ius, ita etiam liceat venire cõtra præcepta? & Inno. in rubri. de conſue. dicit quòd non, quia quantocunque tempore aliqui nõ ſeruant præcepta, peccant: nec obſtat, quòd non deberet valere conſuetudo contra ſtatuta canonum, quia peccatum eſt violare ſtatuta & decreta canonum. xxv. q. j. c. violatores. Soluit Innoc.

faten-

fatendo eſſe peccatū violare ex cupiditate vel ſine cauſa, vel in caſu non conceſſo: ſed vbi venitur contra canonem vigore cōſuetudinis legitimè introductæ, ſecùs. Dicit etiam notabiliter Inno. quòd volens conſuetudinem introducere, faciat ſuperiore cōſentiente, ſcilicet eo, qui legem facit, vel qui poteſtatem habet condendi contra illud ius vel mandatū, quod eſt notabile ſecundum Cardina. in d. c. fina. q. lij. qui ſubdit, quòd conſuetudo non poſſit facere, quòd cum ſponſa fratris liceret contrahere propter perpetuam cauſam prohibitionis, quæ ibi ineſt.

Quæritur, quidam forenſis habebat vxorem & domicilium in Anglia, et deceſſit Senis, condito teſtamento, in quo vxori nihil reliquit, hæres agebat contra debitores, qui dicebant, quòd nō tenebantur ſoluere, quia poſſent iterum conueniri in Anglia ab vxore, cùm ibi ſit conſuetudo, quòd vxor in certa parte ſuccedat marito. conſuluit Bald. quòd conſuetudo Angliæ procedebat quoad bona Anglicana, non quoad ea, quæ alibi erant. l. ex facto. §. rerum. ff. de hæredi. inſti. ſed opponebatur de nominibus debitorum, quæ cùm ſint incorporalia, nō regulantur à territorio: ſed tamen idem conſuluit in nominibus: intelliguntur enim pertinere ad illud territorium, vbi facienda eſt ſolutio. & ibi debitores poſſunt cōueniri. l. quæro. ff. de ſolutio. ſit in ſimili quæſtione facti de ſtatuto Ferrariæ diſponente, quòd extantibus maſculis, filia fœmina non ſuccedat. allegauit Cardina. quòd nō ligabat filiam nuptam extra territoriū Ferrariæ,

riæ,quoad bona extra territorium conſtituta.& hoc,ſi ſtatutũ loquitur generaliter, modo prædicto debet reſtringi ad bona poſita in territorio:ſed ſi ſpecialiter loqueretur,expreſſè prohibens, ne filia ſuccederet in aliquibus bonis vbicunque ſitis: adducit idem dicendũ in caſu iſto,quia ex quo nupta eſt,deſinit eſſe de primo domicilio, & ſit de domicilio viri. l. Imperatores.§. idem reſcripſerunt.ff.ad municipa.& ſic non ligatur illo ſtatuto, tanquam non ſubdita. ita Cardina. in d.c.fina. ad fin.

Ad inducendam conſuetudinem ſufficit tempus decem annorũ de iure ciuili.glo.& Bal. in rubri.C.quæ ſit long.conſue.& ibi dicit Bal.quòd illa cõſuetudo propriè dicitur inueterata,quando eius cõtrarij non exiſtit memoria:nam iſtud tempus propriè appellatur vetuſtas.l. hoc iure.§.ductus aquæ.ff. de aqua quotidia. & æſti.ſed contra Bald.videtur textus in l. de quibus.ff.de legibus. dum ibi textus loquitur de conſuetudine inueterata.

Merum & mixtum imperium conſuetudine acquiritur,ſed requiritur tempus, cuius contrarij memoria non extat.Bal. in d.rubri. qui etiam dicit,quòd ad inducendam conſuetudinem non ſufficit vnicus actus,ſed requiritur pluralitas actuum ſeu frequentia.

Non iudicatur exemplis, niſi ex ipſis conſuetudo ſit introducta,quo caſu iudicamus ex virtute conſuetudinis,non ex virtute exemplorum.Bal.in d.rubri.& vide glo.& Bart.in l.nemo.C.de ſenten.

Dubita-

Dubitatur, an aliquid eſſet de conſuetudine introductum, nec ne, plures ſententiæ fuerunt latæ, quòd de hoc erat conſuetudo: poſito quod non apparet de conſuetudine præcedenti, inducitur conſuetudo per iſtas ſententias cum debito temporis ſpacio, ſcilicet longo. Bald. in d. rubri. C. quæ ſit long. conſue.

Non valet conſuetudo, quòd res Eccleſiæ vendantur ſine ſolennitate. Bal. in d. rubri. adde glo. & Bar. in authent. hoc ius porrectum. C. de ſacroſan. eccle. glo. in l. diuturna. ff. de legibus.

Oppida, caſtrum & villa poſſunt habere propriam conſuetudinem non repugnantem legi vel conſuetudini ciuitatis propriæ: nam vbi repugnaret, non valeret conſuetudo ruſticana, niſi confirmetur per ſuperiorem. l. fin. C. de teſtamen. Bal. in l. j. C. quæ ſit long. conſue. in authen. defuncto. in fin. C. ad Tertul.

Sicut Præſes prouinciæ tenetur obſeruare leges ſcriptas, ita conſuetudines locorum & in ciuilibus & criminalibus. l. j. vbi per Bald. C. quæ ſit long. conſue. vnde ita punitur tranſgreſſor cõſuetudinis ſicut tranſgreſſor legis ſcriptæ ſecundum Bal. ibi.

Vbi non eſt ratio in conſuetudine, ſed vſurpatio, nõ fit extenſio, quia in exorbitantibus cõtra rationem non eſt aliqua virtus media, quæ poſſit iſtos caſus copulare. Bal. in d. l. j.

Si conſuetudo eſt reprobata per legem ſuperioris, non valet. Bald. in l. ij. C. quæ ſit long. conſuetu. per textum

textum in authen.nauigia.C.de fur. Sicut ſtatutum non poteſt diſponere, vt nō appelletur ad ſuperiorem: ita nec conſuetudine hoc præſcribi poteſt. c. venientes.de iureiuran. Bald.in d.l.ij.

Si conſuetudo eſt Peruſij, quòd filia dotata non ſuccedat, & pater habet diuerſa patrimonia, vnum Peruſij, aliud in loco, vbi viget ius commune, quantū ad locum Peruſij, conſuetudo vincit legem, ſed non in alio loco. Bald. in d.l.ij.

Poſt conſuetudinem firmatam conſenſu & tempore ſit aliquis actus in contrarium de voluntate populi. pone exemplum: Conſuetudo eſt præſcripta, quòd vulneranti aliquē in platea amputetur caput, poſtea quidam nobilis vulnerat aliquem in platea de voluntate populi, non imponitur iſta pœna, ſed pecuniaria, nunquid propterea eſt ſublata conſuetudo, ita quòd deinceps debeat imponi pœna pecuniaria, & nō corporalis? glo. determinat conſuetudinem non eſſe ſublatam in l. nemo.§.temporales.ff. de regu. iur. & in d. l.ij. niſi totiens & tanto tempore eſſet obſeruatum contrarium, quòd prima conſuetudo eſſet abolita, quia tunc eſſet receſſum à capitis pœna. Bald.in d. l.ij.

De ſtylo vide Bald. in l.fi. C. quæ ſit long. conſuetu. vbi dicit in Curia Romana dicitur, ita eſt de ſtylo curiæ, id eſt de obſeruantia præſcripta ipſius curiæ, quæ obſeruantia habetur pro forma, & ab eo non eſt recedendum. & de ſtylo etiam per Bald. in lectura. in l.j C. de

ſacroſanct.eccle.& eſt bonus textus in l.fin.C.de iniur.

Lex imperialis poteſt caſſare conſuetudinem & ſtatuta locorum,adeò,quòd non excuſent delinquentem à pœna:& ſic ſtatutum inualidum non excuſat à delicto. Bald.per illum textum in authen. omnes peregrini. C. commu.de ſucceſſ.

Conſuetudo feudorum dicit,quòd Princeps nō poſſit priuare Duces,niſi priùs per Pares iudicentur indigni. An Imperator poſſit ſtatuere contrarium? Bal.quòd nō in d.auth.omnes peregrini.nam conſuetudo, quæ diſponit in ipſum Principē,eſt maior ipſo Principe,niſi conſuetudo tendat ad euerſionem vel quaſi imperij. Dicit etiam Bal.ibi,quòd,vbi Princeps intēdit tollere rationem conſuetudinis tanquam abuſiuam, tollit cōſuetudinem præſentem & futuram. Dicit etiam Bald. ibi, quòd quando prohibitio iuris communis importat neceſſitatem,non valet conſuetudo contraria. Et ſi tu vis ſcire vnum mirabile dictum ſecundum Abb. in quo plus operatur ſtatutum quàm conſuetudo, vide textum & Abb.in c.ex parte.de conceſſ. præben.

Vbicunque ſit mentio de conſuetudine,intelligitur de præſcripta.caſus eſt ſingularis in c.Cumana.de elect. Ang.in l.diuturna ff.de legibus.Bal.in l.de quibus.ff.de legibus.in l. binos.C.de aduo. diuer.iudi.in c.j.de feud. cogni.in prin.vbi dicit, quòd quanquam ſit præſcripta, non dicitur conſuetudo.ibi etiam vult,quòd iniqua conſuetudo non poteſt præſcribi,& iniquam appellat intolera-

lerabilem, puta cōtra ius diuinum: eſt ergo iniqua conſuetudo, quòd ſuſpenſi teneantur in patibulis, quia eſt cōtra ius diuinum. patet per notata per Bal. in c. j. §. iniuria. de pace iuramen. firman. & in d. c. j. de feu. cogni. vult Bald. quòd conſuetudo excuſet à falſitate cōmiſſa, ſi ſic erat conſuetudo. & ponit exemplum: In ciuitate Peruſij ſunt tres cōſeruatores monetæ, & quando fiunt ſolutiones in communi, conſueuit Notarius ponere nomina omnium trium, licet vnus ſit abſens, quod dicit Bal. procedere, quando in præiudiciū abſentis nihil fit, & materia vera eſt in ſeipſa: ſi tamen perſona ipſa eſſet de ſubſtantia inſtrumenti, non careret inſtrumentū vitio falſitatis ſecundum Bald. & adde notata per Hoſti. Io. And. & Anto. de Butr. in c. ij. de fide inſtrumen. vbi ſi de more ſit, quòd contractus ſcribatur & ſigilletur nomine Prælatorū per ſuos ad hoc deputatos, quamuis de hoc ipſi nihil ſciant, tamen propter conſuetudinem hoc non dicetur eſſe falſum. Bald. in l. j. C. de confeſſ. in x. col. facit quod voluit Bar. in l. quid ſit fugitiuus. §. apud Labeonē. ff. de ædili. edict. Bal. in tit. de pace Conſtan. in ver. quæro, vtrum ſtatutum iniquum teneat? dicit, quòd cōſuetudines confirmatæ ſub certo modo et forma, non valent, niſi ſub illo modo & forma. l. fin. C. de teſtamen. quas Princeps tacitè confirmare videtur eo ipſo, quòd ſunt tolerabiles. l. tam collatores. C. de re militari. libr. xij. l. domini prædiorum. C. de agrico. & cenſi. libr. xj. Contrà, malæ conſuetudines tanquam

abortiua ſtatuta non conualeſcunt tempore.authenti. vt nulli iudicúm.§.nulli verò.vnde dicit Imperator conſuetudines tunc tenent cùm noſtris non repugnant legibus.in.§.fin.in auhtenti.de vſu.nauti.& ibi notatur. Et in eod. titu.de pace Conſtan.in ver.priuilegio dicit, quòd conſuetudo priuilegiat aliquē ſicut Principis priuilegium:nam cōſuetudo vice Principis fungitur.c. ſuper quibuſdam.§.præterea.de verb.ſig. Et ſicut per rebellionem contra Principem perduntur priuilegia, ita conſuetudines priuilegiatæ ſecundum Bal.ibi per illum textum. quod dicit memoriæ eſſe commendandum.

Et quia ſuprà allegata eſt gl.notabilis in l.nemo.§. temporales.ff.de regu. iur.adde Bart.in l.ij. in fin.ff.ſolut.matri. qui allegat gloſ.in d.§. temporales.& Abb. notabiliter in c.pro illorum.de præben.qui intelligit illam glo. quando aliquis de populo facit aliquid contra conſuetudinem alijs ſcientibus & non contradicentibus,ex hoc non tollitur conſuetudo,ſed requiritur tantum tempus,quantum fuit requiſitum ad introducendum conſuetudinem:ſed quando populus de directo collegialiter & ſcienter feciſſet actum contra conſuetudinem,tunc eſt ſublata conſuetudo per illum actum, & vide Areti.conſil.xxiij. Et valet ſententia lata contra conſuetudinem propter dubium facti: ſecùs ſi eſſet notoria, de quo per Bald.in l.ij.C.quando prouoca.non eſt neceſſ.& in l.j.eod.tit.per Abb.in c.j.de re iudi. Et cōſuetudo poteſt tollere ſolennitatem requiſitam in actu.

Bald.

Bald.ſingu.in l.j. C. ad Velleia. & quòd in actu debeat adhiberi ſolennitas inducta ex conſuetudine, eſt textus in authen. vt præponatur nomen Imperatoris. & ibi gl. quæ incipit, puta. & notant Dd. in c. nulli. de rebus eccl. non alienan. quòd conſuetudo non poteſt adimere ſolennitatem introductam in alienatione rerũ eccleſiæ, de quo in c. ſine exceptione. xij. q. ij. de quo etiã per Calde. conſil. iij. de his quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu capituli: poteſt tamen ſecundum Dd. in d.c. nulli. conſuetudo augere illam ſolennitatem. addo etiam Bal. in c.j. in prin. qualiter olim feud. pote. alie. quòd ſi conſuetudo eſt à iure reprobata, nunquam præſcribitur, quia contra auctoritatem ſuperioris nunquam poteſt præſcribi. authen. nauigia. C. de fur. Sed an liceat venire contra præceptum per contrariam conſuetudinem ſicut contra ius? Et Dd. in rubri. de conſue. concludunt, quòd ſi tale eſt præceptum, quòd nõ liceat contrà illud ſine peccato legem ſtatuere, ſic nec conſuetudine licet contra illud venire, aliàs ſecùs. addo ea quæ habentur per gloſ. ſingularem. & ibi per Docto. in c.j. de treug. & pace. Vt videmus, ponuntur collectæ in ciuitatibus, quidam ciues nunquam fuerunt collectati, vtrum per hoc tollatur lex, vel conſuetudo, vel ius collectandi? Et dicitur quòd non, quia per non vſum nõ tollitur lex vel conſuetudo. Cy. in l. ij. C. quæ ſit long. conſue. Bar. in proœ. ff. §. & antea. Notant Dd. in c. Ioannes. de cleri. coniuga. quia non actibus non inducitur conſuetudo: opor-

tet igitur quòd probetur de contemptu legis vel iuris. Verbi gratia, ſi probetur quòd ciues illi fuerunt per longum tempus grauati ad collectas ſoluendas, & ipſi per dictum tempus ſemper contradixerunt & præcepta contempſerunt, aliàs non probatur talis conſuetudo, de quo per Bal. notabiliter in l. de quibus. in verſ. ſed nunquid ex non actibus. ff. de legibus.

Ad hoc, vt obſeruantia habeat vim declarationis verborum contrahentium, non requiritur, quòd ita obſeruantia ſit præſcripta, ſicut requiritur in conſuetudine, quæ obtinet vim legis: ſed ſufficit per aliquos actus aliquando ita fuiſſe ſeruatū. Anto. de Bu. in c. fi. de conſue. circa mediū. l. quòd ſi nolit. §. qui aſſidua. ff. de ædili. edict. l. ſemper in ſtipulationib. ff. de reg. iur. Et nota, quòd in materia conſuetudinis teſtes debent deponere de vſu cōſuetudinis, et declarare vſus frequentiam, temporis diuturnitatem, & tales vſus fuiſſe vſitatos publicè præſentibus & ſcientibus multis & infinitis perſonis, adeò, quòd comprehendatur interceſſiſſe conſenſum maioris partis populi, vt notabiliter declarat Azo in ſumma. C. quæ ſit long. conſuetu. Bald. in l. de quibus. ff. de legibus.

Ponamus quòd in ciuitate ſit aliquis, qui ſit conſuetus exigere vſuras, vt quia erat priuilegiatus à Principe, & ſic de facto ſeruabatur: ſi fideiuſſor ſoluit vſuras, poterit illas repetere à debitore principali, nec imputabitur fideiuſſori ſoluenti, poſtquam in loco talis exce-

ptio

ptio non admittebatur, quòd vſuræ eſſent illicitæ. ita volunt Cardina. & Imol. in c. peruenit. de fideiuſſo. quos refert Alexand. in conſil. lvij. in primo volumine. Sed videtur, quòd conſuetudo non poſſit tollere legem poſitiuam, quia omnis lex poſitiua deriuatur & cauſatur à lege naturali, & à lege diuina, vt in proœ. Gregoriano.c. firmiter. de ſumma trini. & fide catho. l. fina.C. de præſcript. longi temporis: ſed legem diuinam & naturalem non tollit conſuetudo, vt in c. fina. de conſuetu. ergo nec poſitiuam cauſatam ab illa.c. acceſſorium. de regu. iur. in 6. Reſpondetur quòd conſuetudo in deriuato, vel cauſato, vel acceſſorio non poterit, quod in principali non poſſet: & ſic conceditur quod obijcitur: ſed ita eſt etiam quod contra ius naturale & diuinum valeret conſuetudo rationabilis, id eſt per quam non induceretur peccatum, vt concluditur per Dd. in d.c. fina. ergo fortius vel ſaltem aquè valebit in acceſſorio, cauſato, vel deriuato, ex quo rationabilis eſt, & peccatum non nutrit.

Et licet concludatur communiter, prout dictum eſt, quòd quæ conſuetudo dicatur irrationabilis, committitur iudicis arbitrio: dicas tamen, quòd quatuor modis poteſt dici conſuetudo irrationabilis: ex perſona, quæ vult conſuetudinem inducere.c. quanto. de conſuetu. ex perſona, contra quam.c. ſi conſuetudinem. c. qui contempta.c. ſi. viij. diſt: ex re ſuper qua conſuetudo fundatur.c. cùm non liceat. c. ex officij. de præſcript. ex

modicitate temporis,quo obtinuit.c.fin. de conſuetu.c. cùm Eccleſia.de cauſa poſſeſ. Et cùm communiter teneatur, quòd ad inducendam conſuetudinem etiam contra ius de iure ciuili ſufficiunt decem anni,de iure canonico requiruntur quadraginta: quæritur, quando incipiet currere tempus decem vel quadraginta annorum? Et reſpondet Io. And.in d.c.fin.de conſue.quòd communiter tenetur,illum primũ actum inſpiciendum in curſu,vt ex illo inchoata & iterata cum diuturnitate temporis inſurgat cõſuetudo. & nota quod,ibi declarat Io. And. qualiter conſuetudo poteſt præſcribi: dicit enim, quòd illud ius, quod diſponit conſuetudo, puta vt ſuccedat primogenitus,vt optet antiquior canonicus, vel his ſimile,& ſpacio temporis ad id apto ſeruato per tacitũ conſenſum id ſtatuere volentiũ, dicitur conſuetudo & præſcripta reſpectu ipſius iuris, quod inducitur: & hoc dixit Io. And.contra Petrum, qui dicebat conſuetudinẽ non præſcribi,quia oportet id, quod præſcribitur,eſſe ius diſpoſitum,non diſponens: vnde, ſi longo tempore irem per viam publicam, cùm ibi non ſit ius diſpoſitum, ſed ſolùm quædam facultas eundi, non præſcriberem: licet ergo fateatur Petrus in conſuetudine diuturnitatem temporis requiri,negat tamen ibi præſcriptionẽ adeſſe, quia non eſt ibi ius formatum vel diſpoſitum, quod vocat ius dominij vel pignoris,vel his ſimilia.& talia præſcribuntur. Et in hoc caſu habui ſemel ſcribere,an conſuetudo laicorum ſit ſeruanda contra laicum in fauorem

rem clerici vel Eccleſiæ corã iudice eccleſiaſtico? & iſta quæſtio formatur per Dd. in c. quod clericis. de foro cõpeten. & volo ponere exemplum, quod ponit Abb. ibi eſt conſuetudo, quòd credatur libris mercatorum, an talis conſuetudo ſit ſeruanda in foro eccleſiaſtico contra laicum in fauorem clerici? & dicit Abb. ſi verba ſtatuti expreſſè referuntur ad iudicem, vt ſi ſtatutum dicat, quòd iudex debeat credere libris mercatorum, & tunc tale ſtatutum nõ ligat iudicem eccleſiaſticum, cui tanquam non ſuppoſito non potuit legem imponere. c. cùm inferior. de maiori. & obedien. c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. de conſti. aut ſtatutum ſimpliciter loquitur: & tunc, ſi eſt lis inter laicos, quos ſtatutũ poteſt ligare, & intendebat, & tunc ſeruandũ eſt in foro eccleſiaſtico: ſecùs ſi eſſet lis inter laicum & clericum, quia ſicut laicus non poſſet allegare talem cõſuetudinem vel ſtatutum contra clericum, nec etiam clericus poteſt allegare contra laicum: quia lex debet eſſe communis, vt ſit æqua. c. erit autem lex. iiij. diſt. & ſic per ipſum ſtatutum non ligabitur laicus in fauorem clerici, ex quo à contrario ipſe clericus non ligaretur. Iſta dicta Abb. refert Aretin. in ſuo conſil. xlv. & amplius tenet ipſe, quòd talis conſuetudo ſeu ſtatutum indiſtinctè non ſit ſeruandum in foro eccleſiaſtico, & mouetur tali ratione, quia cùm ſtatutum loquatur ſimpliciter, quòd libris mercatorum debeat credi vel dari fides: aut iſta verba ſtatuti referuntur ad partem, & reſoluuntur hoc modo, quòd vna pars

poſſit vti contra aliam libris mercatorū ad plenam fidem,& tunc talē ſtatutum non obligat partem,contra quam producitur ſtare illis libris, quia vt ait Ioan.Calde.in ſua diſputatione, quam refert & ſequitur Abb. in d.c.quod clericis.ſtatutum, quod non prohibet partem probare per teſtes, non aſtringit partem in iudicio eccleſiaſtico litigantem,quia ſuper modo procedendi in iudicio eccleſiaſtico ſtatutum non poteſt diſponere:aut iſtud ſtatutum reſpicit perſonam iudicis, quo cauetur, quòd libris mercatorum detur fides,& tunc non aſtringit iudicem eccleſiaſticum dare fidem talibus libris: & quòd verba ſtatuti, vel diſpoſitio conſuetudinis, quæ habet, quòd detur fides libris,neceſſariò referantur ad iudicem:patet manifeſtè, quia iudici debet per probationem fieri fides.l.iij.ver. tu magis ſcire potes.ff.de teſtibus.& notat pulchrè Barto.in l.admonendi.ff.de iureiuran. Statutum ergo ſimpliciter & imperſonaliter loquens ad illum refertur, ad quem pertinet fides, de qua in ſtatuto diſponitur. ita probat textus, quem Bald. reputat ſingularem in l. ſi ſeruus.§. qui margaritam.ff. de lega.j. notat Bald. in authenti. ſi quando.C. de conſtitut.pecu. & ita poſt multa reſidet Aretin. ibi, ſed mirum eſt, quòd non allegauerit gloſ. ſingularem in l. ex ea.ff. de poſtulando. quæ voluit, quòd Epiſcopus inter laicos in foro ſuo litigantes ſeruare debet conſuetudinem laicorum. & ibi Bald. dicit, quòd licet conſuetudo non porrigatur ad aliud

terri-

territorium diuerſum, tamen porrigitur ad aliud forum in eodem territorio. dicit tamen Bald. quòd illa gloſ. debet intelligi quantum ad deciſionem cauſæ, non quantum ad ordinationem iudicij, quia in illis ſeruanda eſt conſuetudo proprij fori, non alieni, vt in l. ij. C. quemadmodum teſta. aperian. ſi tamen talia ſtatuta exorbitant à canonica æquitate, Epiſcopus non tenetur illa obſeruare. ita Bald. in d. l. ex ea cauſa. nec obſtat illud quod dicit Aretin. & etiam Abb. quòd tale ſtatutum nō poteſt ligare iudicem eccleſiaſticum, quia minor non ligat maiorem. Reſpondet enim Bald. quòd non ipſe ligat, ſed ius commune, quod factum minoris confirmat. & idem voluit Bal. in l. ij. C. de conſtitu. pecu. vbi allegat d. gloſ. quam limitat ibi, niſi ſtatutum vel conſuetudo referret ſe ſolùm ad proprios iudices, quia tunc non ſeruaretur in alio foro. Hanc etiam glo. approbat Paul. de Caſt. in d. l. ex ea. & ipſam declarat, vt ſuprà dictum eſt ſecundum Bald. hanc etiam glo. approbat Bald. in l. omni innouatione. C. de ſacroſanct. eccleſ. & ibi ponit vnam theoricam in hac materia, quòd ei non prodeſt ſtatutum, cui non poteſt nocere: ex quo ſequitur ſecundum eum, quòd ſicut non obeſt clericis maximè in foro eorum, ita nec patrocinatur, quia non debet claudicare. & remittit ad notata per Canoniſtas in d. c. quod clericis. de foro competen. hanc etiam glo. pro valde notabili allegat Bald. in l. priuilegia. C. de ſacroſanct. eccleſ. quòd ſtatutum

ciui-

ciuitatis debet ſeruari inter laicos in curia epiſcopali: hanc etiam gl. allegat Bar. in l. de quibus. in vlti. col. ff. de legi. & ibi Bar. voluit, quòd etiam inter clericos debeant obſeruari cõſuetudines laicorum, ſi ſint honeſtæ, & non ſint contra libertatẽ eccleſiaſticam: ſed iſta opinio communiter non tenetur. ſed Pau. de Caſt. in l. omnes populi. ff. de iuſti. & iu. facit mentionem de hac glo. & ipſam non tenet: dicit enim, quòd illa gl. loquitur per ver. forte, ſed iſta non eſt bona ſolutio, quia etiam Iuriſconſulti loquuntur per ſimilia verba, vt in l. ſi duo. ff. de arbi. in l. mutus. in prin. ff. de procura. in l. ab executione. C. quorum appel. nõ recipiantur. & ibi gl. allegat illud carmen:

Per verbum forte reſpondent ſæpè periti.

Reſpondet etiam ad illam gl. quòd cõmuniter determinatur contrarium, quia Epiſcopus eſt ſuperior, vnde nõ ligatur ſtatuto: ſed ad iſtud reſponſum eſt ſuprà. ſed puto quòd Pau. de Caſt. fuerit deceptus, quòd illa gl. loquatur in cauſa clericorum, & ita videtur intelligere: ſed iſta glo. intelligitur inter laicos, & ipſe in d. l. ex ea melius conſiderans illam approbauit.

Et quia ſuprà fuit dictum, quòd vbicunq; ſit mentio de conſuetudine, debet intelligi de longa & præſcripta, vt eſt textus ſingularis in c. Cumana. de elect. Hoc tamen ſingulariter limitant Anto. de Bu. & Abb. in d. c. Cumand. niſi hoc verbum eſſet prolatum in materia larga, puta in libello, quia tunc intelligitur de conſuetudine

tudine etiam non præſcripta.c.querelam.de elect.et dicunt illud procedere,quando conſuetudo etiam nō præſcripta fundat intentionē libellantis, quia in dubio debemus verba libellantis in eius fauorem latè intelligere: vnde, ſi dico in libello,quod conſueui eligere, ſufficit probare, quod aliquando elegi, licet non probem, quòd per tantum tempus,quod ſufficit ad cōſuetudinem præſcribendam.l.ſi quis intentione ambigua.ff. de iudi. ſecùs autem foret, vbi ad fundandam intentionem libellantis requireretur conſuetudo præſcripta,quia tunc de illa intelligeretur: hunc etiam textum allegat Bald. ad hoc in l. binos.C. de aduo. diuer. iudi. & videtur etiam ipſum limitare,dum format quæſtionem ſic: Olim conſueuit eſſe ſalarium centum florenorum, poſtea cœpit eſſe ducentorū,dicunt literæ Principis cum ſalario conſueto. Quæritur, quid inſpicietur? Et videtur quòd inſpiciamus ſalarium longo tempore conſuetum, non illud,quod eſt tribus vel quatuor annis præſtitum: quia cùm de conſuetudine facimus ſimpliciter mentionem, intelligitur de longa conſuetudine.c.Cumana.de elect. ſed dicit Bald.quòd inſpiciendi ſunt proximi præcedentes anni,& ad illud ſit relatio.l. Mela.§.j.ff.de alimen. lega. & ſic ex iſta deciſione colligitur limitatio ad d.c. Cumana. & hunc textum nō fuit memor allegare Bal. in c.j.de feu.cog.dum dicit, quòd illud, quod dicitur de cōſuetudine,intelligitur de præſcripta: nam antequam non dicitur præſcripta, nō dicitur conſuetudo, ſed dicitur

tur

tur voluntas inducendi conſuetudinam. & Bald. in d. c. Cumana. per illum textum. dicit quòd non eſt perpetua & vera conſuetudo, niſi ſit præſcripta.

Et quia ſuprà tactum eſt, quòd per non vſum non tollitur lex, vt per Barto. in. §. & antea. in procę. ff. & notant Dd. in c. Ioannes. de cleri. coniuga. addo quòd ſemel allegaui hoc contra vnum, qui exiſtimabat ſe ſapientem in iure, & putabat me dixiſſe hæreſim in iure: ſed dixi, Vade frater & melius ſtude, quia iura non addiſcuntur vagando quotidie de loco in locum. ſi tamen non vſus haberet in ſe tacitum actum contra diſpoſitionem iuris, induceretur conſuetudo. Exemplum, lex defert hæreditates communiter & æqualiter omnibus filijs non diſtinguendo inter maſculos & fœminas. l. maximum vitium. C. de libe. præte. ſed conſuetudo defert tantùm primogenito, & nunquam fœminæ: licet enim fœmina vel ſecundogenitus nunquam fuerit vſus illo iure communi, nihilominus inducitur conſuetudo, quia hîc actum fuit contra ius commune: & ſic de ſimilibus. quod nota multùm, ne erres, ſicut errabat ille ſapiens.

Et quia ſuprà allegatum eſt dictum ſingulare Bart. in l. j. in fin. ff. de legibus. quòd vſus mulierum non inducit conſuetudinē: & iſtud dictum multùm extollit Roma. in ſingularibus ſuis. ſed iſta non videtur magna ſingularitas: nam regula eſt in l. de quibus. & ibi notat Bald. ff. de legibus. quòd ille demùm populus poteſt induce-

ducere conſuetudinem, qui poteſt ſtatuere: & qui non poteſt ſtatuere, non poteſt conſuetudinē inducere, quia vtrobique requiritur par potentia cauſæ efficientis: cùm ergo mulieres non poſsint intereſſe ſtatutis condendis. d.l.j. ergo nec etiam poſsunt conſuetudinem inducere. addo tamen quod Barto. in repetitione.l.j.C. quæ ſit long. conſuetu. dicit, quòd ſi mulieres frequenter vſæ ſunt inter ſe aliquo actu contra legem diuturno tempore, illa conſuetudo inter eas debet ſeruari non tam ex conſenſu earum, quàm ex conſenſu totius populi ſeu maioris partis, quia ſic patiendo videntur tacitè conſentire. Audiui ſemel Paduæ honoris cauſa vnum Doctorem legentem in principio ſtudij, qui inter alia in lectione illa allegauit Imol. in l.ij. in princ. quæ incipit, moribus.ff. de vulga. & pupil. qui dicebat per illum textum poſſe induci quaſdam cōſuetudines, quòd quis decedat pro parte teſtatus, et pro parte inteſtatus: et quòd quis poſsit decedere cum pluribus teſtamentis: poſt lectionem dixi illi Doctori, quòd Bald. hoc dicebat in l.de quibus.ff. de legibus. vbi etiā dicit, quòd valet conſuetudo inſtituendi hæredes in codicillis, ſi ita eſſet ſæpiſsimè obſeruatū: dixi etiam, quòd eodem modo valebit cōſuetudo, quòd pupillus poſsit obligari ſine auctoritate tutoris.l. more. per illum textum.ff. de acquiren. hæredi. valebit etiam conſuetudo, quòd fœmina poſsit eſſe iudex.l. cùm Prætor. in ver. moribus.ff. de iudi.

Circa ea, quæ dixi ſuprà, quòd per deſuetudinē non

abro-

abrogatur lex, volo addere dicta Pau. de Caſt. in d. l. de quibus. ff. de legi. qui dixit, quòd habemus tria vocabula, ſcilicet non vſum, deſuetudinem, item contrariam conſuetudinem. legis non vſus eſt, quando non occurrit caſus, in quo oportuit legem ſeruare: & ſi hoc per mille annos contingeret, lex propterea non eſſet abrogata, & ponit exemplum in cautione damni infecti, quia rarò aut nunquam accidit caſus, in quo expediat eam petere, vnde propter hoc nõ eſt correctus titulus de dam. infect. Deſuetudo dicitur, quando caſus contigiſſet, ſed non fuit petita. Exemplum etiam in ſatiſdationibus, quas debet præſtare actor, cùm dat libellum. auth. generaliter. C. de epiſc. & cleri. authen. libellum. C. de litis conteſt. illæ à longiſſimis temporibus nunquam fuerunt petitæ, & propter hoc illæ authenticæ ſunt per deſuetudinem abrogatæ per textum in d. l. de quibus. Contraria conſuetudo eſſet, ſi fuiſſent petitæ, & tamen non præſtitæ animo inducendi cõſuetudinem, ne præſtentur, & tunc etiam multò fortius lex abrogatur. Sed aduerte, quia, vt puto, Pau. de Caſt. errauit volens facere differentiam inter non vſum & deſuetudinem, quia neq; per non vſum neque per deſuetudinem abrogatur lex, niſi eo modo, quem ſuprà declaraui. nec obſtat l. de quibus. in fin. ff. de leg. ſuper qua ſe fundat, quia intelligitur, vt dictum eſt. & contra ipſum adduco Barto. in. §. & antea. in procem. ff. dum formaliter dicit ſic: Quæro, nunquid per deſuetudinem tollatur lex? Et dico per

deſuetudinē tolli, ſcilicet deuiando ſeu diuertendo à recto intellectu: ſed ex eo, quòd non vtatur abſit à ſæculo, quòd abrogetur: iſta ſunt verba Bar. in d. §. et antea. Nō obſtat illud quod dicit de ſatiſdatiōe, quia illa fuit ſublata per cōtrariam conſuetudinē, non per deſuetudinē. & ita voluit Bar. in d. auth. generaliter. dū dicit, quòd fuit petita, et nunquā obtenta: et contra ipſum adduco ipſum in d. auth. gener. vbi dicit allegando Goffredū & Albericū, quòd ſi illa cautio peteretur à reo, deberet præſtari, quia nō eſt abrogata per contrariā conſuetudinē, ſed nō eſt in vſu: quia ſatiſdationes iſtæ nō petuntur, ſed dicit Pau. de Caſt. Bar. dicere ſe vidiſſe peti, & nō obtineri. Quid poteſt dici clarius per Paul. de Caſt. contra ipſum Paulū? nam hic caſus cōtigit, & non fuit petita: tamē non eſt abrogata illa authētica, quod eſt expreſſè contra illa, quæ dicit in d. l. de quibus. cōtra ipſum etiā adduco Io. Fabri Inſti. de ſatiſda. §. ſed hodie. in prin. vbi dicit, quòd ſi reus inſtaret, deberet præſtari illa ſatiſdatio: non enim lex tollitur per non vſum, niſi contradictum fuerit, vel niſi per contrarium vſum. & ex verbis Io. Fabri colligo, quòd nō eſt differentia inter non vſum & deſuetudinem, quia caſus contigit, & tamen appellat non vſum. & Pau. de Caſt. appellat tunc deſuetudinem, ſi caſus contigit, & non fuit petita. Adduco etiam eundem Io. Fab. in. §. ex non ſcripto. Inſtitu. de iure natura. vbi in illa quæſtione, an conſuetudo tollat legem, quærit. nunquam fuit auditum in regno Franciæ, quòd

adulter puniretur pœna iuris, nunquid, ſi hodie accuſaretur, debebit & poterit puniri pœna iuris? Dd. dicunt, quòd ſic ſecundum eum, vnde deſuetudo nō tollit legem, niſi quando habet factum implicitum, vt quia adulter alia pœna punitus ſit. nec obſtat ſecundum Ioan. Fabr. textus in l. ordo. ff. de publi. iudi. in c. leges. iiij. diſt. in l. j. C. de Latina liber. tollen. quia intelliguntur ſecundū modificationem prædictam, videlicet per deſuetudinē, & factum contrarium c. ōtrá ipſum adduco etiam Bal. in l. de quibus. ff. de legi. in ver. modò quæritur, an ex nō actibus. vbi dicit, quòd ſi negatiua conſuetudo poteſt elici ex actibus, poteſt præſcribi, aliàs ſecùs. Contra ipſum etiam adduco Io. An. & Modernos in c. ſi. de conſue. in 6. vbi quærit, quid ſi Canonici in caſu illius capitis per longum tempus non fuerunt vſi illa conſuetudine optandi, an dicatur talis conſuetudo ſublata? Et dicit Ioan. And. quòd non, cùm vti ſit in eorum voluntate, vt in illo textu, vnde competit eis per viam facultatis: ſecùs ſi talis non vſus fuiſſet inductus propter contradictionem alterius partis impugnantis illam conſuetudinem, quia tunc tolleretur illa prima conſuetudo per contrariam deſuetudinem obſeruatam tanto tempore, quantum erat neceſſe ad inducendam conſuetudinem ſecundum Inno. in c. accedentibus. de priui. & eſt pulchra gl. in c. cùm de beneficio. de præben. in 6. & nota, quòd eſt differentia inter conſuetudinem & deſuetudinem: nam conſuetudo eſt, quando fit contra legem: deſue-

deſuetudo, quando nõ vtimur aliqua lege in iure poſita. et adde notata per Bal. in l. rem non nouã. C. de iudi. vbi dixit, quòd ſi ſtatutum dicat, quòd non valeat ſententia mercatorum, niſi omnes quatuor Conſules interſint in definitiua, ſed conſuetudo obſeruat trium ſententiam ſine quarto: dicit, quòd ex quo ita eſt de conſuetudine, derogatum eſt ſtatuto. & colligit ipſe, quòd ſi lege cauetur aliquid, & conſuetudine non habeatur, non vitiatur omiſſum. contra Paul. de Caſt. etiam adduco Areti. in conſil. cxxxiij. in fi. Hæc ſufficiant in hac quæſtione contra Pau. de Caſt.

Si deductum fuit in iudicio, an eſſet conſuetudo vel non, & iudex pronuntiauit conſuetudinem eſſe, & non fuit appellatum, & iudex non pronuntiauit corruptus, nec per errorem, cõſuetudo de cætero ſeruabitur. Archidia. in c. fruſtrà. viij. diſt. et eſt vnũ ſpeciale, quòd res inter alios acta, alijs præiudicat. et nullus amplius de ciuitate habebit neceſſe probare conſuetudinem, ſed ſufficit probare quòd in contradictorio iudicio obtentum eſt eſſe cõſuetudinem. & dicta per Archidia. approbat Bal. in l. cùm de conſuetudine. ff. de legi.

Conſuetudo, quæ reſpicit ordinem iudicij in probando, non requirit ſcripturam, cùm hoc ſit modici præiudicij, ſed iudex vocabit ad ſe Aduocatos & Procuratores palatij, & explorabit de conſuetudine. pro quo eſt bonus textus in l. iij. §. fin. ff. de teſti. ita notabiliter dicit Barto. in d. l. de quibus. in verſ. ij. probatur con-

ſuetudo.& Io.Fab.Inſtit. de iure natura.§.ex non ſcripto.qui ſubdit,quòd ſi iudex ſe ita informauit ſummariè,nec in ſcriptis redegit, & pronuntiauit pro conſuetudine, & fuit appellatum: quid tunc faciet iudex appellationis? Reſpondet quòd eodem modo ſe informabit. & de ſtylo curiæ eſt dictum Inno. in c. cùm dilectus. de ordine cognitio. quòd libellus fundatus ſecundum ſtylum curiæ conſuetum procedit. eſt textus in l.fina.C.de iniur.in l.inſtrumenta.& ibi Ange.C. ad exhiben.Bar. in l.j.C.de iuramen.calum.in l.cùm ſententiã. in l. iudex.C.de ſenten.in l.j.ff.de edendo. in l. cùm proponas. C.de bonis aucto.iudicũ poſſidendis.in l.j.§.in operis.ff. de operis noui nunti.in l.qui bona.§.ſi alieno.ff.de dam. infect.in l.terminato.C. de fructi.& litis expen. in authen.offeratur.C.de litis conteſtat.Bald.in l.ex ea.ff.de poſtulan. Io.Fab.in d.§.ex non ſcripto.quærit,per quot teſtes probetur conſuetudo? Reſpondet per duos.l. vbi numerus.ff. de teſti. licet ſecundum eum curia Franciæ recipiat decem. & ſubdit poſtea, quòd quando teſtes inducuntur ad probandam conſuetudinẽ temporis, cuius non extat memoria, debent ſic deponere ſe vidiſſe obſeruari ſuis temporibus,& à ſuis maioribus audiuiſſe ſic obſeruatũ,nec vidiſſe,nec audiuiſſe quenquam,qui aliàs viderit obſeruari.allegat l.ſi arbiter.ff.de proba.& ego ſibi addo notata per glo.& Dd.in c.j.de præſcript. in 6. Bart in l.ij.§.idem Labeo.ff. de aqua & aq.plu. arcen. Bal.in l.conuenticula.C.de epiſco.& cle. Canoniſtas in

c.quid

c. quid per nouale. de verbo. ſig. Alexan. conſil. vij. in primo volumine. ſi verò producuntur teſtes ſuper conſuetudine minori tempore inducta, oportet quòd deponant tot & tales actus, quòd præſumatur ſcientia populi & decurſus, ex quo præſumatur animus & alia, quæ neceſſaria ſunt ad conſuetudinem inducendam: & ideo videtur neceſſe, quòd ſpecificent caſus & perſonas, inter quas hæc viderunt, aliàs non poſſet ex eorum depoſitionibus deprehendi, qui ſint ſufficientes actus ad conſenſum populi præſumendum: ſi tamen illi, qui producuntur, eſſent ſapientes homines, & ſcirent quid eſt conſuetudo, & dicerent ſe non recordari, inter quas perſonas viderint obſeruari, nec in quibus caſibus ſatis eſſent eorum depoſitiones admittendæ ſecundum Io. Fab. qui etiam quærit, quid ſi deponant conſuetudinem eſſe? videtur quòd non valeat teſtimonium: nam videntur ſe potius iudices cōſtituere quàm teſtes: ipſi enim debent deponere ſuper actibus, & expleto curſu temporis. & pòſt iudex ex hoc diſcernet, an ſit conſuetudo, aliàs non valet teſtimoniū. allegat notata per Inno. in ſimili. in c. cùm cauſam. de teſti. hoc tamen intelligit ipſe, ſi vlterius fuerunt interrogati: ſecùs ſi non fuerunt interrogati per notata in l. ſolam. C. de teſti. de hoc tamen vide quæ inferiùs dicentur. Et idem, ſi deponant eſſe conſuetudinem, & dicant cauſam ſufficientem, deponendo de frequentia actuum & temporis curſu. Quærit etiam, an per teſtes ſingulares probetur conſuetudo?

quia deponunt de frequẽtia actuum & temporis tranſcurſu ſingulariter: quia vnus vidit vnum, alius aliud. & tenet quòd ſic, quia omnes inducuntur ad probandam conſuetudinem, ſed Barto. in d. l. de quibus. dicit, quòd ſi vnus teſtis deponat de frequentia actuum, alius idem: tamẽ in cauſa ſcientiæ diſcordant, quia vnus dicit, quòd vidit quoſdam actus, alius dicit de alijs: & iſti probant quia de frequentia cõcordant, ad quod inducuntur: non enim inducuntur ad probationem alicuius actus ſingularis: aut quilibet teſtis deponit de actu ſingulari tantùm, & iſti non probant: nullus enim actus eſt probatus, quia ſingularis, & de frequentia actuum non probant. addo notata per Bart. in l. Labeo. ff. de ſupellectile lega. vbi notabiliter declarat, qualiter probetur cõmunis vſus loquendi. & ibi allegat dictum Inno. in d. c. cùm cauſam. & ponit exemplum ſic: Teſtator habens multos equos, legauit alicui palafrenos ſuos. dubitatur, quid contineatur appellatione palafrenorum: hoc debet declarari ex communi vſu loquendi: ad declarandum autem cõmunem vſum loquendi debet ſic formari articulus ſecundum Bart. quòd à decem annis citra & per ipſum tempus cõmunis vſus loquendi fuit in hac ciuitate, quòd equus talis conditionis appelletur palafrenus: quia ad hoc, vt communis vſus conſtituatur, requiritur vſus longi temporis. & teſtis examinatus debet dicere contenta in articulo eſſe vera: interrogatus, quomodo ſcit, dicet, quia per dictum tempus in dicto loco audi-

audiuit equum talis conditionis ab omnibus tractantibus de hoc palafrenum vocari: & ideo teſtis debet dicere, quòd audiuit, quia ratio teſtis debet concludere id quod per ſenſum corporeum comprehenditur. l. qui teſtamento. in fin. ff. de teſtamen. & ideo, ſi teſtis interrogatus, quomodo ſcit, diceret, quia ſic communiter dicitur, nec apponeret ſe audiuiſſe, nihil concluderet: quia nõ teſtificatur aliquid quod ſuo ſenſu percipiat. & Bar. in l. ſi chorus. §. j. ff. de lega. iij. dicit, quòd in probando communẽ vſum loquendi, ſufficit teſtem dicere ſe audiuiſſe à ſenibus. & ibi Bart. ſe remittit ad dicta per eum in d. l. Labeo. & dicta per Bar. approbat Bal. in l ij. C. ſi aduer. rem iudi. Et pro confirmatione prædictorum addo notata per Barto. in l. de minore. §. tormenta. ff. de quæſtio. in illa quæſtione, quomodo probetur fama, quòd teſtis debet interrogari, à quibus perſonis audiuit: nam cùm fama debeat habere originem ab honeſtis perſonis, non poſſet ſciri, an habeat originem ab honeſtis perſonis vel non, niſi illæ perſonæ manifeſtentur. allegat notata per Innocen. in c. qualiter & quando. de accuſat. adeò, quòd ſi teſtis neminem nominaret, ſed diceret ſe non recordari, non valeret teſtimonium eius: & ſic vult Bart. quòd debeat interrogari. & Inno. in c. cùm oportet. de accuſa. vult, quòd non interrogatus debeat reſpondere, aliàs non probat: quia non ſtat in arbitrio teſtis indicare, an illæ perſonæ ſint graues & bonæ, vel fide dignæ. & idem tenent ibi Ioan. And.

 & An-

& Anto. de Bu. & per Abb. in d. c. cùm cauſam. de teſti. vbi extollit multùm theoricam Inno. ibi, quam dicit ab omnibus approbari, quòd in perceptibilibus aliquo ſenſu corporeo procedit illa diſtinctio, an fuit teſtis interrogatus, an non: quia valet eius dictum, ſi non dicit cauſam non interrogatus, ſed in perceptibilibus iudicio intellectus tantùm eſt neceſſe, quòd reddat cauſam, aliàs non valet teſtimonium, etiamſi non fuit interrogatus, quia de his deponere non propriè ſpectat ad officiũ teſtis. Iſtud etiam dictum Inno. approbat Barto. in tracta. de teſti. quod tamen ibi Bar. intelligit procedere in his, quæ percipiuntur magno diſcurſu rationis: ſecùs in his quæ percipiuntur facili diſcurſu, ita quòd veniant per ſenſum corporis ad intelligentiam faciliter, & valde ſupinus eſſet, qui non intelligeret. & iſta dicta Bart. refert & ſequitur Abb. in d. c. cùm cauſam. In oppido Eſtenſi in territorio Paduano, Prætor nouus fecit edictũ, quòd nemo deferret arma ſub certa pœna: quidam, qui venit nouiter ad illum locum, fuit inuentus cum armis, & ab Officiali fuit captus, & ductus ad carcerem: procurator, qui habuerat ab illo vnum florenum, coram Prætore defendebat illum, quia erat forenſis, et ignorabat tale edictum poſitum per Prætorem, & quòd non traxerat ibi tantam moram, quòd veriſimiliter potuiſſet ad eius notitiam perueniſſe. Ego autem, qui cum Prætore ipſo ſedebam in loco publico, dixi, quòd ipſe commiſerat rem prohibitam ſecundum generalem conſuetudinem

Ita-

Italiæ:quia generaliter eſt prohibitum, ne arma deferantur, & ideo non poteſt allegare ignorantiam ad ſui excuſationem. allegaui notata per Bart. in d. l. de quibus.ff.de legibus.in verſ. Item quæro, nunquid liget forenſes &c.& Bar.in l.fi.§.licet.ff.de publica.vbi dixit, quòd cùm communiter per omnes ciuitates Italiæ ſint ſtatuta de armis non portandis,& de frumento non extrahendo,non excuſantur forenſes: & ſolent talia ſtatuta ſæpè publicari.& per Bar. in l. cunctos populos.C. de ſumma trini.& fide catho.& Pau.de Caſt.in d.§.licet.vbi dicit,quòd non licet forenſibus ignorare ſtatutum loci de gabellis ſoluendis:& hoc ideo, quia iſtæ gabellæ quaſi vbicunque ſoluuntur, ideo fuit in culpa non inueſtigando.& notata per Bald.in l. data opera. in v. col.C.qui accuſa.non poſſ.vbi dicit,quòd vbi ignorantia non excuſat à crimine,non excuſat à pœna,licet delinquens errauerit, quia non credebat eſſe tam magnam pœnam. allegat d.l.fina.§. licet.ff. de publica. nam qui credit,vel credere debuit,delinquere,implicitè in omnẽ pœnam conſenſiſſe videtur. l. j.§. beſtias.ff. de poſtu.& dixit Bal.hoc procedere in faciente,ſed in nihil faciente excuſat ignorantia.l.fin.ff. de decre. ab ordì.facien. Conſului tamen ipſi Prætori, quòd in aliquo minueret pœnam:& ita fuit factum, quia Bart.in d. l. de quibus. dicit quòd non licet allegare ignorantiam ad totalem excuſationem.& pro ipſo allego bonum textum in l.fi. §.diui.ff. de publica. addo etiam ad prædicta Bald. in l.

 venia.

venia.C.de in ius vocan.vocan.vbi notabiliter loquitur. & in l. cunctos populos. in verſ. circa maleficium.C. de ſumma trini.

Conſuetudo eſt in ciuitate Venetiarum, quòd valeat teſtamentum factum coram duobus teſtibus: ibi erat quidam conciuis meus, qui grauiter infirmabatur in vno hoſpitio: fecit me vocari & interrogauit, quia volebat facere teſtamentum, an deberet teſtari ſecundum conſuetudinẽ illius ciuitatis, an ſecundum ius commune, ſecundum quod requiruntur ſeptem teſtes in teſtamento, & ſi teſtaretur illo modo, an ſuum teſtamentum valeret? & ego prima fronte dubitaui, & mouebar tali ratione: Statuta ſunt ius proprium ipſius ciuitatis. l. omnes populi.ff. de iuſti. & iure. ergo non porrigitur ad extraneos: & tandem memoria percurrens, inueni ea quæ faciebant ad deciſionem huius caſus, & dixi: Si conſuetudo eſt ſimpliciter indefinita, & non reſtricta ad ciues, porrigitur etiam ad forenſes facientes ibi teſtamentum, quia quæ concernunt voluntariam iuriſdictionem comprehendunt etiam extraneos. l. j. C. de emancipa. libero. & iſta eſt deciſio Barto. in d. l. de quibus.ff. de legibus. & idem voluit ipſe in l. qui à latronibus. in fine princ.ff. de teſtamen. vbi hoc ſingulariter limitat non procedere in illo, qui vellet teſtari in ciuitatibus hoſtium populi Romani, puta apud Turcos, quia perdiderũt ea quæ iuris ciuilis ſunt, nec poſſunt facere teſtamentum ſecundum conſuetudinẽ ipſorum, cùm teſta-

teſtamenti factio ſit iuris ciuilis.l.iij.ff.de teſtamen.& ideo Chriſtianus, qui eſt apud Turcos, debet facere teſtamentum ſecundum ius commune,vel ſecundum conſuetudinē ciuitatis ſuæ ſecundum Bar. ſed iſtud dictum Bar.nō videtur verum, quia apud barbaros eſt ius gentium,quod eſt generale & æquiſſimum:& ideo ſi Chriſtianus facit teſtamentum apud illos coram duobus teſtibus,videtur quòd valeat.& refert Bal. in l.ius ciuile. ff.de iuſti.& iure. ita cōſuluiſſe.ad idem allego Bald.in l.ij.C.quemadmo. teſtamen. ape. vbi dicit, quòd de facto fuit conſultus ſuper quodam teſtamento cuiuſdam mercatoris de Anchona facto in terris Suldani Babyloniæ.dicit Bal. quòd teſtamentum valebat factum ſecundum merū ius gentium, quod præſumitur ibi vigere,niſi contrariū probetur,cùm tale ius ſit etiam apud ipſos:nam iſtud ius gentium eſt bonum & æquum,ergo ſeruandum. & ibi facit mentionem de dicto Bart. in d. l.qui à latronibus.& dicit,quòd Barto. loquitur in hoſtibus imperij Romani,quorum conſuetudo non eſt conſuetudo,neque eorum ſtatuta ſunt ſtatuta:& ideo non ſequenda.authenti.nauigia.C. de fur. vnde teſtamentum, quod fieret ſecundum eorum conſuetudinem, non valeret.& idem videtur ſentire Bald. in rubri.ff.de rerum diuiſi.in iiij. col.Paul.de Caſt. in d. l.ij.facit mentionem de Bar.& Bal.nec videtur ſe firmare:tamē poteſt dici,quòd tenet opinionē Bal.poſtquam illam vltimo loco recitat,nec impugnat argu.eorū,quæ habentur

per

per gl.in l.qui filium.§.Sabini.ff.ad Trebel. & per Bal. in authen.ex teſtamento.C.de collat.& iſtas opiniones retulit etiã idem Pau.de Caſt.in l.nutritoribus.C.commu.de ſucceſ.puta opinionem Bart. procedere, quando ibi eſſet aliqua conſuetudo in teſtando:ſed ibi ſolùm vbi vigeret ius gentium,& teſtamentũ eſſet factum ſecundum merum ius gentium,valeret:et ita procedat opinio Bald.quam videtur ſequi Paul. de Caſt.& in q.j. addo Specu. qui ſe non firmat in tit.de inſtru.edi.§. compendioſe. verſ. quid de conſuetudine. Coram quodam iudice in palatio Paduæ contendebatur inter duos de hoc caſu,me ſuperueniẽte,nam emptor equi petebat à venditore ſellam, venditor negabat ſe eſſe obligatum: procurator emptoris allegabat conſuetudinem ita eſſe, & offerebat ſe probaturum, & petebat terminum ad hoc probandum.Ego autem dixi,quid eſt opus ire per mendicata ſuffragia?volo allegare deciſionem iuris, quòd ſit obligatus,licet Bart. in l. de quibus.ff. de legibus. in lectura alleget ita eſſe de conſuetudine.& adduco Barto. in l.eum qui.§.non ſolùm.ff.de fur.in l.ſi vt certo.§.vſqueadeò.ff.commodati.& veniunt etiam ea ornamenta,quæ erant in equo tempore venditionis, & antè per duos dies. textus eſt ſingularis in l.ædiles.§.vendendi. ff.de ædil.edict.& Bal.in l.ij.C.de ædili.act.dicit,quòd cùm venditor oſtendit equum ornatum, debet tradere ornamenta:illud enim venit in cõtractu in dubio, quod tempore contractus oſtenditur.allegat d.§.vendendi.et

Bal.

Bal.in d.l. ædiles.dicit, quòd qui oſtendit equum cum ornamentis, debet ipſum tradere cum illis, quia videtur venditus cum omnibus quibus monſtratus eſt. quod limitat ſingulariter Pau.de Caſt.in d.§. vſqueadeò.niſi talia ornamenta haberent arma ipſius venditoris, quia illa cõcernunt perſonam ſuam,nec eſſet decens, quòd ad alium transferrentur.& illud quod dixit Bar.in d.l.de quibus.poſſet procedere etiam,ſi equus nõ oſtendatur cum ſella. Legi ſemel quoddam inſtrumentum, quod nõ habebat omnes ſolennitates à iure inductas, de quibus per Specu.in tit.de inſtru. edi.§.j. verſ.poſt nomen. & in.§.inſtrumentum.verſ.quid ſi locus.per Bald.in l. contractus.in l.comparationes.C.de fi.inſtru. in l.optimam.C.de contrahen. & committen.ſtipu. per Pet. de Ancha.in c.Abbate.de re iudi.in 6.per Io.An.in c.inter dilectos.de fi.inſtru.per Bar.in l.libellorum.ff.de accuſa.per Bald.Inſtit.de publi.iudi.in princ.per gl.in l.generali.C.de tabula.libr.x.in l.j.§.editiones.ff. de eden. eſt textus in l. ij. §. diem.ff. quemadmodum teſtamen. ape. & dum dixiſſem tale inſtrumentum non valere, reſpondit mihi procurator ille,qui habebat tale inſtrumentum, Ita eſt conſuetudo, quòd talia inſtrumenta fiant abſque illa iuris ſolennitate: tunc dixi verum eſſe, quòd talis conſuetudo valeat. & ille procurator voluit in ſcriptis habere aliqua ad hoc propoſitum, & ſibi dedi.allegaui Bald. in d. l. de quibus.ff. de legibus.in verſ. item quæritur ex actibus minus ſolennibus.nam nomen

Con-

Conſulis eſt neceſſe apponi de iure: tamen, quia non eſt de cõſuetudine, valet inſtrumentũ. & mirum eſt, quòd Bal. non allegauit textum in c. cùm dilectus. de fi. inſtr. vbi expreſſè dicitur, quòd conſuetudo loci facit inſtrumentum authenticum, quod aliàs non eſſet. item, conſuetudo dat alicui iuriſdictionem, qui aliàs non haberet. c. dilecti. de arbit. c. cùm contingat. de foro compe. l. j. C. de emancipa. libe. & conſuetudo facit aliquem illegitimum, qui aliàs eſt legitimus ad promotionem. c. cùm olim. de cleri. coniuga. & notat Abb. in d. c. cùm dilectus. quòd valet conſuetudo, diſponens circa ſolennitatem alicuius actus, etiam circa Principi reſeruata. c. ſuper quibuſdam. de verborum ſignifi. nam, vt habetur in d. c. cùm dilectus. cõſuetudo poteſt dare alicui poteſtatem tabellionatus. & licet textus ille loquatur in Rege, idem tamen eſt in alia perſona inferiori, quòd per illum textum tenet Io. An. in c. ſaeculares. de foro comp. in 6. in nouella. ad idem Bar. in l. ſi ſeruus communis. ff. de ſtipu. ſeruo. vbi per textum in d. c. cùm dilectus. dixit vnum, quod eſt multùm ſingulare, quòd iudex poteſt ſcribere acta, & ei fides adhibetur, ſi hoc habet conſuetudo, quod eſt ſingulare pro limitatione. c. quoniam contra. de probatio. & valet conſuetudo, quòd credatur inſtrumẽto Notarij ſine teſtium ſubſcriptione. dictum eſt ſingulare Inno. & Hoſti. quos ſequitur Abb. in d. c. cùm dilectus. & pulchrè loquitur Oldradus conſil. xcv. vbi dicit, quòd cõſuetudo detrahit etiam inſtrumento,

quod

quod ſic probat, regulariter quod poteſt in vnum oppoſitorum, poteſt etiam in reliquum.l. is qui hæres. in prin.l.is poteſt.ff.de acqui. hæredi. ſed conſuetudo facit inſtrumentum, quod non eſt aliàs de iure ſufficiens ad probandum eſſe ſufficiens.d.c.cùm dilectus. ergo etiam detrahit fidei inſtrumenti: in talibus enim locorũ conſuetudo attenditur.l.fi.C.de teſtam.& allego ſingularem glo. in auth. vt præponatur nomen Imperatoris.in prin.in ver.puta.quæ voluit, quòd poſtquã de conſuetudine apponuntur anni incarnationis Dominicæ in inſtrumẽtis, ſi nõ apponerentur inſtrumento, nõ valeret, quã gl.dicit ordinariã Bal.in d.l.de quibus.et Abb.dicit ſingularem in proœm.Gregor.quòd omiſſio ſolennitatis ex ſola conſuetudine inducta, habet vitiare actum. Et poteſt inferiori Prælato cõſuetudo tribuere poteſtatem interdicendi aliquam ciuitatẽ.gl. eſt notabi.in c. dilectus.in ver.interdictum.de appel.non valet tamen conſuetudo diminuens ſolennitatẽ introductam in alienatione rerum eccle.glo. eſt notabiis in c. cùm cauſam.de re iudi. ſed quòd valeat talis conſuetudo, allego glo.in l. diuturna.ff.de legi.in authenti.hoc ius porrectum.C.de ſacroſanct.eccleſ.in rubri.C. quæ ſit long. conſuetu. ſed iſtas glo. reprobat Barto. in d. auth.hoc ius porrectum. Paul.de Caſt.in d.l.de quibus.dicit, quòd in his, quæ non concernunt damnũ Eccleſiæ, puta in corrigendis exceſſibus vel ſimilibus, poteſt præſcribi, quòd Prælatus ſine Capitulo, et econuerſo, poſſit actum gerere, licet de iure requi-

requiratur conſenſus vtriuſque. allegat c. ea noſcitur. de his quæ fiunt à Prælato. c. tertio. de conſuetu. in 6. in his verò, quæ poſſunt cõcernere damnũ Eccleſiæ, vt in alienatione bonorũ immobiliũ, non poteſt induci per cõſuetudinẽ, quòd vnus ſine altero poſſit: nec etiam quòd ex cauſa à iure non approbata poſſit. & iſtud dubium erat reſpectu conſuetudinis clericorum: ſed cõſuetudo laicorum indiſtinctè nõ valet, quòd res eccleſiæ poſſint vendi ſine ſolennitate à iure requiſita, quia nõ habent poteſtatẽ diſponendi de ipſis. c. Eccleſia ſancta Mariæ. de conſtitu. ſecundum Pau. de Caſt. in d. l. de quibus. in fin. Bal. autem in d. auth. hoc ius porrectum. dicit ſic, quòd aut conſuetudo diſponit ſuper iure perſonæ, puta quòd poſſet irrequiſito Capitulo alienare, & non valet iſta conſuetudo. c. cùm cauſam. de re iudi. aut diſponit ſuper iure cauſæ, puta pro quacunque leui cauſa poſſit alienare, donare & ſimiliter non valet: aut diſponit ſuper iure ſolennitatis vel formæ, & tunc refert, an omninò omiſſio formæ poſſit eſſe damnoſa Eccleſiæ, puta omiſſio tractatus, & non valet. d. c. cùm cauſam. in ratione ſui. aut omiſſio formæ non eſt damnoſa Eccleſiæ, & tunc poteſt: vnde multa ſunt de forma, quæ non ſunt approbata de conſuetudine, vt notatur in c. dudum. de rebus eccle. non alienan. in 6. Vnde, ſi conſuetudo habet, quòd ſufficiat ſingularis conſenſus cum expreſſione nominis ſingulorum ita, quòd Eccleſia per hoc non accreſcat vel decreſcat aliquid, valet conſuetudo. allegat Archidia. in c.

in c. ſine exceptione. xij. q. ij. Abb. in d. c. cùm cauſam. dicit ex intentione Ioan. And. quòd conſuetudo poteſt addere ſolennitates, ſed non diminuere ſolennitates inductas à iure; quod dicit eſſe notabile. & idem dicit ipſe in c. nulli. de rebus eccle. non alienan. Bald. in d. c. cùm cauſam. loquitur de conſuetudine laicorum, quod non valet in rebus eccleſiæ, quia non habent iuriſdictionem in rebus eccleſiæ. & ſicut facere ſtatuta eſt iuriſdictionis, ita facere ſiue creare conſuetudinem. & ſubdit, quòd non valet ſtatutum, nec conſuetudo laicorum in his quæ legantur pauperibus in genere, quæ derogant iuribus eorum. Bald. in rubric. C. quæ ſit long. conſuetu. dicit, quòd non dicitur conſuetudo ſed potius corruptela, quòd clerici vendant ſine ſolennitate. Pau. de Caſt. in l. etiam. ff. ſolut. matrimo. videtur approbare. glo. in d. l. diuturna. quòd valeat conſuetudo clericorum in rebus eccleſiaſticis alienandis. & ſi Paul. de Caſt. vult intelligere illam glo. de ſolennitate à iure inducta, non bene dicit, ſed in caſu, quem ponit ibi. forte poßet hoc induci conſuetudine, videlicet de concedendo in emphyteoſim etiam in extraneos hæredes. & circa hoc notabiliter loquitur Bald. in authen. ſi quas ruinas. in princ. C. de ſacroſan. eccle. dicit enim, quòd ſi in Eccleſia eſt certa conſuetudo emphyteoticandi, illa conſuetudo debet obſeruari: vnde, ſi eſt conſuetudo concedendi in tertiam generationem maſculinam, non poßit tranſire in fœminam, quia à conſuetudine non eſt recedēn-

dendum, de quo etiam per Bald. in authen. qui rem. C. de ſacroſan. eccle. & ſubdit Bald. in d. authenti. ſi quas ruinas. quòd ſi ſimpliciter ſit facta conceßio, videtur facta ſecundum formam conſuetam, & perſonæ conſuetæ, tacitè intelliguntur & includuntur argumento. l. licet. C. locati. Bald. tamen in c. j. in princ. qui feudum dare poß. videtur velle, quòd Prælatus poßit præſcribere conſenſu capituli, & videtur approbare gl. in d. authenti. hoc ius porrectum. ſed poteſt ſaluari in his quæ habentur in c. iij. de conſuetudi. in 6. in c. ea noſcitur. de his quæ fiunt à Præla. & ego allego ſingularem glo. in Cle. ſi. de rebus eccleſ. non alienand. quæ vult, quòd talis ſolennitas ſit impræſcriptibilis. Hoc autem limitat Bald. in authenti. ſi qua mulier. C. de ſacroſanct. eccle. dicens: quòd ſi conſuetudo eſt, quòd fratres Prædicatores poßint accipere bona, & vendere pro neceßitatibus eorum, quia volunt viuere, quòd poterunt vendere non ſeruata ſolennitate, quia vendunt ex neceßitate eorum ſtatus; nam poßidere repugnat eorum ſtatui: ſi autem, dicit Bal. non apparet de conſuetudine, ipſi non poßunt petere bona ingredientium, nec ſuccedere per aliquam vniuerſalem ſucceßionem: ex quibus infert, quòd generalis conſuetudo ordinis Prædicatorum poteſt derogare conſtitutioni eorum in his quæ non ſunt de genere nec natura prohibitorum, nec eorum tranſgreßio inducit peccatum. idem voluit. Bald. quòd conſtitutiones ipſorum poßunt limitari per conſuetudinem in authenti.

thenti. ingreſsi.C. de ſacroſanct. eccleſ. circa princ. & quòd in venditionibus, quas faciunt fratres Prædicatores, qui non poſsunt retinere proprium, non requirantur ſolennitates, quæ requiruntur in alienatione rerum eccleſiæ. tenuit etiam Bald. in d. c. cùm cauſam. de re iudica. & in d. authenti. hoc ius porrectum. in vltima colum. Nota etiam, quod Bald. in d. c j. qui feudum dare poſſ. allegat quædam pulchra de conſuetudine: dicit enim, quòd conſuetudo habet vim decreti. allegat textum & gl. in. §. fina. in auth. de vſur. nauti. item tenaciter obſeruata habet vim iuſtitiæ, & dat iuriſdictionem. l. viros. C. de diuer. offi. libr xij. Conſuetudo dat mandatum. l. nulli. ff. quod cuiuſque vniuerſita. nomi. Item conſuetudo dat iuriſdictionem arbitris. allegat dictum Innocen. in c. cùm ab eccleſiarum Prælatis. de offi. ordina. addo etiam Bald. in d. authenti. ingreſsi. in prin. C. de ſacroſan. eccle. qui voluit, quòd conſuetudo poteſt conferre filiofamilias ius teſtandi. & valet conſuetudo in omnibus quæ ſunt de iure poſitiuo. allegat notata per Innoc. in c. Rainucius. de teſtamen. non poteſt tamen conſuetudo tribuere Monacho ius teſtandi ſecundum Bal. quia repugnat regulæ, & regula nõ poteſt mutari, licet conſtitutiones poſsint mutari. Bene poteſt Papa concedere Monacho poteſtatem teſtandi. dictum eſt Bald. in l. fina. C. vnde legiti. in verſ. & prædicta faciunt ad quæſtionem. vbi notabiliter dicit, quòd talis licentia teſtandi extenditur ad

teſtamentum antea conditum. & idem ponit Alexan. in l. & militibus. C. de teſtamen. milit. quando Papa dedit licentiam Cardinali teſtandi de redditibus beneficiorum, quòd extendatur etiam ad teſtamentum antea conditum. Dum duo contenderent coram iudice me præſente, an valeret vna conſuetudo? tunc dixi, Volo allegare vobis vnum dictum ſingulare Innocen. in c. cùm inter. de conſuetudi. quòd cùm iſta ſit quæſtio iuris, an valeat conſuetudo vel non? talis quæſtio dirimi poteſt ſine ordine iudiciario. & iſtud dictum multùm notat Bald. in l. de quibus. ff. de legibus. qui dicit idem, vbicunque eſt quæſtio de viribus vel intellectu alicuius conſtitutionis, & iſtud dictum placuit multùm iudici. Et nota, quòd cõſuetudo accipitur tribus modis: Primo modo pro aſſuefactione hominis, & tunc eſt factum. l. vel vniuerſorum. ff. de pignorat. actio. l. ſi ſeruus plurium. §. fina. ff. de legat. j. quæ conſuetudo accidit etiam in animalibus. §. apum. Inſtitu. de rerum diuiſio. & ex iſto facto oritur iuris diſpoſitio, & de hoc non loquimur in hac materia. Secundo modo accipitur conſuetudo pro facto plurium perſonarum, & iſtud appellatur vſus ſeu mos, & iſtud ſimiliter dicitur eſſe facti, quod debet probari. l. j. C. quæ ſit long. conſuetu. Tertio accipitur conſuetudo pro iure, quod reſultat ex vſu & moribus plurium perſonarum, & ſic nos loquimur de hac conſuetudine, quæ etiam poteſt aliter definiri, vt definit Barto. in repetitione. l. de quibus. ff. de legi-

legibus. quòd conſuetudo eſt ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex. & nota dum dicitur, cùm deficit lex, vt oſtendat non valere conſuetudinem à lege reprobatam: nam aut conſuetudo eſt in caſu à lege non deciſo, & tunc deficit lex: aut à lege deciſo, & tunc ſiquidem lex non reſiſtit conſuetudini, valet conſuetudo, & tunc impropriè dicitur, quòd deficit lex, quia per conſuetudinem abrogatur, vel generaliter, vel ſpecialiter: aut lex reſiſtit conſuetudini, & tunc lex non deficit, nec conſuetudo valet ſecundum Barto. in repetitione. l. de quibus. ff. de legibus. Et nota ſecundum Barto. in dicta repetitione, quòd ſtylus appellatur conſuetudo, quæ reſpicit ordinem loquendi, ſcribendi, vel procedendi. conſuetudo eſt, quæ reſpicit deciſionem.

Dictum eſt ſuprà, quòd rectè dicitur conſuetudo præſcripta contra Petrum. addo Barto. in dicta repetitione, qui dicit, quòd quædam ſunt iure inducta & diſpoſita, quæ præſcriptione tolluntur, & in alium transferuntur, vt patet in præſcriptione alicuius dominij rei: quædam ſunt iure nõ inducta, ſed præſcriptione inducuntur, vt apparet in præſcriptione ſeruitutis: item in conſuetudine præſcribenda inducitur ius, meritò poteſt dici conſuetudo præſcripta. Quærit Barto. quid ſi proferantur plures ſententiæ intra decem annos, nec apparet, an ſint executioni demandatæ? & Bar. ponit quoſdam caſus, quorum primus eſt: Si non fuerunt

mandatæ, quia pars tacuit & neglexit, nihilominus inducitur conſuetudo. Secundus caſus eſt, ſi non ſunt mandatæ executioni, quia non potuit, quia aut ſententia erat nulla, aut reſciſſa per appellationem, et non inducitur conſuetudo. Tertius caſus eſt, ſi fuit petita reſtitutio in integrum propter iniquitatem ſententiæ, et fuit conceſſa, & non inducitur conſuetudo: ſecùs ſi fauore perſonæ. & concludit Barto. in dicta repetitione, quòd ita demùm ex ſententijs nullis inducatur conſuetudo, ſi fuerunt executioni mandatæ.

Et licet ſit tactum ſuprà de ſententijs arbitrorum, ſcias, quòd Barto. in dicta repetitione tenet, quòd ſi ex ſententijs emologatis oriatur actio, & tunc inducitur conſuetudo ſecundum Guil. de Cu. ſed dicit Barto. etiamſi non oriatur actio, inducitur conſuetudo, ſicut ex contractibus & alijs actibus extraiudicialibus. Et nota, quòd in d. l. de quibus. in repetitione tenet Barto. quòd credatur Doctori excellenti alleganti conſuetudinem, nec eſt opus alia probatione. allegat gloſ. in l. dos à patre profecta. C. ſolut. matrimo. tamen communiter tenetur contrarium, vt probat Alexan. in l. poſt dotem ff. ſolut. matrimo. dicens, quòd vox mortua non poteſt inducere conſuetudinem, quæ eſt quid facti. & concludit, quòd, etiamſi eſſent plures, non crederetur eis, niſi aliter probetur illud, quod eſt facti. & allegat Bald. in l. ſi is qui. §. j. in lectura antiqua. ff. de pigno. in l. conſentaneum. C. quomodo & quando iudex. Et reſpon-

reſpondet ad allegata in contrarium, quia loquuntur in dubijs iuris non facti, licet Moderni in c. eccleſiaſticarum.xj.diſt.teneant opinionem Barto. de quo etiam per Imol. in l. j. §. nuntiatio.ff. de ope. no. nuntia. qui voluit, quòd ſaltem requirantur duo. Probatur etiam conſuetudo ſecundum Barto. quando probatur illud, ex quo reſultat conſuetudo. Exempli gratia, producuntur duæ ſententiæ latæ intra decem annos, in quibus tota hæreditas eſt adiudicata primogenito, licet non ſit ſcriptum in ſententia, quòd talis ſit conſuetudo probata conſuetudo. nec eſt neceſſe quòd probetur maiorem partem populi hoc ſciuiſſe, quia præſumitur: nam cùm ſententia definitiua feratur cum magno conflictu, præſumitur quòd maior pars populi ſciuerit, vel ſaltem maior pars conſiliariorum, qui totum populum repræſentant, & qui conuerſantur in palatijs. & eadem ratione dicit de interlocutorijs. Quandoque ſecundum Barto. probatur conſuetudo per acta extraiudicialia, quando tractatur quæ ſit conſuetudo contrahendi, & tunc per inſtrumenta probatur.l.quòd ſi nolit.§.qui aſſidua.ff. de ædili.edict. l.ſemper in ſtipulationibus.ff.de regu. iur. credit tamen Barto. quòd tunc requirantur tot actus, ex quibus veriſimiliter colligatur tacitus conſenſus populi: acta enim extraiudicialia non ita innoteſcunt ſicut iudicialia.l. in donationibus.C. de donatio.l. omnium.C, de teſta. Et quia Barto. tangit, quid ſi teſtes dicant

quòd ita erat conſuetudo, nec vltrà dicant, an ſit probat a conſuetudo? & diſtinguit Barto. quòd aut illi, qui ſic deponunt. ſunt homines periti, vt Aduocati vel boni Procuratores, & tunc valet dictum eorum, quia peritis in arte credendum eſt ſecundum doctrinam eorum. l. j. in princ. ff. de ven. inſpi. aut ſunt homines imperiti, & videntur dixiſſe de facto, quòd talis eſt vſus. argu. eorum quæ notantur in l. ſtipulatio iſta. §. hi quoque. ff. de verborum oblıgat. vtrum autem ex tali vſu reſultat conſuetudo, prout eſt ad propoſitum, remanet in examinatione iudicis, conſideratis his quæ dicuntur in materia conſuetudinis. ſed contra iſtam diſtinctionẽ Bar. allego notata per eundem Barto. in l. j. C. de vſur. in l. ſciendum. ff. de verborum obligat. vbi dicit, quòd licet Aduocatus productus in teſtem dicat, quòd talis promiſit per ſtipulationem, tamen propter hoc non eſt probata ſtipulatio, ſed debet dicere, promiſit præcedente interrogatione tali, & tunc iudex præſumet ſtipulationem: non enim pertinet ad teſtes iudicare, & quòd tales teſtes non probent conſuetudinem, niſi deponant de facto, ex quo reſultat probatio conſuetudinis, probatur ſic: quia cùm conſuetudo ſit ius, quamuis reſultet ex facto, percipitur magis iudicio iuris, quàm ſenſu corporeo, non poteſt valere dictum eorum, niſi cauſam ſui dicti aſſignent, quam aſſignare debent concludenter etiam non interrogati, aliàs non probant. & hoc facit contra dictum Ioan. Fabri, de quo ſuprà, ſicut cùm deponunt aliquem

aliquem eſſe dominum, niſi dicant per quem modum, vt notatur in l. ſolam. C. de teſti. & ideo ſingulariter dixit Innocen. in c. cùm cauſam. de teſtibus. quòd quando tale quid eſt probandum, quod non eſt obiectum ſenſus & intellectus, non creditur teſti, niſi per cauſas facti, quas ſi aſsignat, conſtat ipſum ſcire, aliàs teſtimonium eius excedit notiſsimos terminos officij teſtis, & efficitur altioris inquiſitionis, id eſt, tranſcendentis ad rationem intellectus: quæ ratio dicitur potius iudicium, quàm teſtimonium. & iſta ſunt pulchra dicta Bal. in l. ſolam. in prin. C. de teſti.

Quæritur, quos ligent conſuetudo vel ſtatuta locorum? Reſpondet Barto. in dicta repetitione, in fin. quòd ſi ſtatuta ſunt prohibitiua reſpectu ſolennitatis, vt non poſsit quis facere teſtamentum vel inſtrumentum, niſi ſint duo Notarij *& ſimilia, & tunc ſubiectos nõ ligant extra territorium, quia in ſolennitate actus ſemper debet inſpici locus, vbi agitur: ſi autẽ ſtatuta ſunt prohibitiua in rem, id eſt reſpectu rei, vt quia prohibent rem alienari, etiam extra territorium non poterit alienari, quia prohibitio legis afficit rem, quæ eſt in eius territorio, vt notatur in l. ea lege. C. de condict. ob cau. Si autem prohibitio reſpicit perſonam ſeu actum perſonæ, vt quòd minor viginti annis non poſsit facere teſtamentum, etiam ille minor extra territoriũ non poterit facere teſtamentum ſecundum Barto. adducit, quia ille, cui à iudice eſt bonis interdictum generaliter, illa interdi-*

terdictio extendit effectũ ſuum vbique, vt in l. is cui. ff. de teſta. eadem ratione iſta interdictio ſpecialis. Tu ſcis, quòd forenſes non poßunt cogi de iure ad munera perſonalia. l. reſcripto. in fin. ff. de munc. & hono. tamen, ſi de conſuetudine antiqua obſeruatum eſt, poßunt cogi: & ideo eis poterit indici onus cuſtodiæ. Barto. per illum textum in l. j. C. de auro coronario. libr. x. & ideo caueant Scholares, qui licet ad onera perſonalia cogi non poßint. l. j. C. de profeßo. & medi. libr. xj. tamen, ſi de conſuetudine imponuntur, poterunt cogi.

Poteſt conſuetudo diſponere, quòd credatur libro canonicorum ſuper conceßione in emphyteoſim & ſolutione penſionum. Bal. in l. exemplo. C. de probatio. in rubri. C. de fide inſtrumento. in vlti. colum. in c. cùm cauſam. de probatio. Alexand. conſil. cxxiiij. in v. volumine.

Quando aliquid eſt vario modo obſeruatum, tunc recurrendum eſt ad ius commune. Barto. in l. ij. in fine princ. ff. ſolut. matrimo. vbi ponit, quando in ciuitate conficiuntur inſtrumenta vario modo, tunc propter tales diuerſitates recurrendum eſt ad ius cõmune. & hoc dictum Bart. adducit Alexan. in conſil. cxxvij. in fin. in v. volumine. quòd ſi in aliquibus inſtrumentis reperiatur appoſita aliqua clauſula, in aliquibus nõ, tunc ſtandum eſt iuri cõmuni, ſecundum quod talis clauſula non intelligitur tacitè in contractibus.

Quando eccleſiæ eſt aliquid vtiliter acquiſitum

vigore

vvgore conſuetudinis diu ſeruata, per eam non videtur Prælatus per vnum vel plures actus contrarios voluiſſe renuntiare illi iuri acquiſito ex tali conſuetudine. & quia, etiamſi expreſſè vellet Prælatus renuntiare, non poſſet, etiamſi interueniſſet capitulum. dictum eſt notabile Inno. in c. accedentibus. de priui. ſecundum Alex. in conſil. v. in v. volumine.

In extirpandis conſuetudinibus malis eſt opus celeritate. pulcher eſt textus in c. ſacratas. xxiij. diſt. & ibi reprobatur conſuetudo, quòd Moniales etiam ſacrata tangant vaſa ſacra, vel ponant incenſum in altari. Et irrationabilitas ipſius conſuetudinis non tollitur quantocunque tempore fuerit pro rationabili obſeruata, etiamſi non ſit memoria in contrarium. textus eſt iuncta gloſ. in c. non putamus. de conſuetudi. in 6. ex quo textu colligitur, quòd non valet conſuetudo, quòd quis poſſit iudicare in cauſa propria, vt in l. j. C. ne quis in ſua cauſa iudicet. Et non omittam hoc in loco aliqua circa materiam illius c. non putamus. Eſt igitur notandum, quòd non procedit textus ille vbicunque vicarius generalis Epiſcopi conferret aliquod beneficiũ ex permiſſione Epiſcopi, tunc tali collatione appellaretur ad Epiſcopum, vel ſi Epiſcopus ſpecialiter committeret aliquod negocium ipſi vicario, quia tunc appellatur ad ipſum Epiſcopum, vt notat gl. in d. c. non putamus. in verbo officiali. & ibi per Docto. & domini de Rota deciſione conſil. ccclxxj. quæ incipit: Item ſi

Epi-

Epiſcopus.illam tamen glo.limitat Dominicus ibi notabiliter,niſi talis delegatio eſſet facta in fraudem, quæ probatur ex coniecturis, puta vt non appelletur ad Archiepiſcopum, quia tunc non appellaretur ad Epiſcopum delegantem ſecundum Specula.in titu.de appella. §.nunc tractemus. verſ.ſecundum præmiſſa. Appellatur etiam ad Epiſcopum, ſi eſſet officialis foraneus deputatus in certa parte diœceſis, vel ad certos actus, vt notant Docto.in d.c.non putamus. & per glo. in Clem. & ſi principalis.de reſcriptis.per Barto.in l. j. in fin.ff. quis & à quo appelletur. vbi Barto. notabiliter dicit hoc procedere,etiamſi Epiſcopus diceret:Facimus te noſtrum vicarium, tamen non diceretur vicarius, ſed delegatus. & ſic appellaretur ad facientem vicarium.Sed quæritur de pulchra quæſtione: Epiſcopus delegauit cauſam vni Canonico, qui tulit ſententiam, à qua eſt appellatum ad vicarium, an talis appellatio teneat? & Archi. in d.c.non putamus.tenet quòd ſic, quia Epiſcopi & vicarij eſt idem tribunal, ſed contra Archidiaconum facit,quia iſta duo æquiparantur,appellatio à iudice,& iudicis recuſatio.c.ſuper eo.de appel.ſed ſi delegatus Epiſcopi recuſatur, vt ſuſpectus,debet cauſa coram eo agitari, non coram vicario.c.ſi contra vnum.de offi.delega.in 6.ſi hoc eſt in vno, ergo idem in alio: nec obſtat ratio Archidiaconi, quia licet ſit idem auditorium,non tamen eſt in cauſa delegata, quia in ea maior eſt vicario delegatus. Vnde ad vicarium, vt ad ma-

iorem

iorem non poteſt appellari. iſta fuit conſideratio Præceptoris mei Alexand. in d. l. j. in fin. ff. quis & à quo appelletur. Sed mirum eſt quòd ipſe, qui copioſus erat, non allegauerit Abbatem in c. dilecti. de appellat. vbi latè examinat iſtum paſſum, & adducit argumenta pro & contra: tandem concludit ſic, quòd aut Epiſcopus eſt præſens, puta in diœceſi, vel loco propinquo, tunc debet appellari ad ipſum Epiſcopum, non ad vicarium: aut eſt abſens in loco remoto, tunc poterit appellari ad ipſum vicarium. & pro hac diſtinctione adducit notata per Ioan. And. in d. c. ſi contra vnum. vbi patet, quòd ſi recuſatur delegatus Epiſcopi, debet probari ſuſpicio coram Epiſcopo, & non coram vicario ſuo. dicit Ioan. And. hoc eſſe verum, niſi Epiſcopus ſit in remotis: nam tùm in cauſa illa ſpeciali delegatus ſit maior vicario. c. ſtuduiſti. de offi. lega. non eſt rationi conſonum, vt vicarius corrigat errorem illius, ſed ex cauſa prædicta hoc poterit. & iſta eſt pulchra diſtinctio, pro qua adduco textum in l. ſi longius. §. ſi filius. ff. de iudi. in l. profectitia. §. ſed ſi. ff. de iure doti. in l. ſi cùm dotem. §. eo autē tēpore. ff. ſolu. matr. in c. j. ne ſede vacante. in 6. et quod notat Bar. in l. vbi abſunt. ff. de tutori. & curato. datis ab his. in l. omnes populi. ff. de iuſti. & iure. in l. infamē. ff. de publi. iudi. & Abb. in conſ. lxxxviij. notabiliter dicit, quòd exiſtente Epiſcopo in remotis, latior eſt poteſtas vicarij, quia poteſt quædam, quæ aliàs non poſſet.

Quantocunq; tempore laicus exercuerit actū ſpiritua-

tualem,nunquam tamen poteſt illum præſcribere,nam poſſeſsio tanti temporis habet vim tituli quando datur rapacitas in exercente, aliàs non. dictum eſt ſingulare Io.And in c.ij.de præben.in 6.in nouella.quod multùm commendat Abb.in multis locis in c.quanto. de conſue. in c.nouit. de iudi. in c. Meſſana. in c.ſacroſancta. in c. quiſquis.de elect.in c.cum inſtantia. de cenſi.in c. quod autem.de iure patro.in c.fina.de pœni.& remiſſ.in c.ad aures.de præſcript.

Conſuetudo Romanæ eccleſiæ eſt vbique ſeruanda in articulis fidei & ſacramentis eccleſiæ.gl.eſt notabilis in c.j.in ver.docuit.de ſumma trin.et fide catho.in 6.quã notabiliter allegat Abb.in c.cõſultationi.de frigidis. in c.cùm olim.de conſue. in c. paſtoralis. de offi.ordinarij. in c.conſilium.de obſeruatione ieiuniorũ. in c. ſuper eo. de cenſi.in c.ij.de ferijs.in c.ad abolendam.de hæreti.in c.bonæ primo.de poſtu.Præla.allego etiam gloſ.in c.diſpendia.in verbo,proceſſus.de reſcriptis. in 6. quæ notabiliter allegatur, quòd vbicunque conſuetudo Romanæ eccleſiæ diſponit ſuper modo iudicandi et procedendi,et ſi diſponit ſuper interpretando ius dubium, tunc talis interpretatio debet vbique ſeruari. & ita poteſt intelligi textus in c.ex literis.de conſtitu.allego etiam gl. in c.ad hæc.de ſent. excommu. quæ voluit, quòd ſi conſuetudo diſponit ſuper modo conficiendi literas ſuæ cancellariæ,talis conſuetudo eſt etiam ſeruanda extra Curiam.& glo.in c.nolite.xj.diſt. dixit, quòd conſuetudo Roma-

Romanæ eccleſiæ non eſt ſemper ſeruanda, niſi ipſa præcipiat vt obſeruetur, de quo per gloſ. & Dd. in d. c. j. de ſumma trini. in 6.

Quando lex reuocat conſuetudinẽ contrariam, non poteſt noua cõſuetudo induci cõtra illam, quando diſponit in materia conſuetudine non quæſibili: item ea quæ ſunt reſeruata Principi in priuilegium, ſunt impræſcriptibilia. iſta eſt gl. ſingularis in c. j. de cleri. ægro. in 6. in ver. nõ obſtante. ſed Abb. in c. cùm nobis. de præſcri. contra illam gloſ. adducit textũ in c. ſuper quibuſdam. de ver. ſig. vbi patet, quòd iura reſeruata Imperatori in ſignũ ſpecialis priuilegij poſſunt præſcribi tanto tẽpore, de cuius initio nõ eſt memoria. De reſeruatis Papæ allegat textũ in c. quod tranſlationẽ. de off. lega. nam conſuetudo tanti tẽporis habet vim conceſſionis. l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & æſti. & dicit Abb. quòd in hac conſuetudine ſeu præſcriptione requiritur ſciẽtia Papæ, quia in iſtis incorporalibus nõ poteſt haberi quaſi poſſeſſio ſine ſcientia illius, qui ea poſſidet. l. ij. C. de ſeruitu. & aqua. allegat Bart. in l. ſi publicanus. §. in vectigalibus. ff. de publica. & Inno. in c. conquerente. de offi. ordi. ſed in hoc communis opinio eſt in contrarium, quòd non requiratur ſcientia Principis, vt in alijs locis deduxi. pro intellectu ergo d. glo. debet dici, quòd non loquitur in cõſuetudine, quæ eſt tanto tẽpore præſcripta. & Abb. in c. j. vt lite pen. tractauit, an inſignia pontificalia poſſint cõſuetudine vel ꝓſcriptione quæri per inferiorem

riorem Prælatũ Epiſcopo?et concludit quòd ſic per tantum tempus,de cuius initiò non eſt memoria.d.c.ſuper quibuſdam.nam ſicut inferior Prælatus poteſt præſcribere totũ ius epiſcopale in iuriſdictione conſiſtens.c.auditis.c.cùm olim.de præſcr.fort ius pcſſunt præſcribi iſtá inſignia.ſed Io.And.tenet contrarium in c.Abbates.de priui.in 6.vbi voluit per illum textũ,quòd per cõſuetudinẽ quæri non poteſt, quòd Abbas benedicat populum ſolenniter,quia ſolùm hoc priuilegiò apoſtolico cõceditur,vt ibi.& facit textus in c.illud.in c.peruenit.xciij.diſt.in quibus locis videtur probari,quòd talia cõſuetudine nõ quærantur,ſed ſolùm priuilegio.Poteſt dici opinionẽ Abbatis eſſe veram in cõſuetudine, de cuius initio nõ eſt memoria in contrariũ,quia talis cõſuetudo æquiparatur priuilegiò & nota,quòd conſuetudo dat licentiã vtendi rebus alienis,dato preciò, vt lignis & lapidibus,vt eſt textus ſingularis in l.venditor.§.ſi conſtat.ff.cõmu.prædio.Et Notarius debet conficere inſtrumentũ ſecundum clauſulas conſuetas. textus eſt ſingularis in l.fin.C.de fideiuſſoribus.quod intellige, quando inſtrumentũ eſt in fieri: ſecùs quando iam eſt cõpletum Bal. in rubri.C.de reuocan.his quæ in frau.credi. Et conſuetudo dat verbis ſignificatum.l.librorum.§.quod tamen Caſſius.ff.de lega.iij. & poteſt diſponere conſuetudo, quòd aliquis obliget ſe pro alio ad pœnam capitalem.gl. eſt ſingularis in c.cùm homo.xxiij.q.v.ſecundum Romanum in ſingularibus ſuis.

Conſue-

Conſuetudo poteſt diſponere, quòd delinquens poßit puniri in ciuitate confœderata. textus eſt ſingularis in l. non dubito. ff. de capti.

Valet conſuetudo, quòd quis poßit citare in alieno territorio. l. iij. §. fi. ff. de teſti. & quando ſacerdos cantat Euangelium, debet ſtare in apparatu diaconali, niſi conſuetudo diſponat contrarium. gl. eſt ſingularis in c. eccleſiaſtica. xxiij. diſt. & ibi dicunt Dd. quòd manipulus, quem geſtat Subdiaconus in manu ſiniſtra, eſt de conſuetudine.

Conſuetudo licet iniqua, excuſat à pœna temporali. glo. eſt notabilis in c. denique. iiij. diſt. in c. cùm venerabilis. de conſuetu. in c. ſanè. de tempo. ordinan. in contrarium tamen facit textus in auth. omnes peregrini. C. commu. de ſucceß. authenti. nauigia. C. de fur. ſed dicas, quòd ideo ibi non excuſat, nec valet cõſuetudo, quia præcedit lex derogatoria ad conſuetudinem.

Item conſuetudo pœnalis extenditur de ſimilibus ad ſimilia, textus eſt ſingularis in c. j. §. porrò: quæ ſit pri. cau. be. amit. & ibi dicit Bal. quòd nõ eſt melior textus in iure, quòd in pœnalibus ſtatutis et cõſuetudinibus pceditur de ſimilibus ad ſimilia: hæc tamẽ doctrina, dicit Bal. non habet locũ, quando pœnæ imponuntur, habito reſpectu ad priuilegiũ alicuius perſonæ, quia tunc nulla poteſt fieri extenſio de ſimilibus perſonis ad ſimiles, nec de caſibus ad caſus. allegat glo. quam dicit ordinariam & ſingularem in. §. item mixta. Inſtitu. de actio.

Item conſuetudo poteſt diſponere, quòd res inter alios acta alteri proſit, vt quando extraneus emptor cogitur reuendere conſorti. textus eſt ſingularis in c. conſtitutus. de in integ. reſt. Bal. in rubri. C. res inter alios acta.

Item conſuetudo præſtat vocem in electione Imperatoris. gl. eſt ſingularis in c. ad Apoſtolicæ. de re iudi. in 6. vbi vnus de electoribus habet vocẽ in eligendo de conſuetudine.

Item ſtatur cõſuetudini antiquæ in paſcuis, molendinis, pontibus & cõmoditatibus aquarum. Bal. per illũ textum in c. j. in ver. ſicut ab antiquo. de pace Conſtan.

Item conſuetudo eſt tantæ auctoritatis, quòd nõ requirit confirmationẽ ſuperioris, ſed confirmatur ſolo legitimo temporis curſu. l. an in totum. C. de ædifi. priua. dixit Bal. in l. quicunque. C. de ſer. fugi. quòd illud, quod eſt de conſuetudine non eſt arbitrariũ, ſed neceſſarium: & in l. j. C. de fruct. & litis expen. dixit, quod conſuetudine cauetur, pro expreſſo habetur. l. quòd ſi nolit. §. qui aſſidua. ff. de ædili. edict. Et conſuetudo dat modũ clericis in deferendo veſtes etiam pretioſas. glo. eſt notabilis in c. ſi quis virorum. xxx. diſt. xxj. q. iiij. in ſumma.

Conſuetudo dat mandatum. l. nulli. ff. quod cuiuſq; vniuer. nomi. & conſuetudo dat poteſtatem delegandi. textus eſt ſingularis in l. cùm Prætor. §. is quoque. ff. de iudi.

FINIS.

INDEX PRIMVS TITVLORVM, SECVNDVM ORDINEM LIBRORVM IN VSIBVS feudorum.

Tituli libri primi.

Qui feudum dare poſsunt pag. 1
De feudo Guardiæ & Caſtaldiæ 9
Qui ſucceſsores feudum dare teneantur 12
Si de inueſtitura feudi controuerſia fuerit 14
Quibus modis feudum amittatur 22
Epiſcopum vel Abbatem vel Abbatiſsam &c. 26
De natura feudi 40
De ſucceſsione feudi ibid.
Qui ſucceſsores teneantur 45
De contentione inter dominum & fidelem de inueſtitura feudi 46
De pignori dato feudo quid iuris ſit 48
De contentione inter me & dominum de portione feudi fratris mei defuncti 49
De alienatione feudi 50
De feudo Marchiæ, vel Ducatus, vel Comitatus 52
An maritus ſuccedat vxori in beneficio 54
De feudis datis minimis valuaſoribus 55
Quibus modis feudum amittatur ibid.

Nn 2 Apud

Apud quem vel quos controuerſia feudi definiatur 57
Conſtitutiones feudales Lotharij Imperatoris 61
De beneficio fratris, & qualiter frater in beneficium fratris ſuccedat 63
De feudo ſine culpa non amittendo 64
Quo tempore miles inueſtituram petere debeat 66
De contentione inter dominum & vaſallum de inueſtitura feudi 73
Quemadmodum feudum ad filiam pertineat 74
Quibus modis feudum conſtitui poteſt 75
Si de inueſtitura inter dominum & vaſallum lis oriatur. 77
De feudo dato in vicem legis commiſſoriæ 82

Tituli libri ſecundi.

De feudi cognitione 89
Quid ſit inueſtitura 93
Per quos fiat inueſtitura, & per quos recipiatur 102
Quid præcedere debeat, an inueſtitura vel fidelitas 111
Qualiter iurare debeat vaſallus domino fidelitatem 112
De forma fidelitatis 115
De noua forma fidelitatis 116
De inueſtitura de re aliena facta 121
Qualiter feudum olim poterat alienari 125
Quis dicatur Dux, Marchio, Comes, Capitaneus vel Valuaſor 130

De ſuc-

De ſucceßione fratrum, vel gradibus ſuccedentium in feudo 134
De fratribus de nouo beneficio inueſtitis 137
De inueſtitura, quam Titius accepit à Sempronio 142
De vaſallo decrepitæ ætatis, qui feudum refutauit, vt filij inueſtirentur 143
De inueſtitura in maritum facta 144
De controuerſia feudi apud Pares terminanda 147
De eo, qui ſibi vel hæredibus ſuis maſculis & fœminis inueſtituram accepit 150
De duobus fratribus à Capitaneo inueſtitis 153
An remoueri debeant teſtes, qui Pares eſſe deſierunt 154
De controuerſia inter Epiſcopum & vaſallum 156
De vaſallo milite, qui arma bellica depoſuit 158
De milite vaſallo, qui contumax eſt 161
In quibus cauſis feudum amittatur 168
Quæ fuit prima cauſa beneficij amittendi 170
Si de feudo vaſallus ab aliquo interpellatus fuerit, & dominus eum defendere noluerit 193
Si de feudo defuncti contentio ſit inter dominum & agnatos vaſalli 195
De pace tenenda & eius violatoribus 233
Hic finitur lex, deinde conſuetudines regni incipiunt 252
De filijs natis ex matrimonio ad morganaticam contracto 264

De beneficio fœminæ 286
Si vaſallus feudo priuetur, cui deferatur 268
Qui teſtes ſunt neceſſarij ad nouam inueſtituram probandam 270
De conſuetudine recti feudi 272
De lege Corradi 283
De clerico qui inueſtituram facit 289
An mutus, vel aliàs imperfectus, feudum retineat 291
An ille, qui interfecit fratrem domini, feudum amittat 293
De vaſallo, qui contra conſtitutionem Lotharij Regis beneficium alienauit 296
De alienatione feudi paterni 298
De capitulis Corradi 304
De controuerſia inter dominum & emptorem feudi 311
De controuerſia inter vaſallum & alium de beneficio 314
Quid iuris, ſi poſt alienationem feudi vaſallus id recuperauerit 317
An agnatus vel filius defuncti poſſit retinere feudum repudiata hæreditate 322
An apud iudicem vel Curiam domini quæſtio feudi terminari debeat 327
Qualiter dominus proprietate feudi priuetur 328
De feudo non habente propriam naturam feudi 330
De eo, qui finem fecit agnato de feudo paterno 331

De na-

De natura ſucceßionis feudi 332
De Capitaneo, qui curiam vendidit, an intelligatur beneficium vendidiſſe 335
De prohibita feudi alienatione per Lotharium 343
De pace tenenda inter ſubditos &c. 347
De allodijs 266
De prohibita feudi alienatione per Fridericum 370
Quæ ſint regalia 397
Quot teſtes ſint neceßarij ad probandam feudi ingratitudinem 398
De notis feudorum 399
De ſtatutis & conſuetudinibus contra libertatem eccleſiæ editis 407
De pace Conſtantiæ 416

FINIS PRIMI INDICIS.

INDEX ALIVS TITVLORVM SECVNDVM ORDINEM LITERARVM.

A

de Alienatione feudi 50
Alienatione feudi paterni 298
Allodijs 366
An agnatus, vel filius defuncti &c. 322
An apud iudicem, vel curiam domini quæſtio feudi &c. 327
An ille, qui interfecit fratrē domini ſui, feudum amittat 293
An maritus ſuccedat vxori in beneficio 54
An mutus, vel aliàs imperfectus feudum retineat 291
An remoueri debeant teſtes, qui Pares eſſe deſierunt 154
Apud quem vel quos controuerſia feudi definiatur 57

B

de Beneficio fœminæ 266
Beneficio fratris, & qualiter frater in beneficium fratris ſuccedat 63

C

de Capitaneo, qui curiam vendidit, an intelligatur benefitium vendidiſſe 335

de Capi-

de Capitulis Corradi 304
Clerico, qui inueſtituram facit 289
Conſtitutiones feudales Lotharij Imperatoris 61
de Conſuetudine recti feudi 272
Contentione inter dominum & fidelem de inueſtitura feudi 46
Contentione inter dominum & vaſallum de inueſtitura feudi 73
Contentione inter me & dominum de portione feudi fratris mei defuncti 49
Controuerſia feudi apud Pares terminanda 147
Controuerſia inter dominum & emptorem feudi 311
Controuerſia inter Epiſcopum & vaſallum 156
Controuerſia inter maſculum & fœminam de beneficio 310
Controuerſia inter vaſallum & alium de beneficio 314

D

De duobus fratribus à Capitaneo inueſtitis 153

E

de Eo, qui fecit finem agnatis de feudo paterno 331
Eo, qui ſibi vel hæredibus ſuis maſculis & fœminis inueſtituram accepit 150
Epiſcopum, vel Abbatem, vel Abbatiſſam &c. 36

F

de Feudi cognitione 89

de Feudis datis minimis valuaſoribus 55
Feudo dato in vicem legis commiſſoriæ 82
Feudo Guardiæ & Caſtaldiæ 9
Feudo Marchiæ, vel Ducatus, vel Comitatus 52
Feudo non habente propriam naturam feudi 330
Feudo ſine culpa non amittendo 64
Filijs natis ex matrimonio ad morganaticam contracto 264
Forma fidelitatis 115
Fratribus de nouo beneficio inueſtitis 137

H

Hic finitur lex, deinde cõſuetudines regni incipiunt 252

I

In quibus cauſis feudum amittatur 168
de Inueſtitura de re aliena facta 121
Inueſtitura in maritum facta 144
Inueſtitura, quam Titius accepit à Sempronio 142

L

de Lege Corradi 283

M

de Milite vaſallo qui contumax eſt 161

N

de Natura feudi 40
Natura ſucceſsionis feudi 332
Notis feudorum 399

de No-

de Noua forma fidelitatis 116

P

de Pace Conſtantiæ &c. 416
Pace tenenda & eius violatoribus 232
Pace tenenda inter ſubditos & iuramento firmanda &c. 347
Per quos fiat inueſtitura 102
de Pignori dato feudo, quid iuris ſit 48
Prohibita feudi alienatione per Friderichum 370
Prohibita feudi alienatione per Lotharium 343

Q

Quæ fuit prima cauſa beneficij amittendi 170
Quæ ſint regalia 397
Qualiter dominus proprietate feudi priuetur 328
Qualiter iurare debeat domino vaſallus fidelitatem 112
Qualiter feudum olim poterat alienari 125
Quemadmodum feudum ad filiam pertineat 74
Quibus modis feudum amittatur 23
Quibus modis feudum amittatur 55
Quibus modis conſtitui poteſt 75
Quid iuris, ſi poſt alienationem feudi vaſallus id recuperauerit 317
Quid præcedere debeat, an inueſtitura an fidelitas 111
Quid ſit inueſtitura 93
Qui feudum dare poßunt 1

Quis di-

Quis dicatur Dux, Comes, Marchio, Capitaneus vel Valuaſor. 130
Qui ſucceſſores feudum dare teneantur 12
Qui ſucceſſores teneantur 45
Qui teſtes ſunt neceſſarij ad nouam inueſtituram probandam 270
Quo tempore miles inueſtituram petere debeat 66
Quot teſtes ſunt neceſſarij ad probandam feudi ingratitudinem 398

S

Si de feudo defuncti contentio ſit inter dominum & agnatos vaſalli 195
Si de feudo vaſallus ab aliquo interpellatus fuerit, et dominus eum defendere noluerit 193
Si de inueſtitura feudi controuerſia fuerit 14
Si de inueſtitura inter dominum & vaſallum lis oriatur 77
Si vaſallus feudo priuetur, cui deferatur 268
de Succeſſione feudi 40
Succeſſione fratrum, vel gradibus ſuccedentium in feudo 134
de Statutis & conſuetudinibus contra libertates Eccleſiæ editis, & immunitate locorum religioſorum &c. 407

V

de Vaſallo decrepitæ ætatis, qui feudum refutauit, vt filij inueſtirentur 143
Vaſallo milite, qui arma bellica depoſuit 158
Vaſallo, qui contra conſtitutionem Lotharij Regis beneficium alienauit 296

FINIS INDICIS.

ANT 131 8583



COLONIAE

Apud Iohannem Birckmannum & Theodorum Baumium

Anno M. D. LXVII.

Cum gratia & priuilegio Cæſ. Maieſt. ad decennium.

9315